ILLUSTRE RESPONSUM IURIS AN FOEMINAE AB EISUE DESCENDENTES IN SUCCESSIONIBUS...

Jacob Orloshausen, Giovanni Battista Coccini



13
3 B
9

Illuſtre

RESPONSVM IVRIS

AN FOEMINÆ AB EIS VE DESCENDENTES IN SVCCESSIONIBVS

Regnorum, Principatuum, Ducatuum, Comitatuum, &c. ab inteſtato prouenientium, extantibus maſculis iure excludantur, & maſculi ſoli eorumvè deſcendentes admittantur:

IN ARDVA QVADAM GENEROſiſſimorum quorundam PP. cauſa editum


à

IACOBO ORLOSHAVSEN, I. V. Licent. &c.

Nunc primum ob inſignem vtilitatem prodit



ANNO M. D. CVI.



Sumptibus HELIÆ KEMPACHII Bibliopolæ Spirenſis



VIRO AMPLISSIMO, VIRTVTE ERVDITIONE MVLTOQVE RERVM VSV PRÆSTANTI,

D. ALBERTO SCHILT: &c. Domino ſuo & Amico colendo:

Felicitatem.

SALVAM eſſe in Rebuspublicis ordinum, familiarumque dignitatem publice intereſſe, Vlpianus *in l. 1. §. ſed & ſeruus, 13. ver. publice intereſt, ff. de ventr. inſpiciend.* ait, eamque ſucceſſionum inprimis jure, differentijsque vtriuſque ſexus in hereditatibus adeundis ſartam tectam conſeruari, atteſtantur plerique Iuriſconſulti: & quidem res manifeſto patet. Dum enim adæquato ſucceſſionis jure ad paternas, cognatas, agnatasve hereditates fœminæ adſpirant, inprimis ad Generoſorum fratrum ſuorum cognatorum, agnatorumve aliorum arces, atria, vrbes, imo ipſa imperia, primatus, principatus & dominia, abſtruſos cuniculos agunt. De prædijs virilem ſexum præcipitare, gentilitijs auitis ſpoliare opibus, antiqua potentia, & dignitate exuere pertentant. Hinc potentes exurgunt Dominæ, regnorum verò Ducatuum, Comitatuum & Dominiorum fulcra extirpantur, caduntque Domini ſua potentia.

His ſcilicet artibus & technis, ſuis exhaurire diuitijs, potentia & viribus viros ſpoliare, Theodora Iuſtiniani Imperatoris coniunx auſa eſt.

Huius enim ſuaſu & impulſu Tribonianus conſilium legis de æquali in ſucceſſionibus ab inteſtato vtriuſque ſexus jure ferendæ huiuſmodi protulit:

Maximum vitium antiquæ ſubtilitatis eſt, quæ putauit alia eſſe jura obſeruanda in ſucceſſione parentum, ſi ex teſtamento veniant, in ma-

ſculis, alia in fœminis. *l. maximum vitium, C. de liber. præter. in pr.* Rurſum, ſi ab inteſtato veniant, Lege 12. Tabularum bene proſpectum eſt humano generi, quæ vnam conſonantiam tam in maribus, quam in fœminis legitimis, & in eorum ſucceſſionibus, nec non & liberis eorũ obſeruandam exiſtimauit; nullo diſcrimine ſexus in ſucceſſionibus habito, cum natura vtrumq; corpus ediderit, & maneat ſuis vicibus immortale, & alterum alterius auxilio egeat, & vno ſemoto, & alterum corrumpatur. *l. leg. 12. tab. pen. C. de legitim. hered. in princ.* Simili namque vtrumque & æque neceſſario in hominum procreatione officio fungitur, *§. ſed hæc quidem vetuſtas. Inſtit. de exhered. liberor.* imò amplius fœmina etiam puerperij dolores atque partus periculum (ex quo ſæpe mortem matribus illatam meminimus) ſola ſubire ac ſuſtinere cogitur, *l. aßiduis. C. qui potior. in pignor. § ſed nos conſt. Iuſt. de Senatuſconſ. Tertullian.* Poſteritas igitur, dum nimia vtitur ſubtilitate, non pias induxit differentias in ſucceſſionibus inter maſculos & fœminas. Cui enim inter alia ferẽdum eſt, legitimas fœminarum perſonas, ſi jura conſanguinitatis nõ poſſideant, à ſucceſſione legitima repelli, cum maribus eadem pateat?

Quare enim patris ſoror non ad ſucceſſionem filij fratris ſui vna cum maſculis vocatur, ſed aliud jus in amitis, aliud in patruis obſeruatur? Vel qua ratione fratris filius ad ſucceſſionem patrui vocatur, Germana autem eius ab eadem ſucceſſione excluditur. Et cum vnius ſanguinis jura per virilem ſexum maneant incorrupta, tam in fœminis, quam in maſculis, quare naturam offendimus & legitimo juri derogamus? *d. l. leg. 12. tabular. verſ. ſed poſteritas. C. de legitim. hered.*

Qui enim tales differentias inducunt, quaſi naturæ accuſatores exiſtunt, cur non totos generarit maſculos, vt vnde generentur, nõ fiant. *d l. maximum vitium, verſ. qui enim. C. de liber. præterit.*

Sed & aliam maximam iniuriam tales differentiæ in ſe continent, pleriſq; quaſi vulnus inteſtinum incognitum. Cum enim & ad ipſarum mulierum ſucceſſionem maſculi jure agnationis vocantur, quis patiatur, earum quidem hereditatem, ad eos legitimo jure deferri, ipſas vero nec inuicem ſibi, nec maſculis eodem jure poſſe ſuccedere: ſed propter hoc ſolum puniri, quod fœminæ natæ ſint, & paterno vitio (ſi hoc vitium eſt) prolem innocentem grauari. *d. l. leg. 12. tabul. verſ. cum & aliam maximam, &c. C. de legit. hered.*

Quapropter & maximum illud antiquæ ſubtilitatis vitium, & hanc poſteritatis impietatem, ſine competenti, & pia relinquere emendatione incongruum omnino eſt ei, in cuius pectoris ſcrinio, omnia recondita jura

ta jura

ta jura perhibentur, & cuius solius authoritate, atque maiestate omnes legum sanctiones sua censentur potestate. *l. 1. § cum enim. C. de veter. Iur. enucleand. l. 1. C. de leg. & constitut. princip. § sed & quod princip. Instit. de iure natural. gent & ciuil.*

Hæc ergo plausibilis sane juris & æquitatis prætextu adornata Theodoræ Augustæ rogatio audita, legis potestatem habuit, atque vna circa differentias in successionibus testamentarijs, & altera circa differentias sexus in successionibus legitimis, sancita lex est. Illa simplex & simile jus, & in filijs & in filiabus & in cæteris per virilē sexum descendentibus personis, non solum iam natis, sed etiam posthumis introduxit, vt omnes siue etiam sui, siue emancipati, vel heredes instituantur, vel nominatim exheredentur, & eundem habeant effectum, circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hereditatem auferendam, quam filij sui vel emancipati habent. *d. l. maximum vitium. § sed hæc quidem vetustas.* Hæc nullam sanciuit esse differentiam in quacunque successione aut hereditate, inter eos, qui ad hæreditatem vocātur, masculos aut fœminas, quos ad hereditatem communiter definiuit vocari, siue per masculi, siue per fœminæ personam iungantur. *§. cæterum. Instit. de legit. agnator. succession. d. l. leg. 12. tabular. C. de legit. hered. Nou de hered. ab intest. venient. & c. 118. c. 4.*

His ita legibus latis, multoque post tempore durantibus, amplis fœminæ ditescere hereditatibus, multisque in mares & fœminas factis diuisionibus, paulatim exhauriri familiæ. & quia mulieres vbique viris numero plures, *Bodin. lib. 5. de republ. c. 4.* pluribus etiam auctę hereditatibus ditiores, & pluribus viris diminuti, pauperiores euadere, ex quo, velut illito fonte veneno, plurima reipubl. mala profluxere, ac nimirum egestate illustres nobilesque vilescere & interire familię, imperij & principatuum vires debilitari, mulieres amplis elatę possessionibus, tam publicum, quam domesticum imperium affectare, quin etiam nimijs affluentes diuitijs in omnem turpitudinem & luxuriam prolabi, in amores suos non nisi æque diuites admittere, & hinc quasi quæstum in amoribus ambiendis tam pueri quam puellæ exercere, sponsalia nuptiasque quasi pretio turpiter, sicut adulteria conciliare, virtutis vero & honestatis studio valedicere, diuitijs omnes vnice inhiare, aliaque plurima ingrauescere, nec tamen vt intestina, animaduerti mala cœpere.

Verum posteritas de meliori tandem edocta sententia, existimauit longe commodius jura ita constitui, vt ad masculos plerumque hereditates cōfluāt. Vnde hodie vbicunq; primogeniturę jus sanctū nō est, statuta vigere, videm' quib' extantib' masculis fœminæ, & ex his descen-

 den-

dẽtes coniunctæq; personæ excluduntur. In Imperio vero nostro Germano, non tam frequenter legibus municipalibus, quam pactis & statutis gentilitijs fœminæ propter masculos existentes ab omni successione, cum sua linea, siue descendentibus arceantur.

Verum pactis hisce, magno cum Rerumpublicarum commodo approbatis, reluctari tamen fœminæ, & cum multis inanibus iniuriæ suæ querulis vocibus prosilire audent, neque se velle (proclamantes) quæ semel ab Imperatore Iustiniano æqualia sibi cũ viris in successionibus jura data sunt, nunquam, nisi per victoriam reddituras.

Quocirca Nobilem hanc quæstionem: An fœminæ extantibus masculis in successionibus ab intestato recte excludantur, solæque fœminæ admittantur, pro conseruanda ordinum & familiarũ distinctione, Noster hic IACOBVS ORLOSHAVSEN, IC. clarissim. eleganti hoc præsenti libello, pertractat, & potiora in successionibus masculorum jura esse defendit, ipsasque illustres & nobiles familias adæquato vtriusque sexus in successionibus iure, extirpari dilacerarique æquissimis, tum naturalibus, tum politicis, juridicisque rationibus, argumentis & fulcris contendit.

Quod restat Te Vir Amplissime & Amice colende appello, Tui vt Amplissimi nominis compellationem hoc loci factam, vt æque boniq; feras, eoque quo facta est animo accipias. Tibi enim Amice integerrime, hoc Opusculum elegantissimum offerre non erubui, fretus tua beneficentia erga me, nostraq; amicitia summa, foreque scilicet confidẽs, vt reliqui etiam tua permoti Authoritate & Excellentia libentius id suscipiant. Vale vir Amplissime, meumque hoc studium boni consule.

Spiræ; Anno salutiferi partus M.D C V. Mens. August.

T. Exc. Addictissimus

Helias Kempach, Bibliopola Spirensis.

RESPONSVM IVRIS,

AN FOEMINÆ,

ET AB EIS DESCENDENTES IN SVCCESSIONIBVS AB INTEstato extantibus masculis recte excludantur, & masculi soli, vt & eorum descendentes admittantur.

SVMMARIA.

1 *Causas differentiarum sexus in successionibus rite tractationi earum historia iuris commode præmittitur.*

2 *Inconueniens rei tractatio sine præfatione.*

3 *Historia iuris in successionibus circa differentias sexus varietas, varias earum atque graues causas arguit.*

4 *In nullo iuris articulo fuerunt tam mutabiles legumlatores, quam circa differentias sexus in successionibus.*

5 *Historia iuris circa successiones.*

6 *Testamentaria.*

7 *Olim filio præterito testamentum non constitit, non item præterita filia, sed tum illa cum filiis æqualiter successit, extraneis vero institutis semissem accepit.*

8 *L. Voconia nemo qui centum millia sestertium possidebat mulierem, ne vnicam quidem filiam instituere hæredem, nisi in quadrante poterat.*

9 *Lege 12. tabul. differentia legis Voconiæ iterum obsoleta.*

10 *In quo prætores, l. 12. tab. secuti sunt.*

11 *Legitimæ successionis differentiæ inter sexum proueniunt ex iure diuino.*

12 *Romani differentias sexus in successionibus ab Atticis mutuarunt.*

13 *Ex l. 12. tab. intestati hæreditas, primum ad suos hæredes tam masculos, quam fœminas pertinet.*

14 *Sui hæredes sunt etiam nepotes ex filio defuncto superstites, ex filia vero non item.*

15 Inter suos hæredes, l.12.tab nulla sexus differentia in legitima successione, sed tantum inter nepotes & neptes ex filio & ex filia descendentes.

16 Suis non extantibus lex 12.tab intestati successionem protinus agnatis exclusis, etiam matre à successione filij, & filio à successione matris detulit.

17 Ex l. 12. tab. nulla cognationis iure successio competijt, sed cognatis etiam fiscus potior habitus fuit.

18 Vetustati commodius ad masculos & agnatos, quam fœminas & cognatos hæreditates confluere visum est.

19 Iuxta l. 12. tab. paulatim etiam fœminarum & cognatorum iura in successionibus irrepserunt paulatimq; dilatari cœpere.

20 Primus prætor etiam ex filia natos, post agnatos ad aui & proaui bona admisit.

21 Ex transuerso fœminæ solæ ex agnatis sorores consanguinitatis iure ad agnatorum successionem Voconia L. vocabantur.

22 Prætor post agnatos cognatis proximioribus non extantibus etiam vltra sorores fœminas ad agnatorum bona admisit.

23 Imp. quoq; paulatim ex filia descendentes ad parentum successionem vna cum natis ex filio gradu par est ad parentum successiones, sed non nisi cum tertia partis diminutione vocarunt.

24 Sed & postea solos ex filia natos, ad auiaticam hæreditatem admisere, quarta tamen agnatis attribuenda.

25 Iustinianus magis in fœminas propensus, omnes per virilem sexum descendentes ad intestati successionem vocauit: ex sorore vero natos filios & filias tantum, non etiam nepotes & reliquos admisit.

26 Idem demum omnes differentias sexus agnationis & cognationis sustulit tam testamentariis, quam legitimis successionibus.

27 Iustin. sua exæquatione parem apud omnes gratiã meritus non est.

28 Veteris iuris vestigia post Iustin. à plerisq; repetita.

29 Antiquæ gentes Longobardi scilicet, Saxones. Francogalli, Burgundiones. &c. in successionibus masculos & agnatos fœminis & cognatis protulerunt, adeoq; simili prope cum vetustate Romana iure in successionibus visitat.

30 Hodie quoq; leges successionum nullibi vetustatem sapiunt & differentias sexus obseruant.

31 Clotharij Alemannorum Regis leges circa differentias sexus in successionibus.

32 Item

32 Item Theodorici Francorum Regi[illegible]ariorum genti data.
33 Lex Salica qualis apud Gallos.
34 Similis erit Gundebaldi Burgundionum Regis lex, quæ hodie quoque viget.
35 Similis hodie in Comitatu Niuernensi in Ducatu Borbonij & Aluernia in successionibus viget consuetudo, vt masculi fœminis, agnati cognatis præferantur.
36 Imo veteris iuris differentia sexus, itemq; agnationis & cognationis, hodie fere per vniuersum mundum repullulant, iterum florent atque vigent.
37 Statuta de his in Italia & Gallijs.
38 In ciuitate Florentina.
39 Imolensi.
40 Vincentina.
41 Brixinensi.
42 In Patauina, neque ex testamento fœminæ extantibus masculis succedere possunt, ibidem
43 In Parisiensi.
44 In Anglia atque Scotia iure primogenituræ quoque sexus differentia quodammodo reducta sunt.
45 Olim in Dania quoq; potior erat masculorum quam fœminarum in successionibus conditio.
46 Mares & fœminas in successionibus Rex Daniæ Zenotto quare rursum exæquarit memorabilis historia.
47 Regis Zenottenis exæquatio sexus in successionibus rursum sublata.
48 Hodie masculorum triente potior quam fœminarum apud Danos & Holsatos est successio.
49 Hodie quoq; in Imp. Rom. & præcipue Germania vetera sexus agnationis & cognationis differentiarum vestigia repetimus.
50 In nonnullis Saxoniæ ciuitatibus filiæ filijs in parentum successionibus vltro cedunt.
51 Inter Germaniæ Principes, Comites, Barones atque nobiles dictæ differentiæ reuocantur fere statutis familiaribus & gentilitijs, pactis, & Imperatorum priuilegijs.
52 De priuilegijs testimonia.
53 De priuilegijs exempla.
54 De pactis quibus ad dictas differentias hodie plurimum regressus fit.
55 Pactum de futuris successionibus ius ciuile detestatur.

56 Pacto de succedendo quando veteres differentiæ inducantur;
57 Pacta de succedendo, quibus differentia sexus &c. inducuntur vulgo fraternitates & idiomate nostro Erbaiunge *vocantur.*
58 Per fœminarum renunciationes quoque differentia sexus, &c. inoleuerunt & frequentantur.
59 Renunciationes in Germania sunt vsitatissima.
60 Renunciationes non vbiq; hodie iuramento firmari necesse est.
61 Ipso vsu atque humanis necessitatibus veteres hæ differentia sexus, rursum inducta videntur.
62 Iustin. Imp. has vetustatis differentias nulla probabili ratione niti, imo contra omnem humanitatem & æquitatem esse exclamat.
63 Accusatores naturæ earundem inuentores arguit.
64 Suæ exæquationis satis plausibiles rationes adducit.
65 Optandum esset, vtriusque sectæ rationes à Legumlatoribus expressas.
66 Non omnium ratio reddi potest, nec indagari debet alias multa quæ certa sunt, subuertiũtur, quod etiam circa has differentias accedit.
67 A Iustinianeo iure in successionibus recessum non esse, sine euidenti vtilitate præsumitur.
68 Ius Iustinianeum, & vetustatis hodie adhuc iuxta se vigent in Imperio Romano.
69 Vtriusque iuris causa & rationes exactius posthac ponderandæ, & primum Iustinianei.

1 DE causis siue rationibus, quibus sexus, itemque agnationis atque cognationis differentiæ à legumlatoribus inductæ modo, modo iterum abrogatæ, abrogatæ denuo reuocatæ potissimum sint, dicturi, dicamus, vt commodius si pauca præfabimur primum, ac nimirum cura hac differentias totam iuris historiam succinctim prius discurremus, quam ad ipsarum rationum perueniamus tractationem, haud arbitror erit absonum. Nam si in foro dicentibus quasi
2 nefas esse videtur, sine † præfatione facta iudici rem exponere, multo magis est inconueniens nobis, grauissimę causæ disquisitionẽ promittentibus, omissis eius initijs, atq; origine, illotisque quasi manibus eam aggredi, *l. 1. ff. de orig. iur.*
3 Historiam itaq; iuris de successionibus illustrem, nobilem & elegantem quisquis mecum euoluit aut euoluerit, ac studiosius eam legit legeritue, perpendit atque perpenderit, haud dubie is, & vna me-

cum

cum in his, tam ijs quæ ex testamento, quam ijs hoc in medio nõ extãte ab intestato quæ deferuntur successionibus, circa sexus masculini & fœminini differentias constituendas, ampliandas vel coarctandas, antiquorum & recentiorum legislatorum in eorundem opinionibus, legibus & constitutionibus, ambiguitatem, varietatẽ & pugnantiam, adeoque ipsius iuris inconstantiam & mutabilitatem non sine admiratione scio legit, legeritque, perpendit atque perpendit; venit veneritque forte in eandẽ, in quam ego incidi assiduam cogitationẽ, quænam videlicet, qualesque causæ seu rationes potissimum hunc iuris articulum ad tam crebram veluti tempestatem sic sententiarum inconstantiam & consiliorum mutationem, antiquos recentioresq; legumlatores & magistratus in legibus suis hoc in loco tam varijs & discrepantibus ferendis impulerint atque commouerint.

Quas sane nec numero paucas, nec pondere leues, sed concurrentes plurimas, easdemque grauiores & æque graues prope omnes ab omni parte extitisse, cum antiquitatis magna autoritas tum etiam in legibus salubriter ferendis perfecta vetustatis scientia dictitat. Easdemque itaque altiori indagine quæ perquirantur, penitus discutiantur, è tenebris magis eruantur, denique ad nostrornm quoq; temporum vtilitatem, & salubres nostrarum quoq; politiarum ordinationes transferendæ atque accommodãdæ omnibus odorandæ quæ proponantur, dignissimas ego quidem semper iudicaui, neque hoc iudicium meum interpretabitur male opinor, qui meminerit, non solere legumlatores sine euidenti aliqua ratione persuasa sibi vtilitate nouum aliquid constituere, atque ab eo recedere iure, diu quod æquum visum est, teste Vlpiano *in l. in rebus nouis, 2. ff. de constitut. princip.*

Fuerunt autem omni tempore legumlatores & iuris sacerdotes in successionis iure masculorum & fœminarũ, agnatorum & cognatorum recte cõstituendo, tam ambigui, mutabiles atque varij, quam alias certe in omni ac vniuerso iure nullibi, fœminarũ quidem conditionem, vt alias in multis iuris articulis, Papiniano teste *in l. in multis. 9 ff. de statu hom.* ita in hoc quoque longe quam masculorum deteriorem ordinantibus alijs, hanc iterum alijs meliorem efficientibus, alijs hanc rursum tanquam iniquiorem per omnia masculorum conditioni exæquantibus, alijs denique denuo aduersus fœminas & ex ijs descendentes exasperantibus, earumque conditionem in suc- 4

cessionibus ad primam reducentibus, atque omnibus his rursum iuribus multifariam inter se discrepantibus, atque varijs.

7 Quod † vt fiat planius ipsam historiam integram succinctam tamen subijcere placet.

8 Quantum † igitur ad testamentariam attinet successionem ciuili iure constat ex *Caio.lib.2.Instit.tit.de exhæred.liber.prin.& §.1.& ex fragmentis Vlpiani,§ ex suis 14. & §. filius qui in potestate 16. & §.sequ. tit.Qui hæred. instit. poss. item que ex Paul. 3. sent. titul. de testament. & Imper.Iustinian.pr. Instit.de exhæred.lib.* filio masculo in testamento patris præterito, nec nominatim eo hærede vel instituto vel exhæredato, testamentum nullatenus constitisse. Filia vero licet prætorita aut inter cæteros saltem, nec nominatim exhæredata. Testamentum quidem nihilominus valuisse, insuper tamen filijs, hoc est, fratribus eius in eodem testamento hæredibus institutis, & ipsam æqualem cum singulis eorum portionem, extraneis vero institutis, hæreditatis medietatem acquisiuisse.

Quinimo anno vrbis Romæ D.LXXXIV. hoc est, annis ducentis & octoginta post XII. Tabulas, triginta duobus post secundum bellum Carthaginense & viginti ante tertium (vt scribit Augustin. *libro 3. de Ciuitate Dei, cap.12.* & probat antiquitatis Romanæ doctissimus Dominus Franciscus Balduuinus *in comment. ad leg. Voconiā in princ.*) lata à L. Voconia suadente eam muliebris insolentiæ aduersaria acerrimo M. Catone & Q. Voconio Saxa Tribuno pl. ferente, cautum fuit, ne quis census, hoc est, qui centum millia sestertiū possideret, testamentum faciens virginem mulieremue ne vnicam quidem filiam in ampliori quam quarta hæreditatis parte, siue quadrante, hoc est, 25. millium sestertium hæreditate, faceret aut scriberet in testamento hæredem: Cuius legis meminit Cicero *in 3. ver.* Asconius Ciceronis interpres, Liuius & Augustin. *sub d. loco*, Dion. *lib. 56* atque hunc eius sensum pulchre explicat & probat Balduuin. *in d. comment. ad hanc l.*

9 Sensim † tamen postea hæc lex iterum est sublata, & denuo Lex XII. Tabularum recepta. qua primum testatoribus quibusuis plenissima potestas hæredis instituendi concessa erat, neque aut in hæreditate capienda vllum erat sexus discrimen; aut quærebatur mas an fœmina hæres, neque etiam census an incensus testator esset; quæstio erat.

Hanc

Hanc † etiam secuti Prætores, nullam in testamentaria successione sexus differentiam introduxerunt; sed potius eandem per cont. tab. bonorum possessionem sustulerunt, *l. 1. princ. tot. tit. ff. de bon. poss. cont. tab.* 10

Ad † legitimam vero successionem & eam quæ ab intestato defertur à lege, quod attinet; omnium primo sexus differentiam in successionibus hæreditariis introduxit ius diuinum, vti constat *ex cap. 27. Numer. versic. 8. 9. & 10.* vbi hanc successionis legem populo suo Deus ipse præscripsit: [Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas,] atque ita consultus à seruo Moyse respondit, & iudicauit in causa filiarum Salphaad, contra patruos earum. 11

Idem hoc diuinum iudicium etiam executioni mandauit Israelitici populi Dux Iosua, *lib. Iosuæ, cap. 17.* & secundum idem hodie quoque in successionibus Iudæorum pronuntiandum esse à plerisq; traditum est, *in l. qui se patri u. C. vnde lib. Viglio Zuichemo, in §. sed hæc quidem vetustas, Instit. de exhæred. lib. Dn. Euerhardus Speckhan, in diatagmate Iudæorum, alias* Iudenordnung. *conclus. 7. tit. A. versicul. Hinc inter Iudæos, &c. Schneidvvein, de successio. descend. naturalium & legitimorum simul, in princ. num. 9. & 10.*

Porro † ex legibus Atticis missis Athenas, aliasque Græciæ ciuitates, postquam etiam Romani iura sibi, hoc est, XII. Tab. leges condidere, *vt historia Liuiana testatur, decad. 1 libr. 3. & scribit Gell. lib. 17. noct. Attic. cap. 21. & prædidit Imp. Iustin. in l. 2 §. 1. de orig. iur.* etiam hi ab Atticis siue Græcis quasdam differentias sexus, agnationis atque cognationis didicerunt, atque in ordine succedendi legitimo obseruandas atque sequendas in tabulas suas retulerunt. 12

Ad † primum quidem ex lege XII. Tab. intestatorum hęreditates ad suos hæredes pertinebant. *Vlp. in fragm. tit. de legitim. hæred. in princ. Caius libr. secundo, Institut. tit. de intestat. hæred. in princip. Imp. Iustin. lib. 3. Institut. tit. de hæred. quæ defer. ab intest. §. 1. & §. item vetustas, 15. Cicero act. 3. in ver.* 13

Sui autem hæredes sunt veluti filius, filia, nepos neptisue, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modo fuerint, ex filio aut morte intercepto, aut alia qualibet ratione à patria potestate liberato, *§. sui autem, 2. Instit. de hæred. qual. & diff. §. 1. Instit. de hæred. quæ ab intest. defer.*

Qui

14 Qui vero † ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum, *vt loquitur Iustin. in §. vlt. Inst. de patr. potest.* ac proinde non tibi, sed patri quoque suo sui extabunt hæredes, *d. §. 2. Inst. de hæred. qual. & diff. & §. 2. Inst. de hæred. quæ defer. ab intest. & vtrobique* DD. quamuis aliter sentiat Mynsi. *in d. §. item vetustas, in princ. & sub verbis veteris suffragiis, d. l. per l. pen. C. de legit. hæred.*

15 Hinc † porro consequitur inter primi gradus liberos filios videlicet atque filias in ordine succedendi ab intestato, nullam sexus differentiam XII. Tab. legibus constitutam, eamque fœminarum fauore obliteratam fuisse: Cæterum inter liberos vlterioris gradus nepotes neptesque non æque, sed maiori ex masculis progenitorum fauore, nepotes neptesque ex filio tantum, itemq; pronepotes ac proneptes ex nepote filij prognatos prognatosque, & qui quæue deinceps ex virili linea absque sexu descendissent, ac suorum successionem admissos admissasque fuisse.

16 Adeo autem † Lex XII. Tabu. aduersus filiarum prolem stricto vtebatur iure, & proponebat filiorũ progeniem, excludebatque omnes qui quæue per fœminini sexus necessitudinẽ defuncto alicui iuncti iunctæue erant, vt non solum in linea descendenti, à suorum iure succedendi ex filia natos repulerit, sed etiã ne quidem inter matrem & filium eius, filiamue, vltro citroq; hæreditatis capiendæ ius dederit, sed vbicunque sui defuncto non extitere hæredes, proximos vocarit ipsius agnatos. *Vlpian. in fragm. d. t. de legit. hæred. § ad liberos, Iustin. Imp. in Inst. tit. de S.C. Tertyl. in prin.* Sic enim scriptum erat in tabulis. [Cui suus nec extabit hæres, agnatus proximus familiam eius habeto. *Vlp. d. t. de legit. hæred. in fin.*

17 Suis † ergo proxime postpositis agnatis, atque his omnibus cognatis præpositis, imo cognatis quibuscunque penitus à lege silentio præteritis: constat, nullam ex hac lege cognationis iure successionem ab intestato competijsse, imo cognatis etiam fiscum potiorem habitum fuisse, *prin. Insti. de succes. cognat. l. pronuntiatio, 195. § 1. de V.S. Viglius in præfat. comment. ad tit. Instit. de success. ab intest. nu. 13.*

18 Atque † hæc quidem sunt iura, quæ circa sexus agnationis & cognationis differentiam in successionibus legitimis XII. Tab. legibus erant disposita. omnia sane vnice ita constituta, quod cõmodius ita constitui iura visum erat vetustati, vt hæreditates ad masculos & agnatos magis, quam ad fœminas & cognatos confluerent, *vt ipse Iustinianus*

ſtinianus teſtatur in d.§.item vetuſtas,verſ.Diui autem Principes, &c.

Verum † neque hæc incorrecta manere plane, ſuumque per omnia obtinere vigorem diu potuere, ſed etiam fœminarum & cognatorum ſucceſſionum iura dilatari paulatim cœperunt. Quæ tamen vſque adeo tantum dilata fuere, vt quia maſculi non tantum veteris iuris, ſed etiam naturæ ſuffragijs quodammodo muniebantur, *vt loquitur Iuſtin.in d.§.item vetuſtas, verſic. Diui autem Principes, &c.* his ſemper aliquam in ſucceſſionibus prærogatiuam legumlatores reſeruauerint. 19

Sic † namque Prætor, quamuis etiam ex filia nepotes nepteſque, itemque ex nepte pronepotes proneptesque ſucceſſionum parentum inteſtatorum capaces fecerit, non tamē aliter eos quam cognatorum loco connumerans, poſt agnatorum lineam vocabat, tam in aui vel proaui materni quam in auiæ vel proauiæ ſucceſſionem, *d.§. item vetuſtas.* 20

Sic † quamuis etiam ex tranſuerſo fœminas ad inteſtatorum hæreditates iure lex Voconia admiſerit, non tamen alijs,niſi ex agnatis ſoli ſorori cōſanguinitatis iure ad agnatorum ſucceſſionem per eam patebat aditus, *d.§.cæterum, verſ.quod ad fœminas, &c.& verſ.quare etenim,&c.Vlp.in fragm.tit.26.Paul.lib.4.ſent.c.8.* 21

Et † quamuis poſtea Prætor etiam vlterioris gradus fœminas quā ſorores ad agnatorum bonorum poſſeſſionem ea parte admiſerit, qua proximitatis nomine bonorum poſſeſſionem pollicetur, nō tamen aliter,quam ſi neque agnatus vllus,neque proximior cognatus interueniſſet,admiſit, *d.§.cæterum,verſ.ſed quia ſane.* 22

Sic † quamuis etiam Diui Principes, Valentinianus ſcilicet Arcadius & Theodoſius ex fœminis & potiſſimum ex filia deſcendentibus,auxiliares manus in inteſtatorum ſucceſſionibus præbuerint,eoſque in pari cum prognatis ex filio gradu collocarint,non tamen aliter in matris vel auiæ locum ſuccedere eos cum maſculis & ex his prognatis, niſi cum tertiæ partis, eius, quam mater eorum habitura fuiſſet portionis,diminutione permiſerunt, adeoque trientem ſubductum accreſcere ex filio natis voluerunt, *d.§.item vetuſtas, verſic. Diui autem Principes,&c.l.ſi defunctus,C.de ſuis & legit. l.illam,19.C. de collat.* 23

Et † quamuis amplius ab ijſdem Principibus etiam ſoli ex filia nati ad auiaticam hæreditatem poſtea vocabantur; non tamen adhuc 24

agnati defuncti penitus excludebantur, sed quartam substantiæ partem sibi vendicabant, *§. vlt. in prin. Instit. de hæred. quæ defer. ab intest.*

25 Sic † denique quanquam Iustinianus Imperat. magis in fœminas propensus sanxiuerit omnes legitimas personas, hoc est, per virilem sexum descendentes, siue masculini siue fœminini sexus, simili modo ad iura successionis legitimæ ab intestato secundũ sui gradus prærogatiuam vocari, *d. §. cæterum, in fin. Inst. de legit. agnat. success. l. pen. C. de legit. hæred.* tamen differentiam agnationis & cognationis diutius perdurare, & plures quam vnum tãtummodo gradum à iure cognationis in legitimam successionem transferri voluit, vt videlicet, quẽadmodum fratris defuncti filius & filia ad successionẽ patrui sui vocantur, ita etiam Germanæ consanguineæ vel vterinę sororis defunctæ filius vel filia soli, & non deinceps personæ ad auunculi sui aditũ haberent, *§. hoc etiam addendum, 4. Inst. de legit. agnat. success. d. l. pen. §. in his itaque, C. de legit. hæred.*

26 Cæterum † minime hac correctione vel emendatione vetustatis mediæque Iurisprudentię circa sexus, itemque agnationis & cognationis differentias Imper. Iustinianus in fœminas magis atque magis propensus, esse sibi acquiescendum putauit; sed tandem omnem omnino sexus, agnationis atque cognationis differentiam, tam in testamẽtaria quam legitima successione funditus eradicauit atque sustulit. Et in testamentaria quidem successione, simplex ac simile ius & in filijs & in cæterijs descendentibus per virilem personis introduxit, vt omnes siue etiam sui vel emancipati sint, vel hæredes à parentibus instituantur, vel nominatim exhæredentur, & eundem habeant effectum circa parentum suorum infirmandã, & hæreditatem auferendam, quem filij sui siue emancipati habent, etiam filiæ, siue suæ siue emancipatæ, § *sed hæc quidem vetustas, 5. Instit. de exhered. liber. l. maximum vitium, 4. C. de liber. præter.* In legitima vero successione nouissime constituit, neque in descendenti, neque in ascendẽti, nec denique collaterali linea sexus, atque in hac porro nec agnationis atque cognationis differentiam vllam obseruandã, sed vacare omnem præcepit, *in Nouell. 118. cap. 3.* Ex qua quidem vnica posthac antiquioribus legibus de successione legitima diuersis atque varijs omnibus vacantibus, successionum causas ab intestato dijudicandas atque dirimendas nobis reliquit, ac etiamnum eius iuxta tenorem, pleræque hodie dijudicantur ac dirimantur.

Adeo

Adeo † vero Iustinianus Imper. hac sua constitutione, forte quod 27
voluit assequi, ac nimirum omnem vlteriorē circa successiones iuris præscindere dubietatem, & tollere iniquitatis suspicionem non potuit, vt dum inæqualia inter masculos & fœminas, agnatos & cognatos succedendi iura, tanquam duriora, deinceps oblite rāda, vicissim vero æqualia inter omnes & masculos & fœminas agnatosque simul atque cognatos seruanda constituit, eo multis potius æquiora & vtiliora reiecisse; contra vero iniquiora & publice minus vtilia introduxisse videatur; ac proinde per inductam in successionibus æqualitatem inter vtrumque sexum, & omnes per masculos & fœminas cognatos, tot prope offensionem quot hominum gratiam promeritus appareat, atque summam vt videtur secutus æquitatem præstare omnibus nequiuerit.

Namque hanc exæquationem vtriusque sexus itemque agnatorū & cognatorum in successionibus æquo omnes vbique locorum animo tolerare diu minime potuerunt, sed sensim ab hac iterum recedere, paulatimque † ad veteris iuris redire differentias animis homi- 28
num insedit.

Quo quidem in proposito communi negotio non plebeiorum prima, sed magnatum, & in populo virorum Principum, Præillustrium & Nobilium familiarum ausa præcipua, eaque tanto iustitiæ & vtilitatis prætextu subnixa, tentata atque etiam obtenta demum fuere, vt publica vrgente necessitate pristina successionum iura recipienda plerisque persuasa ea, recepta atque in vsum reuocata, denuo à multis passim familijs ciuitatibus, populis atque Regibus, imo etiam non semel ab ipso Imperatore Romano approbata & confirmata fuerint.

Siue † enim ad Gentes illas antiquas à Iustiniani temporibus flo- 29
rentissimas, Longobardos puta vel Alemannos, Saxones, Francos, Gallos & Burgundiones recurramus, historiarum monumenta nos edocent, earum successionum ordines atque leges à Iustinianeis lōge diuersas, antiquioribus vero quibus masculi fœminis itemque agnati cognatis præferebantur, simillimas fuisse.

Siue † etiam ad recentioris hodiernique seculi regna, populos, ci- 30
uitates, ac singulas prope familias, quę clariori nobilitatis splendore præfulgent, oculos cōuertimus, & earū quoq; successionū ꝓprias & singulares inspiciamus leges, has quoq; vetustatē sapere, & ita nimi-

rum cõstitutas videmus, vt plerunque ad masculos magis quam fœminas, agnatos vt plurimum non cognatos hæreditates deuoluantur atque confluant.

31 Nam † masculos apud Alemannos potiores in successionibus fuisse quam fœminas, haud obscure ex veteri illorum lege, tempore Clotharij Regis lata colligitur, ex eius singulari capitulo siue titulo, qui habet de hæreditatibus duarum sororum, quæ absque fratribus post mortem patris relictæ sint. Sed & apud Saxones expressa lege sic cautum erat: [Pater aut mater defuncti filijs non filiæ hæreditatem relinquant, *sub l. 39.* Item: Qui defunctus non filijs, sed filias reliquerit, ad eas omnis hæreditas pertineat, *sub l. 42.* Et rursum. Qui filium aut filiam genuerit, & filius vxore ducta filium genuerit, & mortuus fuerit, hæreditas patris ad filium filij, id est, ad nepotem, nõ

32 filiam pertineat.] Atque † eiusdem tenoris legem etiam Theodoricus Francorum Rex subiectæ sibi Ripuariorum genti præscripsit, quæ extat in fasciculo legum Ripuariorum, *sub tit. de Alodibus, 58. §. 5. his verbis.* Sed dum virilis sexus extiterit, fœmina in auiaticam hæreditatem non succedat. In Salica quoque Gallorum lege masculis scriptum sancitumque videre est.

33 De terra † vero Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terræ hæreditas pertineat, *sub tit. de Alode. 62. in fine.*

34 Similem denique † gloriosissimum Burgundionum Gundebaldum Regem hanc antiquitus legem tulisse legimus. Inter Burgundiones id volumus custodiri, vt si quis filium non reliquerit, in loco filij filia, in patris matrisue hæreditate succedat, *sub titul. de success. & sanctimonialib. §. 1.*

Quam quidem masculorum prærogatiuam non in descendentibus tantum, sed etiam ex transuersorum venientibus agnatis Burgundiones strenuo vsu ac obseruantia etiam in posteros suos in hũc vsque diem deriuarunt, atque in consuetudines suas retulerunt, vti videre est in consuetudinibus Burgundiæ, *sub tit. de success. 7. §. fœminæ 12. in prin. & alibi passim tit. eod.* atq; ibidem in commentarijs gloriosissimi Gallorum I Cti Bartholomæi Chassanæi: vbi idem ius in Comitatu Niuernensi in Ducatu Borbonij & Aluerniæ vsu frequẽtari scribit.

35 Neq; † vero in Burgundia tantum hæc cõsuetudo viget, sed similiter

liter etiam in Siciliæ regno ab Imperatore Friderico constitutum est,ne videlicet fœminæ cum masculis ad successionum iura admittantur,sed hæ ab illis si extent, repellantur, quæ constitutio extat in lib. constitut. Regni Siciliæ,& incip. [In aliquibus regni nostri partibus,&c.] atque ex ea haud obscure colligitur, etiam Longobardorum a paterna successione filiam per filium exclusam fuisse, vt ad eam in comment.not. Andreas de Isern. & Matth. de Afflict. *in decis.158.pr.*

Similia porro iura, leges, consuetudines atque statuta masculis atque agnatis extantibus fœminas atque cognatos excludentia: his 36
vero de dotibus saltem medicis prospicientia, dudum iam per vniuersam Italiam,atque Galliam pullularunt, quin imo per maximam prope dixerim, orbis partem hodie quoq; pullulanti florent atque vigent,*vti testantur Laur. de Palat. in comment. de his statut. scriptis ad §. cæterum, Inst. de success. agnat. in præmio. Albert. Brunus in tract. singulari super ijsdem statut. in pr. Georg. Natta in Repet. c. quamuis de pact. in 6. part. vltima, Bald. in d l. maximum vitium 4. C. de lib. præter. Guilhel. Benedict. in repet. c. Raynutius verb. duas habens filias, n. 126.*

Atque † in specie de eiusmodi statutis in plerisque Italiæ & Gal- 37
liæ Respub. siue politijs inductis, sæpissime super eorum incidentibus controuersijs consulti, testes sunt locupletes in suis responsis vtriusque & Gallorum & Italiorum nationis præclarissimi Iurisconsulti: in primis Menochius,& Cephalus & Philippus Iacob. Portius,
qui simile statutum non tantum in præcipuis † Italiæ ciuitatibus 38
nominatim Florentina & † Imolensi, *in cons. 179. num. 14. & seqq.* 39
Vincentina † *in cons. 97. n. 5.* Bononiensi † *in cons. 183. n. 2.* Brixinen- 40 41
si, *in cons. 13. nu. 9.* sed etiam in tota Italia atque Gallia receptum esse testatur, *in cons. 116. n. 5.*

De † Patauina vero Reipub. sigillatim scribit in ea,neque ex te- 42
stamento fœminas extantibus masculis succedere posse,idq; expresse Patauinorum iure cautum esse, *sub rubric. de success. mulier.* quod quidem ipse consultus seruandum esse respondit, non tantum quādo liberi succedunt, verum etiam quando parentes ad liberorum veniunt successiones, *in cons. 6. n. 5. & cons. 131.*

Similem † quoque consuetudinem nominatim Parisijs atque in alijs Gallicæ ciuitatibus vigere scribit Benedict. *in d. ca. Raynutius, d. loco.*

44 Sed † & in Anglia atque Scotia iure in ſucceſſionibus ſexus maſculino magis quam fœminino,& plus agnatis quam cognatis fauorabili vtuntur, iure videlicet primogenituræ, quod inde paulatim ſerpens latius etiam in vicina regna,& nonnullas Franciæ atque Italiæ partes irrepſit.

45 In † Dania quoque olim ſucceſſionum leges fœminarum longe inæquales,deterioreſque erant marium,quas tamen posteaRex Ze-
46 notto, Haraldi patris oppreſſor filius exæquauit: quod † qua nam percitus cauſa fecerit, non pœnitet memorabilem facti hiſtoriam ex Alb. Crantzio, *lib. 2. VVandaliæ c.* 33. repetere: Regem itaque Zenottonem indicentem quandoque Wandalis bellum, ab his in pugna nauali captum, & in Wandaliam abductum, nec ſine graui ære perſoluto redemptum,contingit.

Is reuerſus ad ſuos, priſtina bella renouat, ſed eadem illum, quæ prius fortuna,vindicante Deo ante patrati parricidij iniuriam,inſequitur; ſecundoq; capitur.

Porro domum, exinanitis priſtina redemptione regni theſauris, non auro,ſed vadibus ex primorum in regno procerum filijs obſidibus datis redemptus,denuo regreſſus: tertio quoque primam, atque ſecundam belli ſortem hoc ab hoſte circumuentus ſtratagemate experitur. Iam enim cautior futurus, dum omnia diligenter colluſtrat,ac nocturnis claſſem vigilijs circumductis, ſcaphis veluti caſtra circuiri iuſſit,hanc Regis diligentiam, videntes Wandali ex tēpore conſilium mutuantur,ac nimirum quidam ex eis promptiores & Danicæ linguæ peritiores,vbi Danicæ vigiliæ iam ad quietem rediêre,ſub orituram mox lucem,inſcenſa nauicula prætoriam Regis nauem regios ſeſe vigiles aſſimulantes, adeunt ipſiuſque Regis colloquium,velut magnæ opportunitatis rem allaturi,depoſcunt. Rex ſuos excubitores eſſe credens, nihilq; inſidiarum veritus e naui caput protulit,ſibiq; loquente quod haberet ſecretum in aurem dictare ſe velle,admonēte,etiam admoturus aurē pectoretenus ad ipſum inclinans, mox raptus in ſcapham & ore occluſo tacito remigio a Wandalis Iulinum perductus eſt. Vbi cum tertiæ redemptionis impendia,vocato ærario atq; obſidibus pridem obligatis,alia nulla circumſpiciebantur reliqua, demum fœminæ locupletes in regno, regiam commiſeratæ ſortem, de ſuis ornamentis aurum & cleinodia omnemque ſuum mundum muliebrem contulerunt, denuo ſuum

Re-

Regem vt redimerent,ſaluumq; recuperarent. Qua pietate iam redemptus Rex commonitus in remunerationem eius Legem de ſucceſſione fœminarum (quæ pridem illis iniqua, vt videbatur, erat) maribus exæquauit.

Verum † neq; hęc apud Danos marium & fœminarum in ſucceſ- 47
ſionibus exæquatio in vno eodemq; vigore ſemper manſit,atq; etiā 48
hodie in ſucceſſionibus Danico iure triente potior maſculorum quā
fœminarum,in harum & illorum concurſu,effecta eſt.Sed† extero- 49
rum legibus atq; moribus relictis,vt ad Germaniæ noſtrę & Germano Romani Imperij iura demum redeamus etiam nos ciues Romani,in Germania degentes,in ſucceſſionibus vetuſtatis Rom.veſtigia repetimus,& quia commodius ita nobis conſtitui jura videntur, vt ad maſculos potius quam fœminas hæreditates confluant, ad ius illud vetus,quo maſculo fœminis atq; agnati cognatis in ſucceſſionibus præponebantur non per ſtatuta tantum & conſuetudines, ſed etiam atq; vt plurimum per priuilegia, per pacta atq; conuentiones diutino ab hinc vſu relabimur.

Nam † vt experientia edocemur,atq; ego quidem ipſe vidi in ali- 50
quibus Germaniæ,præcipue vero Saxoniæ ciuitatis,moribus filię filijs in parentum hæreditatibus vltro cedere ſolent : adeo quidem vt ſæpe etiam vnico fratri ſorores numero plures, modica contentæ dote, vniuerſam eamq; ampliſſimā hæreditatē, ſine vlla interpoſita conuentione aut reſeruatione relinquant, pureq; propriā omnē addicant.Statutis porro & priuilegijs differētias antiquitatis in ſucceſ-
ſionib.inter maſculos & fœminas,agnatos atq; cognatos fere † indu- 51
cere,ſolummodo ſolēt in Imperio, Principes,Comites,Barones,atque nobiles in ſuis quiq; familijs ſingularia,quæ plerunq; eum Imperatoria Maieſtatis ſcientia & impetrata indulgentia indultoq; priuilegio condere ſolent, adeoq; Imperatoria confirmatione vallari
procurant. Eiuſmodi † priuilegia ſe vidiſſe teſtantur Viglius Zui- 52
chemus,*in §.ſed hac quidem vetuſtas,5.n.3.in fi.Inſt.de exhared. liber.* & D.Mynſ.*in d.§.cæterum,n.10.inſt.de ſucceſſ.agnat*.atq; eiuſmodi familiaria gentilitiaq; ſtatuta immemoriali conſuetudine recepta eſſe,eaq; ab Impp.ſępius ſe confirmata meminiſſe ſcribit An.Gayl.*lib.*
2.pract.obſ.c.127.pr.Et ſic † in ſpecie confirmatata ſunt domeſtica & 53
familiaria iura in ſucceſ.Saxon.& Haſſor. a Carol. IV.& Sigiſmundo Imp.An.1370.& An. 1411.teſte Bodino,*lib.1.de Repub. c.2*. Ac ꝑ ijſdē

præ-

præclare per multas rationes haud adeo dudum in graui quadam Principum Imperij caula consuluerunt, *Zaſ conſ.1.vol.2.* Mynſ. *reſp. 49.decad.4. & in alia cauſa reſp.10 nu 39. & ſeqq. decad.1.* Hottom. *conſ.1. Carol.* Morin. *in præfat. conſ. in cauſa Catzenelenbogen, n.11. & ſeq.* Iaſ. de Mayn. Euerhard de Midelburgo. Iuriſconſ. Lauonienſes, *in conſiliis varijs Francofurti impreſſis, conſ.4.5.& 6.*

54 Deniq; atque vt plurimum pactis in Germania, etiam Imperatoris authoritate non interpoſita conuentis, ad veteres iuris, ſexus, itẽque agnationis &cognationis differentias in ſucceſſionibus frequẽtiſſimus regreſſus fit, pacto videlicet de ſuccedendo, & pacto de non
55 ſuccedendo ſiue hæreditatis renunciatione contra ius ciuile ſcriptum, quod nihil fere magis deteſtatur, hæc quam pacta.

56 Pacto de ſuccedendo, ita perſonæ nobiles atque illuſtres, quæ ſunt vnius eiuſdemque nominis, gentis ac familiæ inter ſe conuenire, atq; inuicem ſeſe obſtringere ſolent, vt vt quiſquis ex illis deceſſerit, extantibus quidem liberis, filiabus certa aſſignata dote excluſis, filij vel ex his in linea maſculina deſcendentes, maſculi ſoli: filijs vero non extantibus, ipſi agnati ſecundum gradus prærogatiuam inuicem ſibi, vtique tum quoque fœminis cum cognatis excluſis ſuccederent.

Quæ vero diuerſæ familiæ ſunt, hoc plerunque agunt, vt cui primo nominis ſui maſcula ſtirpe non relicta humanitus quid contingeret, in eius hæreditate ſuperſtes aut quos iſte ſui nominis maſculos reliquiſſet, conuentionales ex pacto ſucceſſores eſſent. Quemadmodum inter Auſtriæ & Bohemiæ gentiles conuentione cautum erat, vt alterius familiæ deficientis hæreditas alteri accreſceret, vti contigit. Atque hæc quidem pacta ſeu conuentiones vulgo con-
57 fraternitates, † atque idiomate noſtro *Erbaiunge* vocantur, nec minus atq; ſuperiora immemoriali ſimul atq; frequenti conſuetudine recepta atque confirmata a Gaylio, Zaſio, Mynſ. & cæteris Doctoribus modo allegatis, traduntur.

Cæterum pacto de non ſuccedendo ſolent fœminæ accepta congrua dote maſculorum fauore vel certæ alicui paternæ ſiue fraternę, &c. vel cuicunque obuenturæ alij ſibi hæreditati renuntiare, atque tum extantibus eam fratribus, vel agnatis maſculis relinquere, ſe ſu-
58 oſque ſucceſſores obſtringere. Quæ † quidem renunciationes, non ſolum per vniuerſam Germaniam, præcipue vero Saxoniam, Haſſiam,

am, Sueuiam, Bauariam & Franconiam; ſed etiam in Hiſpania & in nonnullis Galliæ & Italiæ ciuitatibus (in quibus ſcilicet ſupra dicta ſtatuta non vigent) ſunt vſitatiſſimæ, atque in his quidem etiam inter plebeios & infirmioris conditionis homines in vſu ſunt, cum in Germaniæ prouincijs ſimiliter vt pactum de ſuccedendo fere inter illuſtres atque nobiles perſonas tantum frequentari ſoleant. Vnde
† eſt, quod nec vbique iuramento eas confirmari neceſſe ſit, iuxta c 60
quamuis de pact. in 6. veluti Saxonico iure inceptum eſt, *lib. 2. Landt recht, act. 13. VVeſemb. conſ. 11. & 23.* de quibus renuntiationibus tractant ordinarie DD. *in l 3. C. de collat. l. fin. ff. de ſuis, & legit. l. ſtipulatio hoc modo, ff. de verb. oblig. pactum, quod dotali 15. & l. vlt. C. de inofficioſ. teſtam. & Canoniſtæ omnes, in d. c. quamuis, & latiſſime Fernan. Vaſq. in tract. de ſucceſſ. creat. §. 18. per tot. aliiſque paſſim.*

Atque hęc quidem tota fere de ſucceſſione teſtamentaria & legitima in allodijs (nam de feudis, in quibus prærogatiua maſculorum & agnatorum ſemper fuit regularis, alibi dicendi locus erit) circa differentias ſexus, nec non agnationis atque cognationis, earumque ſimul ambiguitatem, varietatem & inconſtantiam iuris, a tempore diuinæ, atque 12. Tab. legislatæ in hunc vſque diem hiſtoria eſt.

Quam ſane exactius perpendentem, non poteſt coniunctura fallere, habuiſſe tam veteres, quam recentiores legumlatores qui has differentias induxerunt, vrgentiſſimas cauſas, quibus eas commoti ſuaſerint atque dictitarint primum, promulgarint quoque atq; inter leges retulerint, ampliarint paulatim, atque inſuper coarctatas dilatarint; denique penitus obliteratas atque abrogatas de integro reſtituerint, atque in vſum denuo reuocauerint, cuſtodierint, ac hodierno quoque ſeculo acerrime propugnent. Sed cui tam ſimile mi-
nus vero videtur, † nimirum ipſo vſu exigente, & humanis neceſſi- 61
tatibus has differentias inuentas primum ac conſtitutas, exterminatas vero quaſi poſtliminio in ciuitatem reuocatas fuiſſe.

Cum enim Imper. Iuſtinianus eaſdem cum extremæ iniquitatis redarguitione funditus eradicauerit, *in d. l. maximum vitium, C. de lib. præter. & in d. Nouell. 118. cap. 3.* neque quiſquam contra Imperatorias conſtitutiones, quibus tanquam naturæ accuſatrices inhibitæ erant, facile eas denuo redintegrandas ſuadere, aut per expreſſam ſanctionem in priſtinum eas reſtituere vigorem pertentare auſus fuerit; non tamen potuerunt illæ adeo radicitus euelli, vt non

pullularint atque prosilierint iterum, & moribus passim in humanam societatem rursum irrepserint. Et primo quidem alibi sine vllo scripto, moribus sensim adeoque ipso vsu tacito consensu approbatæ & repetitæ, denique Imperatorijs constitutionibus per desuetudinem abrogatis, denuo confirmatæ, tum vero pedetentim etiam alibi scripto iure atq; statutis receptæ sint.

Vbi vero moribus vel statutis directo pristinum recuperare vigorem, vt in Germania, non potuerunt ibi fere per obliquum, per pacta videlicet atq; conuentiones, & supra dicta iura gentilitia, fraternitates & fœminarum renunciationes, plausibili iuris & æquitatis prætextu adornatæ, inoleuerint.

Quamobrem extra omnem dubitationis aleam positum est, quin veneranda vetustas, & huius nouissime quæ vestigijs institit, laudabilis posteritas, maxima suadente vtilitate & publica vrgente necessitate, ita commodius vt ad mares vt plurimum, non ad fœminas defunctorum bona peruenirent, successionum iura constitui & iudicarit atque constituerit.

62 Ex † aduerso vero neq; Imp. Iustinianum ius fœminarum, & cognatorum iuri masculorum atque agnatorum in successionibus sine apparentibus iustitiæ & æquitatis causis, per omnia exæquasse pu-
63 tes. Nam † & ipse sui dictarum differentiarum contemptus & abrogationis causas minime contemnendas, exq; ipsa natura deprom-
64 ptas passim suis constitutionib. inseruit, *vt in d. l. maximum vitium, & in §. sed hæc quidem vetustas, d. l. pen. C. de legit. hæred. Inst. de exhæred. lib. item, in §. item vetustas. Inst. de hæred. quæ deferuntur ab intest. & in §. cæterum, Inst. de succes. agnat. videre licet*. Adeo vero eas omnino iuri aduersari exclamat, vt non solum eas tanquam magna cum iniuria, ipsiusque naturæ accusatione, verum etiam sine vlla iusta & probabili ratione, contra omnem humanitatem & æquitatem, mamaximo cum antiquitatis vitio inductas, rursum exterminandas proscribat, *in d. l. maximum vitium, & dd. §§.*

Quocirca sunt vtriusque sectæ in hac controuersia, vtrum videlicet ad masculos magis quam ad fœminas, an vero pari similiq; iure ad omnes defunctorum deuolui successiones prestet? rationes haud dubiæ plures atque graues, quas exoptandum esset, omnes a legum-
65 latoribus expressas, nec in animo maxima sui parte retentas, quo eas ad nostram quoq; ætatem & præsentem Politiarum nostrarum statum accommodare facilius possemus. Sed

Sed nimirum non omnium (vt Iulianus testatur, *in l. non omnium* 66 *20. ff. de legibus*) quæ a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. Et ideo quoque (vt Neratius admonet, *in l. & ideo, 21 ff. de legibus.*) non omnium quæ constituta sunt, rationes inquiri oportet, quod alioquin multa ex his quæ certa semper fuerunt, subuerterentur: id quod circa has easdem differentias accidisse quodammodo videmus. Quamuis enim Imperator Iustinianus omnes eas penitus sustulerit, atq; insuper euidentissimis (vt videbantur) naturæ rationibus vetustatis opinionem de præferendis in successionibus masculis diluerit, tamen curiosius in eam indagante posteritate, iterũ vacillare homines super Iustinianea vetustatis emendatione cœpere, eiusque in dubium vocata æquitate, paulatim ab eo iure, quod Imp. Iustiniano æquius visum erat, iterum recesserunt. Vbi quidem 67 rursum sine admonitione prætermittendum † non est, minime eos ab eo iure recessisse, nisi vetustatis rationes longe Iustinianeis præpollere deprehendissent, sed neq; facile ad ius propter manifestam & notoriam iniquitatem Imperatoria sanctione abrogatum, relabi illis permissum fuisse. Quuandoquidem itaq; constat, hac in disputatione, an videlicet masculos atque agnatos fœminis atq; cognatis in successionibus præponere, an vero æquali iure censere omnes, sit æquius atque vtilius? ab vtraque parte tam potentes militare rationes, vt adhuc neutra pars alteri plane cesserit: neque Iustinianus vincere atq; sepelire vetustatem eiusq; asseclas, neque vetustas eiusdemque asseclæ, omnem Iustiniano sui iuris authoritatem præripere, & Iustiniani, & vetustatis iuribus circa has differentias inductis, † vna simulque etiamnum tam in Imperio Romano, quam in exteris Regnis iuxta se vigentibus, non est dubium eas valde neruosas, ma- 68 ximique ponderis esse, quæ disputationem hanc circa verum † & ęquum magis ambiguam intricatiorem atq; difficiliorem reddant. 69

Sed a proposito non absterret me difficultas, imo hanc quę comitantur hic, accingier ad negocium eius prouocat iucunditas, postulat vtilitas, vrget deniq; necessitas.

DISTRIBVTIO.

QVoniam hoc ſuper æquitate, vtilitate & neceſſitate differentiarū ſexus in ſucceſſionibus certamen, vtroque inuicem oppoſito ſexu, ac nimirum maribus & fœminis inter ſe pugnantibus eſt, inſtitutum, in duas id diſtinguere partes, quaſi oppoſitas concertantium acies viſum eſt. Et priori quidem acie ea proponere & protractare argumenta, quorū armorum inſtar minime ad ſuæ cauſæ defenſionem mulieres aduerſus viros vtuntur, poſteriori vero ea deducere argumenta, iiſque velut armis cauſam mulierum oppugnare, illarum contrarijs adoriri atque oppugnare propugnacula rationibus, atque inſuper quibus ſexus virilis ſuas in ſucceſſionibus prærogatiuas æquas, vtiles, & in Repub. bene conſtituta neceſſarias eſt tueri ſtabilire atque confirmare potis, ſplendidum argumentorum velut armaturæ apparatum producere. Acies ergo prima huius certaminis, quia muliebris pręcipue ſexus agmen, & ipſiuſque cauſæ momenta velut arma literaria continet, eam muliebrem dicere, ac ſimili ratione alteram, quia ea virilis præcipue ſexus aciem muliebri contrariam repræſentauit, Virilem eam appellare placuit. Proinde primum aciem muliebrem ſua ſtatione collocabimus, tum virilem quoque quaſi prouocatam ſuis inſtructam paratamque quaſi ad decertandum argumentis producemus.

CAPVT

CAPVT I.

Primò autoritate Imperatoris Iustiniani, & Iulij Pauli I. C. iniquissimi accusatores naturæ arguuntur, cur scilicet non omnes homines ea generarit masculos, vt ex quibus generētur non fiant? qui inter sexum distinguūt, & alius meliorem, alterius vero deteriorem, præcipue in successionibus, conditionem faciunt.

SVMMARIA.

1 *Differentia sexus, &c. secundum Iustin. natura & omni æquitati repugnant.*

2 *Nam primo naturam accusare videntur, quod non omnes homines masculos & nullas fœminas generet, vt ex quibus nascerentur, non fiant.*

3 *Imo etiam punire fœminas videntur saltem quod fœmina sine sua culpa, sed vitio naturæ natæ sint.*

4 *Naturam accusare non licet.*

5 *Non est puniendus qui nihil commisit.*

6 *Humanæ legis inuidia videtur, in bonis hisce terrenis æquale fœminis cum masculis ius non concedendi, quarum vsum nec ipse Deus illis denegat.*

7 *Ab initio Deus & marem & fœminam æquali conditione in Paradiso collocauit.*

8 *Tam fœminis quā masculis hæreditas cœlestis pretioso filij Dei sanguine redempta est.*

9 *Prima inobedientiæ, prima ingratitudo, prima impietas erga Deum à fœmineo ausu.*

10 *Posito, quod fœmina dignitate naturæ sit inferior mare, non tamen videtur in hæreditatibus caducis postponenda mari, quia nec Deus in hæreditate cœlesti postposuit.*

11 *Non naturam tantum, sed etiam Deum accusa, eique suam expro-*

brare creaturam videntur, qui mares fœminis præferunt.

12 *Mundi sapientia est digniorem masculum quam fœminam censere.*

13 *Mundana sapientia coram Deo stultitia.*

14 *Iulius Paulus antiquitatis subtilitatem circa differentias sexus in successionibus inviam iudicat.*

1 STatuta ergo siue consuetudines itemque pacta seu conuentiones iura siue antiqua siue noua, quibus filiæ siue dotatæ siue non dotatæ filijs postpositæ, ab omni reliqua hæreditate paterna vel etiam materna atque fraterna, vel quibus etiam penitus fœminæ, & ex his descendentes atque cognati ab alia quacunque hæreditate (prout sunt hodie olimque fuerunt, pro temporum & locorum varietate, etiam varie concepta) arcentur: masculi vero & ex his per lineam masculinam descendentes atque agnati vel soli in totam hæreditatem, vel potiori saltem parte vocātur: ex Iustiniani Imperatoris sententia naturæ omnique æquitati repugnant. Primo quidem ea, cuius iam sæpe miminimus, ex natura (vt videtur) deprompta ratione,
2 quod nimirum qui deterioris cōditionis † fœminas in successionibus quam masculos constituunt, quasi naturæ accusatores existere videantur, in eo videlicet ipsam hanc accusantes, quod non omnes homines masculos & nullas fœminas generarit, vt ex quibus generentur masculi, fœminæ scilicet non fiant, *l. maximum vitium*, *C. de lib. prater.*

3 Quin imo † non naturam ipsam tantum accusare eiusmodi legūlatores, sed etiam punire fœminas videntur. Punire autem videntur, non quod generationis suæ in sexu fœmineo factæ, culpæ sint participes cuius vtique omnis, omni procul dubio omnes fœminæ sunt expertes: sed quod ipsa natura, cui (vtpote hominis arbitrio exemptæ) imperare nec est genitor neque genetrix, neque genita potis, fœminas eas potius, quam masculos nasci voluerit ac ediderit, sed & ea ediderit cum causa & conditione, vt iuxta sexum masculinum & fœmininum immortalem manere & alterum alterius auxilio perpetuo egere, vnoque semoto atque sublato & alterum corrumpi, tolli atque perire necessarium ordinarit.

4 Punire † ergo videntur innocentem naturæ prolem propter naturæ veluti matris vitiosæ prolis editæ, peccatum. Naturam vero ream, vt omni facto excusatam habere cogimur, *l. fluminum, 24. princ. ff. de dam.*

ff.de dam.infec. ita quoque propter indignioris sexus generationem acausare eam minime possumus, *d.l.penul.C.de legit.hared.d.l.maximum vitium.* Vnde maxima † cum iniuria in fœminas ciuili iure cōstituitur pœna, quæ tamen nihil commiserunt, *argument.l.spurij,6.princ.ff.de decurionibus, tot.titul.de pœn.vt mox pluribus demonstrabimus.* 5

Atque hæc certe ratio, respectu naturalis solummodo æquitatis, nemini leuioris momenti videatur, aut si cui forte videtur, simul ille perpendat, quod cum res omnes natura creauerit propter hominem, & hominem tam fœminam quam masculum creare dignata est, † quæ humanæ legis inuidia sit, fœminis in hoc fragili seculo ad vitæ suæ sustentationem non æquale ius cum masculis in bonis hisce terrenis atque caducis concedere, quarum vsum ne quidem ipse Deus, naturæ rerumque conditor omnium ipsis denegauit, quin imo multa etiam maiora videlicet summum illud bonum in & cum futuro illo ac in æternum duraturo seculo, similiter in omne æuum duraturum, beatitudinem scilicet & gloriam cœlestem ex † æquo omnibus & masculis & fœminis communicare promisit. 6

Si † modo vt æque ipse creare dignatus est omnes, omnes etiam 7
æque pie creatorem suum agnoscant atque colant, *Matth.22.Marc.12.Luc.20.*

Porro quod magis est, ipsam hanc cœlestem & nunquam interituram beatitudinem, iam semel à primis nostris parentibus non sibi tantum, sed & nobis omni posteritati totique generi humano de- 8
perditam, denuo indistincte omnibus tam fœminis quam masculis vnigeniti filij sui pretiosissimo sanguine & acerbissimo crucis supplicio Deus omnium nostrum pater communis atque cœlestis redemptam voluit.

Cum itaque Deus hominem non minus fœminam quam masculum crearit, in Paradiso vtrumque collocarit, ad commune bonum, omniumque vsum communem, omnes crescere fructus, & nihil non, quod est aliquid, indistincte hominis gratia fecerit; denique quod summum est, quamuis fœmina post marem paima creata, sui creatoris, suæ creationis, suæque creaturæ dignitatis & eminentiæ, diuinæ denique in se collatæ benedictionis, omnium videlicet horum bonorum plane immemor, nefario scelere serpenti magis quam creatori suo obedierit, Dei atque Domini sui vnicū tātum

quod

quod ei, tanquam ad diuinæ Maiestatis suæ recognitionem atq; cultum dederat præceptum, inferioris quam ipse erat & subiectæ sibi creaturæ callidiori persuasioni postposuerit, ac nimirum de prohibito ligno vitæ fructum tulerit, commederit, & comedendum viro
9 quoq; † fregerit atque dederit, adeoque prima inobedientia, prima ingratitudo, prima impietas erga Deum primæ fœminæ execrando tentamine admissa, secunda vero quæ maris erat, ex eiusdem quoq; contaminanda mali, mala quæ contulit omnia mundo, porrectione profecta fuerit, omnia tamē hęc non respiciens in persona mulieris Deus, huius nō minus atque viri commiseratus, sexum simul vtrumque vt pariter ex Paradiso expulsum, ex solutis demum peccatis sola sibi grata & ad tantam molem peccatorum sufficient vnigeniti sui filij sanctissimi corporis hostia, in cruce immolata: pariter quoq; quasi de postliminio in id reuocare, & propter meritum Christi per fidē in gratiæ suę sinum recipere vtrumque dignatus fuerit, atque ad pristinam vitam Paradisi cœlestis, beatam & æternam, in illo gloriosissimo die cum gloria resurgentes omnes credentes redire & tāquam
10 suos † hæredes in Regno cœlesti id ex æquo omnes & mares & fœminas possidere voluerit, hæc omnia, inquam, Deus ipse cum circa hæreditatem cœlestem nunquam interituram disposuerit, & in ea nos liberos suos, fratres atque sorores in Christo fratre omnes non minus fœminas licet sorte primi lapsus nocentiores, quā marę s [hæredes vocauerit,] quo exemplo non contemptibili nos aliter circa nostra terrena atque caduca bona, a que Deo ipso quoque ad huius vitæ necessitatem, ad vsum omnium æqualem communicata, nobis disponere licet, & masculos quidem amplissimis hæreditatibus ditissimos reddere, fœminas vero omni prope successionis iure & facultatum subsidio exutas insuper in virorum abiectam seruitutem redigere?

11 Certe † hoc ipso, taceo naturam, sed Deum ipsum potius, naturam qui regit, accusare atque offendere videntur, has qui differentias inducunt.

Dum enim in fœminei sexus naturam, tanquam imbecilliorem, tam acriter inuehuntur & vix humanā agnoscunt, quid aliud agunt, quam Deo suam fœminei hominis creaturam, tanquam imperfectiorem & nominetenus non substantia hominē exprobant, ac proinde æquo quæ potiatur iure in rebus cum matre tanquam homine perfe-

perfectiore & digniori indignam iudicant. Quo porro dum adeo se extollit ipsum masculus, nec iuxta se creatam vitæ sociam, agnoscit ęque hominem, etiam Deum offendi quis negauerit? qui humanam pariter vtriusque sexus naturam, nec fœminam minus quam marem hominem condidit & hominis nomine vocauit, imo ex fœmina nō ex viro, non semine viri sed mulieris homo ipse nasci voluit. Quare
mundi est † illa legislatoris sapientia, quæ infirmiores atq; stultiores 12
Dei creaturas & ordinationes existimans, æquales cum masculis fœminas non homines agnoscit, ac proinde vetat æquali cum masculis fœminas in rebus iure potiri.

Verum † stultitia est mūdana sapientia coram Deo, quodque stul- 13
tum est Dei, id sapientius est hominibus, *1. Corinth. 1. & 3.*

Primum itaque cum propter naturæ, tum etiam ipsius Dei, quam eiusmodi sexus differentiæ continere videntur accusationem & offensionem, impiam hanc circa differentias sexus in successionibus antiquitatis subtilitatem, apertissime Iulius Paulus in ipso principio libri singularis ad S.C. Tertullianum docuisse videtur, quem & ideo
ipse Imperator † Iustinianus recte secutus, eandem subtilitatem, 14
veluti maximo antiquitatis vitio inductam, minimeque in societate humana tolerandam vigore suo destituere, & legis XII. Tabular. vnam consonantiam maris & fœminæ, non in linea tantum descendenti, sed etiam ascendenti atque collaterali in successionibus introducere, in Rempublicam reuocare non dedignatus est, *d.l. maximum v. tium. d.l. pen. cum simlib.*

CAPVT II.

Secundò eiusdem Imperatoris auctoritate proponitur, inique fœminas propter paternum vel potius naturæ vitium, ex quo fœminæ non masculi natæ sunt, puniri: ac nimirum eo solum, quod fœminæ natæ æquali successionis iure in hæreditatibus cum masculis priuari, quo tamen pri-

... nulla natiuitatis suæ culpa meruerint.

SVMMARIA.

1 *Non impias tantum sed etiam iniquas differentias sexus Imp. Iustinianus statuit.*
2 *Iniquum est innocentem prolem paterno vitio aggrauari.*
3 *Liberis tam fœminis quam masculis parentum successiones natura & commune parentum votum addicit.*
4 *Non sexu, sed virtutibus distinguendi & alij aliis praferendi sunt homines & magis honorandi.*
5 *Delictum ex proposito & voluntate æstimandum est & puniēdum.*
6 *Fœmina non suo vitio & voluntate in imbecilliori sexu, sed talis operante natura nascitur. Ergo ob id non punienda.*
7 *Vt luscus cæcus vel mutus editus vitiosæ natiuitatis suæ culpam non habet, ita nec fœmina debilioris sexus*
8 *Sine culpa nemo puniendus est.*
9 *Stoici liberos paterno vitio fœminas non mares nasci putant.*
10 *Innocenti soboli per patrem nocentem iniqua conditio inferri non debet.*
11 *Non debet commissa à filio ingratitudinis causa nocere nepoti grato in aui hæreditate.*
12 *Mater non iustè exhæredat filium odio patris illius, siue sui mariti.*
13 *Quamuis spuriorum parentes culpam contrahant, non tamen patris nota etiam filios spurios maculari conuenit.*
14 *Quanquam fœminæ parentum culpa tales nascerentur, non tamen essent propter eorum culpam puniendæ.*
15 *Grauis est pœna, ab ea hæreditate aliquem sine iusta causa excludere quam ei natura & commune parentum votum addicit.*
16 *Naturali equitate vix spuriis parentum suorum hæreditates auferri posse videtur.*
17 *Legitima natiuitas est meri iuris ciuilis.*

1 PORro non impias tātum diffurentias, sed etiam maxime iniquas Imper. Iustinianus statuit, vt modo quoqe attigimus, sed latius hic quoque exspaciari placet.

Etsi

Etsi † itaque, ita posito non concesso, generationem sexus fœminini, excusata natura, nec ea diuino adscripta arbitrio, solũmodo vitio paterno (si modo hoc vitium dicẽdum est) adscriberemus, adhuc 2
tamen † paterno vitio innocentem prolem aggrauari, & successionis iure, quod ipsi naturæ & commune parẽtum votum addicit, priuari, *l. 1. ff. de bon. dam. l. 7. ff. vnde lib. l. nam et si parentib. ff. de inoff. test.* iniquissimum esset, vt idem Imp. arguit, *in d. l. pen. C. de legit. hæred.* 3

Nam primum quidem hoc nos dare omnino necesse est, homines inter se ita demum recte conferri, aliosque alijs tanquam digniores prçferri, & maiores honores potioraque iura in republica tribui alijs quam alijs, si virtuti † conuenientius alij quam alij viuant & magis studeant. Hæc enim solummodo præeminẽtia quæ ex libero hominis arbitrio prouenit, aliquo decorando iuxta alios honore est, & priuilegio, quo plures ad virtutis studium excitẽtur & prouocentur. 4

Contra † vero illa demum iusta est hominis vitiosi accusatio & reprehensio, quam turpiter, inhoneste & flagitiose viuendo meretur, adeoq; cum insignem aliquam culpam, quam omittere alicui liberũ fuit (delictum enim nullum est, nisi sit voluntarium, vt scribit Ange. *in tract. de malef. ad verb. Et appensato quem refert & sequitur Soci. in cons. 123 licet materia duellaris, nu. 25. lib. 1. & dolose admittetur, Ias. in l. [illegible], nu. 2 no[illegible] ab C. de his qu[illegible]b. vt indig.*) is tamen petulanter admi[illegible] tum demũ iuste pœna decernitur, cuius metu alij à perniciosa i[illegible] arceantur, quemadmodum Philosophus 3. Ethicorum hoc [illegible] eleganter [illegible] atque deducit. 5

At † vero cum in concepti hominis potestate non constet, velitne masc[illegible] an fœmina nasci, sed si fœmina nascatur forte vitio paterno, vel potius nullius talem natura eam nasci volente & cooperãte, nata talis fuerit, quo iure talis natiuitas hominis in imbecilliori quem vocant, facta sexu damnosa ei ac fraudi vel vitio esse poterit? non minori cum iniuria certe, quam si quis vel luscus, vel mutus, vel cæcus in † hanc lucem prodeat; nam vt in nullo horum omnium mutilatç natiuitatis suæ, ita nec in fœmina vel minima culpa residet, propter quam aliter, atque illi quidem omnibus illæsi atque perfecti membris nati non fuerint; hæc vero mas potius quam fœmina edita non sit. 6 7

Eandem iniquitatem magis aliud huic proximum argumentum confirmat; sine merito namque & culpa nihil omnino cuiquã præ- 8

ſtandum eſt: vti Cicero *6. Epiſt. 1.* rectiſſime ſcripſit, vbi enim nulla ſubeſt culpa, ibi & pœnę nullus poteſt eſſe iure relictus locus, *dict. l. ſpurij 6. in princ. ff. de decur. l. aliud eſt fraus 131. ff. de verbor. ſign. l. ſancimus 22. prin. C. de pœnis, l. ab adminiſtratione 8. C. de l gat. l. res uxoris 24. C. de don. inter vir. & vxor. l. non debet, 74. & ibi Dec. nu. 2. c. ſine culpa, 23. & ibi Dyn. de reg. iur. in 6.*

9 Quin imo, † propius ad ipſam ſpeciem, vt accedamus, etſi forte, vt modo dixi, quis antiqua Stoicorum opinione ductus putet, eſſe hoc vitio paterno adſcribendum, quod videlicet liberi quandoque fœminę & non ſemper maſculi formentur, & procreentur, propterea tamen ipſi quidem patri ignoſcere, innocentem vero prolem cōdemnare iniquiſſimum iudiciū, expreſſo, ni fallor, & indubitato iure toties eſt deciſum, quoties iſtud ex ipſo æquitatis fonte hauſtum axioma in iure & verbis & ſenſu repetitū, & exemplis ſubinde & præiudicijs confirmatum legimus, non debere videlicet, aliquem alte-
10 rius † odio prægrauari, *cap. non debet, 20. de reg. iur. in 6. aut alteri per alterum iniquam conditionem inferri, l. non debet, 74 ff. de reg. iur. d. l. ſancimus, C. de pœnis, l. fin. §. ſin autem necdum, C de acquir. poſſ. l. tranſactione matris, C. de tranſact. l. ſeruus 5. & l filius 23. C. de pact. l. 1. ff. de al. iudic. mut. cauſ. facta, l. ſi filio, ff. de diuort. l. 1. §. de eo opere, ff. de aqua pluu. arcen. l. cohæredibus, C. fam. Erciſc. §. iuris præcepta, Inſt. de iuſt. & iur. c. denique, 14. q. 5.*

Nam iuxta hoc iuris axioma, ne quidem filium eſſe iniquitatis paternæ oneri ſubijciendum, ſæpiſſime ſummi iuris Antiſtites & reſponderunt & reſcripſerunt.

11 Sic † enim egregius legum vertex Vlpianus reſpondit, non debere commiſſam à patre defuncto ingratitudinis cauſam ſuperſtiti, atque grato nepoti in aui hæreditate nocere, *in l. non tantū, 3. §. ſi eman-*
12 *cipatus, 5. ff. de poſſ. bon. cont. tab. Cuia. 3. obſ. 5. & Dyn. Muxell.* † *in d. c. non debet, nu. 2. 3. &* 4. Et ſimiliter matrem non iuſte exhæredare filium odio mariti patris, exploſa Iulij Pauli contraria ſententia tanquā iniqua pie Imper. Iuſtinianus ſanciuit, *in l. ſi quis in ſuo, 33. §. legis autem veteris, C. de inoff. teſtam.*

13 Sic deniq; † quamuis parentes qui ſpurios minime legitime procreant, culpam illi quidem contrahant, *l. fin. C. de nat. lib. §. vlt. Inſtit. de nupt.* Contra tamen patris nota filium maculari non debere diſerte Papinianus concludit, cui ſententiæ non dedignatur ſubſcribere

etiam

etiam Vlpianus, *in l. 2. §. in ano quoque 3. ff. de decurion. l. crimen 26. ff. de pœnis.*

Quocirca † cum liberis illegitimis patris nocere delictũ, ac spurijs quod patris culpa non iure sunt nati, in iure pœnam infligi summa iniquitas non patiatur, *d. l. crimen, & similibus*, quanto magis fœminæ, si parentum vitio tales has verum esset nasci, ne quam propter delictum patris iniuriam pati, suæque culpabilis in patre natiuitatis pœnam subire cogantur, tuendæ sunt, *arg. text. in l. vlt. iunct. glos. & ijs, quæ tradit ibid. Ioan. de Platea, C. qui ætate, lib. 10. & text. in l. 3. C. de condict. indeb. in l. si quando, C. de test. b. l. non singuli, C. si cert. petat. in auth. si magis, C. de SS. Eccles. & multorum similium, quos congessit Euerhar. in top. leg. loco a minori ad maius & seq.* 14

Atqui † certe pœna grauissima est, fœminam ab ea hæreditate velut indignam ea, excludere, quam non naturæ tantum, sed etiam cõmune parentum votum illi addicit, *d. l. cum ratio 7. ff. de bon. damn. l. nam etsi parentibus, 15. ff. de inoffi. testam.* nec alias iura cuiquam sine legitima & euidenti admissa culpa adimunt, *l. 1. l. Lucius Titius. ff. de iure fisci, d. l. cum ratio, in fi. de bon. damn. l. Papinianus, §. meminisse, ff. de inoff. testam. l. quidam, 30. §. fin. & ll. seq. ff. de don. tot. tit. ff. & C. de his, quæ vt indign. auf. & vtrobiq; DD. Schurff. cons. 41. & 43. cent. 1.* 15

Ec quis ergo pœnam hanc leuiter in fœminis contra ius & æquũ, contra commune parentum votum, ipsam denique contra naturam saltem quod innocenter paterno vitio (si modo hoc vitium est,) fœminæ natæ sunt, approbauerit; cum tamen ne spurijs quidem, longe euidentiori, eoq; turpissimo patris vitio talibus natis hoc nomine pœnam aliquam irrogari, æquum boni & æqui notitiam, qui profitentur, pronunciarint, nisi vnicus Iul. Paulus, teste Iustiniano, *in d. l. si quis in suo, C. de inoff. testam.* quem tamen hoc nomine, tanquam iniquum, reprehendit?

Qua ratione prope est, vt non etiam spurijs naturalium parentũ suorum hæreditatem contra commune parentum & naturę votum legibus auferri, *tot. tit. C. de nat. lib. Nou. 19.* dixerim. Et certe quo casu cum liberis legitimis non concurrunt, saltem quoad naturalem æquitatem hoc esse verissimum videtur. Neq; enim hi alio nisi parentum, nullo naturæ impedimento illegitimi nascuntur, Cur ergo natura minus hos liberos quam legitimos agnoscat, nec minus suo voto his quam legitimis liberis parentum defunctorum bona propria 16 17

 addi-

addicat, cum legitima natiuitas meri sit iuris ciuilis, *tot. tit ff. C. & te- stib. desponsalib. & nuptiis*, qꝑ ciuilia quidem iura corrumpere atq; immutare potest, naturalia vero non vtiq;, vt dicit Imp. Iustin. *in §. vlt. Inst. de legit. agnat. tut.* Vix est certe firma in promptu hic quam reddere possis rationem, nec ego facile credo, parẽtes liberos suos quãuis illegitimos a latere cognatis in successionibus suis præposituros, si per leges aliter disponere liceret, & illi sine rubore tum turpitudinis suæ præcones fratres & sorores, aliosue cognatos ferre possent: sed alia est causa, qua hæc iniquitatis suspicio iuris erga spurios diluitur, & ad æquitatem manifestam redigitur, de qua alibi videre potes. Atq; hæc de secunda quoq; ratione sufficiant, sequitur tertia.

CAPVT III.

Tertio ex eiusdem Imperatoris sententia plane inhumanum esse, non æquo iure fœminas cum masculis in successionibus admitti, inde arguitur, quod vterq; sexus in generis humani conseruatione simili naturę officio fungitur, nec minorem mulier quam vir, imo hæc præcipuam & maximo cum periculo coniunctam in hominis generatione operam confert.

SVMMARIA.

1 *Inhumanum videtur, potiori iure in successionibus frui masculos quam fœminas, cum vterq; sexus simili naturæ officio in humani generis conseruatione fungatur.*

2 *Ad constituendam ciuitatem primum est requisitum maris & fœminæ coniunctio.*

3 *Sine fœmina totum genus humanum deperire necesse esset.*

4 *Secundum Galenum in generatione hominis, præstantior est opera matris quam patris.*

5 *Muliebre semen est materia & nutrimentum fœtus, secundũ eundẽ.*

6 *Hinc plerumq; liberi matribus, non patribus sunt similes.*

7 *Natura similitudo suum arguit, sicut dissimilitudo non suum.*

8 *Quando patri filius est similior, ex eius præcipue semine natus præ-*

sumitur.

9 *Similitudo patris in prole testis est materna pudicitia, secũdum Martialem.*

10 *Laudantur simili prole puerpera, Horat.*

11 *De eadem re insignis Virgilij locus.*

12 *Amor maternus quoq; erga liberos eos arguit ex suo potius, quam ex patris sanguine natos.*

13 *Conjectura Salomonis.*

14 *Liberi quoq; plus diligunt matres quam patres.*

15 *Plerumq; matres plus indulgent liberis quam patres.*

16 *Amoris naturalis erga liberos maxima vis est in matribus, quoniam & magno constitit illis, & certior partus est.*

17 *Matres amant vehementius, patres autem constantius.*

18 *Matres plerumq; filiis in peccatis adiutrices.*

19 *Amor maternus etiam in auias deriuatur,*

20 *Fœminæ in successionibus vel etiam propter partus periculum maribus magis præferendæ quam postponendæ videntur.*

21 *Secundum naturam qui sentit onus, idem sentit ex eo commodum.*

TErtio † inhumanum plane videbatur Imp. Iustin. meliori mares 1
quam fœminas in successionib. iure potiri, q; vtraq; persona & & mas & fœmina simili naturæ officio in hominum procreatione, ac proinde in generis humani conseruatione & propagatione fungatur, *d. l. pen. C. de legit. hæred. d. §. sed hæc quidem vetustas, 15. instit. de exhæred. lib. d. l. maximũ vitiũ, C de lib. præter.* Nam ita vt est dictum, natura est comparatum, vt mas fœmina æque atq; fœmina mare hoc in opere indigeat, neq; masculus ipse in se, neq; fœmina solũ ad natiuitatis propagationẽ sufficiens esse possit, *vt loquitur idem Imp. Iust. in Nou. 18. c. 4. in fi. pr.* Quamobrem vt ad constituendam ciuitatẽ siue ciuilẽ aliquam inter homines cõmunitatem hominũ procreandorum causa, primũ † atq; præcipuũ est requisitum, maris & fœminæ 2
copulatio, vt docet Philosoph. *1. Pol. 1.* ita quoq; mare fœmina destituto, & contra fœmina destituta mare, non ipsum marem tantũ vel 3
fœminã solum corrumpi atq; tolli, sed consequenter etiã totũ genus humanũ deperire atq; extingui necesse esset, *d. l. pen. cum simil.*

Hanc porro fœminæ operam in generis humani propagatione 4
necessariam, adeo Galenus extollit, vt plus filium in procuratione a matre quam a patre accipere, nec aliter sperma hominis (vt ipsi aiunt

iunt) quam fidem ad citharam hoc est, quam instrumentum ad materiam esse existimet, *vt refert Soc. in cons. 1. col. 1. ver. cum ergo, vol. 1.*

5 Quin † imo, vt idem Gallenus *2. de spermate* voluisse videtur, muliebre semen est materia & nutrimẽtum fœtus, viri autem minime, quod illi quodammodo vt accidens substantiæ ingrediatur.

Quæ quidem Galeni sententia non similitudinis tantum, sed amoris etiam coniectura non nihil probari videtur. Nam † primo cum plurimi liberi matribus, patribus vero perpauci sint similes, plerumque etiam præcipuum matris & munus atq; semen in generatione esse non sine ratione conijcitur.

7 Ita namq; naturali lege comparatum videtur, vt simile sibi vnumquodque generet, simile natura exigat, suumque arguat similitudo, sicut dissimilitudo non suum arguit: quemadmodum hoc in animalibus omnibus atque plantis ea accidere videmus, vt ita non immerito Fauorinus insignis Philosopus apud Gellium, *lib. 12. ca. 1.* existimauerit ad fingendas formas animi similitudinem naturam & vim seminis plurimum valere. Cui ergo similius est generatum, ex eius quoque sanguine siue semine potissimum conflatum esse, vero non adeo est dissimile.

8 Quapropter cum plerumq; matribus filij & raro patribus similes sint, etiam ex matris potissimum semine eos nasci coniecturatim colligitur.

Quemadmodum † etiam ex aduerso, cum patri filius similis est, ille eius genitor præcipuus præsumitur, quam conclusionem plures DD. sequuntur, *Iacob de Beluis. in l. 1. C. quor. bon. quem refert Bar. in l. Gallus, pr. ff. de lib. & posth. & sequitur Franc. Marc. in decis. 457. n. 6. vol. 2. & eandẽ tenet gl. in l. quod si nolit, §. si manci. ff. de adil. edict. dũ ait:*

Sape solet filius similis esse patri.

9 Cui † etiam lepide Martialis succinit,

Et tibi qua patris signantur imagine vultus,
Testis materna nota pudicitia.

Et Horatius in Odis ad Augustum.

Culpam matris fides
Nullis polluitur casta domus stupris.
Mos & lex masculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerpera.

10 Nec † minus elegans illa Didonis apud Virgil. querela Æneid. 4.

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset.
Ante fugam soboles: si quis mihi paruulus aula.
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.

Deinde † vero etiã ex amoris coniectura, ex materno potissimum 12
sanguine fœtum confluere atque coalescere videtur. Quo magis enim suum in prole sanguinem quisque sentit, eo magis etiam amat, & quo magis quisque amat, eo magis ipsius sanguinis quoque proles præsumitur, vti per plura deducit Ioan. Baptista Asinius *in praxi iudic. parte 2. c. 16.*

Quæ † coniectura sapientissimi Salomonis est, corã quo cum a 13
nulla partium arrogatæ sibi filiationis ius probari poterat, atque ille diuidendæ prolis arbitrium tulisset, ea demum mulier vera ac naturalis mater, quæ diuisionem recusauit, deprehensa fuit, *cap. afferte ex de præsumpt.*

Sed † certe, vt liberi quique plus in matres quam in patres affecti, 14
ac patrem quidem diligere, matrem vero solam amare videntur, ita quoque matres plerumque delicatius liberos tractant, plus æquo il 15
lis indulgent, atque vnicos in delicijs habent, non ex fauoris necessitate, sed pio amore naturæ circa filios, vt testatur Imp. Iustinianus in *Nou. 94. cap. 1.* Cuius † quidem amoris naturalis maximam vim esse 16
in matribus B. Bernhardus ait, quoniam nimirum & magno constitit illis & certior partus est. Cui † etiam ex nostris multi subscribũt, 17
qui vehementius matres diligere, patres vero constantius arbitrantur, vti Ioan. de Lignano, *in libello de amicitia, quæst. quis magis diligat? fol. 12. col. 3.* Anton. Vacun. *in l. 3. ad fin. ff. de his qui sunt sui, &c. quos refert Arius Pinellus, in rubr. Cod. de bon. mat. part. 2. n. 12. in fi. & sequitur Petrus Godofredus in dialogo de amoribus, lib. 8. c. 8. fol. 79.*

Atque † huc pertinet quod Terentius in Heauton: dicit 18

Matres omnes filiis
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria solent esse.

Tanta † vero huius amoris materni vis est erga filios, vt non solũ 19
in matribus ille se contineat, sed latius etiam in auias vigorem suum extendat. Nam vt Erasmus scribit: auiæ quoque indulgentius nepotes habere, atque interdum plusquam ipse matres amare solent, quod etiam innuit Satyricus, quando inquit.

Ecce auia, aut metuens diuum matertera, cuius.
Eximit puerum, frontemq; atq; vda labella,

E *Infa-*

Infamia digito & lustralibus ante salinis.
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto.
Nunc licini in campos, nunc Grassi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina, puella
Hunc rapiant, quicquid calcauerit hic, rosa fiat.

Videtur itaq; ex hactenus dictis præcipuam & operã & materiam in generatione hominis communicare non virum sed mulierem.

20 Huic † porro accedit (quod mirum est Iustinianum silentio prę-terijsse) quod nimirum non tantum simili naturæ officio & mares & fœminæ, vel potius hæ præcipue in ipsa generatione fungantur, sed etiam, cum iam edi maturus vrget in vtero fœtus, matri pariendi onus, omnium maximo cum dolore, & cum præsenti vitæ periculo coniunctum incumbat. Quam tamen rationem ponderauit idem Iustinianus alibi, quando inquit, quis enim non misereatur earum, propter obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem, pro quibus multa legibus nostris inuenta sunt priuilegia, *vt in l. assiduis 12. C. qui pot. in pign.* Taceo summam in educatione sobolis matris anxiam, curam & solicitudinem, labores & molestias, grauamina plurima, quibus omnibus pater est exoneratus, suumque in generis humani conseruatione, omne prope munus non nisi mera cum voluptate & forte cum voluptate omnium iucundissima subit.

Quocirca si (vt Iustiniano videtur) ratione naturali in hominis procreatione vtriusque sexus æqualis aut inæqualis officij in successionibus vel æquale vtrique, vel ei cuius præstantissimum opus est, præcipuum ius est decernendum, est sane fœmineo, si non amplius quam masculino, æquale tamen omni procul dubio concedendum. Nam secundum naturam est, vt qui sentit onus, idem commodum

21 quoque † sentiat, *l. secundum naturam, 10. & ibi Dec. ff. de R. I. c. qui sentit 55. & ibi Dynus in post perfectam, Cod. de pericul. & commod. rei vend. l. id quod post, ff. eod. §. cum autem 3. verſ. nam & commodum, Inst. de empt. & vend. tit. Inst. & ibi DD. de legitima patron. tutela.* Vt igitur Deus vtrumque masculum & fœminam copulauit, ita etiam eandem vtrisque ęqualitatem seruandam Iustiniani sententia fuit, *in d. nou. 18. c. 4. in fin. prin.* Hæc de ratione tertia.

CAPVT

CAPVT IV.

Quarto eiusd m Imperatoris ratione, velut iniquum tractatur, masculos quidem succedere fœminis, fœminas autem in successionibus masculorum non eodem similiq; iure gaudere.

SVMMARIA.

1 *Iniquum est masculos quidem succedere fœminis, at non æque fœminas etiam maribus.*

2 *Prætor tanquam æquitatis custos, tam masculis quam fœminis bonorum possessiones dedit.*

3 *Summa æquitate edicit Prætor, vt quod quisq; in alterius persona æquum esse crediderit, id etiam in sua persona vt æquum valere patiatur.*

4 *Lex talionis cõseruat ciuitates, amicos amicis, vrbes vrbib. cõciliat.*

QVarta & vltima ratio, qua Iustinianus Imperator differentias sexus in successionibus tanquam iniquas, existimauit æquiparandas, fuit nimirum, quod maxima iniuria per eas mulieribus inferatur, dum non permittitur eodem illis iure in masculorum hæreditatibus frui, quo ipsis in suis sine illarum impedimento libere frui cõceditur. Cum enim (inquit) & ad ipsarum mulierum successionem masculi iure agnationis vocentur, quis patiatur earum quidem hæreditatem ad eos legitimo iure deferri, ipsis vero nec inuicem sibi, nec masculis eodem iure posse succedere, *d l.pen.C.de legit. hæred.* 1

Qua † ratione etiam Prætor strenuus æquitatis custos commotus non tantum bonorum possessionem contra tabulas, sed etiam quam ab intestato venientibus dare solebat fœminis atq; masculis & in superiori & inferiori ordine, quin etiam ex transuerso cognatis dedit, *tot.tit.ff.de bon.poss.cont.tab. & tot. tit. si tab. test. non extab. l. 1.ff. de gradib.l.2.§. hæc autem, ibi, nec tantum masculi hanc bonorum possessionem accipere possunt, sed etiam fœmina.ff.vnde legitimi & testatur ipse Iustinianus, in d.l. maximum vitium, & d.§. sed hæc quidem vetustas, d.l.pen.d.§.cæterum.* 2

3 Æquum enim esse putauit Prætor, quod in fœminarum hæreditatibus iuris habent masculi, idem in masculorum hereditatibus cōcedere quoque fœminis, iuxta quod statuit etiam alibi quando edicit, vt quod quisque in alterius persona æquum credidisset, id quandoque etiam in sua persona æquum esse credat, patiaturque valere, *l.1.& tot.tit.ff.quod quisque iuris, &c.* Quod quidem edictum Vlpiano teste, summam habet æquitatem, & sine cuiusquam iusta indignatione toleratur. Quis enim aspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse dixit alijs aut dici effecit *d.l.*1.

Aut quis iniuria se pati putet, quod fecerit prior, vt inquit Seneca, *lib.2. de ira.* Aut quæ (te obsecro) ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris, vt ait Sextus Cæcilius apud Gell. *lib. 20.* Aut quis denique iustissimam illam a natura profectam rationis legem, & a veteribus ob æqualitatem congruentur vno verbulo, [par] dictum, vt testatur Cicero, *lib.2.de inuent.cap.5. & 12. Duar. disp.48.* hanc, inquam, quis iuste deprecari poterit? cum hæc analogia retineat & conseruet ciuitates teste Philosopho, *2.& 5.de moribus, cap.8.*
4 ac vt est apud Euripidē in Phœnissis, amicos amicis, † vrbes vrbibus, summos deniq; cum infimis sine cuiusquam querela pari iure coniungat societque.

Cum itaque ita facere alijs debeamus, quemadmodum fieri nobismetipsis quoque velimus, ipso etiam Christo admonente, *Math. 7.* vtique viri succedentes fœminis, inuicem quoque fœminas succedere sibi non debent prohibere, *d.l.pen. C.de legit.hared.*

Atque his præcipue rationibus velut ex æquitate naturali depromptis differentias sexus, agnationis & cognationis in successionibus, tanquam iniquas, impias & maximo vitio nimiaque subtilitate a veteribus inductas Iustinianus Imperator aboleuit, *d.l. maximum vitium, d.l pen. d.§.sed hæc quidem vetustas, Inst.de exhared.lib. dict. § item vetustas, test. de hared.qua defer. ab intest.d.§.cælorum, Inst.de succes.agnat.*

CAPVT V.

Absolutis Iustinianeis rationibus, nunc quinto deteriorem sexus muliebris conditionem in successionibus nulla iusta ratione es-

ne esse constitutam, ex eo infertur: quod videlicet, neq; ipsa natura deteriorem alterius, sed vtriusque sexus corporis & animi dignitate atque præstantia & conditionem per omnia parem, imo in quibusdam mulierum etiam nobiliorem produxisse appareat: quod in sequentibus per singulas naturæ dotes, omnesq; virtutes transeundo late pertractatur.

SVMMARIA.

1 *Amplius & prater Iustiniani rationes, sexus differentia, tanquam iniqua reprobanda videntur, quia fœmina maribus natura sua dignitate, prastantia & nobilitate, nulla parte inferiores esse videntur.*

2 *Vlpianus maiorem in ipso sexu virili dignitatem asserit.*

3 *In multis iuris articulis deterior est conditio fœminarum, quam masculorum.*

4 *Mares sexus & natura sua praeminentia potissimum suas in successionibus prarogatiuas defendunt, qua dempta causa lapsi videntur.*

CÆterum † hic si diligentius aliquis sexus muliebris cum Iustiniano commiseratus eius munitiones circumspexerit, ipsamque naturam mulierum acuratius considerauerit, non ille certe forma saltem fœminas homines æque atque mares esse editas, non simili tantum naturæ, officio in humanæ generis conseruatione & propagatione marem atque fœminam fungi asserere acquieuerit: verum, vt oppinor hoc quoque contendere non dubitauerit, esse videlicet sexum muliebrem neque dignitate, præstantia, & nobilitate naturæ suæ vlla parte masculino inferiorē, sed æque humanum forma substantia & qualitate vtrumq;, neque fœminas viris in dignitate naturæ, nec in vllis animi vel corporis, dotib. virtutib. & actionib. facile cedere, imo in omnibus his si fœminæ viros non præcellant, 1

 æqui-

æquipollere tamen eas viris quaſi certiſſimum atque indubitatum alicui perſuadere tentauerit.

2 Quod † ſi vero dignitatem hominis quis æquiparauerit in ſexu vtroque, verendum certe videtur, ne tum euacuato illo Vlpiani reſponſo, quo maiorem in ipſo ſexu virili dignitatem aſſerit, *in l.1.ff.de ſenat.* etiam eneruetur atque in nihilum redigatur quod Papinianus
3 ſcriptum reliquit: In multis † iuris articulis deteriorem eſſe conditionem fœminarum quam maſculorum, *d.l.in multis, ff. de ſtatu hominum*, adeoque mulieribus paulatim non in ſucceſſionibus tãtum, ſed etiam in omnibus alijs, in quibus eſt earum deterior cõditio, caſibus, prætextu naturæ & æquitatis ad æqualitatem redire, patique in omnibus cum maſculis iure frui licentia, tanquam priſtina atque naturali iure debita reſtituatur.

Hoc enim ſolo prope fundamento innixi mares cauſam ſuam tuentur, ac nimirum quaſi ſecundum naturam magis quam cõtra eam,
4 fœminis preponi ſe † contendũt; cum ipſa quoque natura & digniores eos, & ingenio ſenſuque præſtantiores, & corpore validiores ediderit, prout ſcribit Fulgoſ. *in d.l.maximum vitium, refert Laur. de Palat in tract.de ſtatut.quib.extant maſc.exclud.fœm.in procem. nu.9. & 10. & in ſimili tract. Alb.Brun.artic.3.nu.1. & latius edocebitur infra, in ſect.2.rat.1.*

Quapropter hoc illorum cedente fundamento, conſequẽter etiam reſpectu ſaltem naturalis æquitatis (nam de ciuili æquitate ſeparatim dicetur,) ipſam quoque cauſam ruinam minari, atq; per ſupra dictas Iuſtiniani rationes plane confundi neceſſe eſt.

CAPVT VI.

Primò vtriuſque ſexus conditio atque dignitas par & æqualis in vitali ac diuina animæ eſſentia demonſtratur.

SVMMARIA.

1 *Mas & fœmina non animæ forma, ſed in corporis tantum partibus quibuſdam ita natura exigente differunt.*
2 *Anima potior pars eſt hominis.*
3 *Vterque ſexus ad eundem beatitudinis finem tendit.*

Quod

QVod autem nec dignitate naturæ, nec animi excellentia, nec corporis robore sit inferior fœmina viro, sed æq; fœminam atque virum ad omnia habilem creare, efficere ac perficere natura dignarit, primum ecce Deus Opt. Max. cunctorum genitor, pater, ac bonum vtriusq; sexus fœcunditate plenissimus, hominem sibi similem creauit, masculũ & fœminam creauit illos: vt supra quoque dictum est.

1 Creauit † autem masculum & fœminam non secundum animæ formam distinctos, quam eandem ac indifferẽtem omnino dedit vtrique, sed in corporis tantum partibus nonnullis, diuersitatem ipsa generandi necessitate postulante, sexu discretos creauit eos. Anima vero † non corporis substantia, potior pars est hominis, & ex anima 2 homo viuit & est, sine qua nec viuit, nec homo, sed cadauer est.

Cum igitur eandem ipsa mulier cum viro sortita sit animam, & ab essentia animæ inter virum & mulierẽ nulla dari differentia, neutrius altior sexus nobilitas, neque alter dici beatior potest: sed respectu cæterarum creaturarum vtriusque præeminentia par & similis vtrique dignitatis innata libertas videtur; Vnde etiam vterque tendit ad eundem beatitudinis finem, vbi nulla erit exceptio sexus, sed 3 resurgentes in proprio sexu, non sexus, sed angelorum similitudine & officio fungentur, *Luc. 20. Marc. 12. Matth. 22.*

CAPVT VII.

Secundò quibus in corporis & animi dotibus est fœmina viro impar, in ijs viro fœminam esse superiorem ve[n]usti pu[l]chritudine, & alijs nonnullis peculiaribus in corpore naturæ donis, contenditur.

SVMMARIA.

1 *Præter animam, quæ reliqua sunt in homine, in iis secũdum Agrippam fœmina in infinitum pene excellit & superat marem.*

2 *Primo effigies hominis speciosior & splendidior est in fœmina, quam in mare.*

3 *Elegans fœminæ descriptio Cornelij Agrippæ.*

4 Pulchre

4 *Pulchra commendantur mulieres præ viris in sacris historiis.*
5 *Sara.*
6 *Rebecca.*
7 *Abigail.*
8 *Bethsaba.*
9 *Abisaac Sunamitis.*
10 *Hester.*
11 *Iudith.*
12 *Susanna.*
13 *Filia Iobi.*
14 *Virgo Maria Dei genitrix.*
15 *In profanis quoque historiis mulieres præcipue a pulchritudine cōmendantur.*
16 *Helena Græca.*
17 *Lucretia Latina, & de stupro ipsi per vim a Torquinio illato, historia.*
18 *De Spartiata fœmina Ageti filij Alcidis uxoris pulchritudine, & eius amore Aristonis Spartæ Regis historia.*
19 *Fœmina etiam ab altissimis despiciens, non patitur vertiginem.*
20 *Item fœmina capitis caluitia non premitur.*
21 *Faciæ semper manent puræ, nec deformantur pilis fœminæ.*
22 *Lege 12. Tab. mulieres ne raderent genas cautum erat, ne barba excresceret & occultaretur pudor.*
23 *Mulier semel abluta, postea non inficit aquam, sed vir etiam ablutus sæpius inficit.*
24 *Fœminis superfluitates per loca secretiora, viris per faciem expelluntur.*
25 *Etiam corporis viribus fœminas maribus æquiparat Agrippa contra Aristotelem, Plinium, Platonem, & alios.*

1 QVæ † vero præter animæ diuinam essentiam in homine reliqua sunt, in ijs (inquit Cornelius Agrippa strenuus sexus muliebris propugnator in declamatione de fœminei sexus nobilitate & præcellentia) muliebris inclyta stirps durum virorum genus in infinitum pene excellit: id quod sua persuasione, non adulterinis fucatisue sermonibus, vel etiam logicis tendiculis, quibus multi Sophistæ homines illaqueare solent, sed cum optimorum authorum patrocinijs, rerumque gestarum veridicis hi-

cis historijs ac apertis rationibus, tum sacrarum literarum testimonijs & vtriusque iuris sanctionibus, ratum firmumq; efficere tentat. Ex quibus hic potiora tantum, cum plurima quoq; leuiora & ridicula sint, in discursu nobis attingere placet.

Perpensis itaque cunctis animi simul atq; corporis dotibus, quæ vel natura hominibus dantur atque innascuntur, vel studio addiscũtur, aut vsu & exercitatione comparantur, certe in plurimis, vt videtur, mulieres viris æquipollent: non æquipollentes vero, sæpius superant viros & rarius illis cedunt.]

Nam † si contemplemur primo effigiem hominis ad diuini vultus speciem formatam, quam ille diuinus splendor mirifica pulchritudine resplendet in facie mulieris iuxta viri, sed & qua non corporis parte, quo non articulo formosior apparet, condita fœmina viro. 2

Est illi (vt hanc eleganter & absolutam Agrippa describit) corpusculum omni aspectu tactuq; delicatissimum, caro tenerrima, color clarus & candidus, cutis nitida, caput decorum, cæsaries venustissima, capilli molles, lucidi & protensi, vultus augustior, prospectuque hilarior, facies omnium formosissima, ceruix lactea, frons expeditus, spatiosus & splendidus, oculos habet vibrantiores, micantioresq; amabili hilaritate & gratia contemperatos; super hos supercilia in tenuem gyrum composita, eademq; cum decora planitie, decenti distantia diuisa, e quorum medio descendit nasus, æqualis & intra rectum modum cohibitus, sub quo os rutilum, & tenellis labris conformi compositione venustum, intra quæ tenui risu dẽtes emicant, minutuli & æquo ordine locati, eburneo candore nitentes, illorumque quam viro paucior numerus, quod neq; edax neq; mordax. Circumsurgunt maxillæ genæq; tenera mollicie, roseo fulgore rubentes, verecundiæq; plenæ & mentum orbiculari concauitate iucundum. Sub hoc collum habet gracile & longiusculum rotundis ex humeris erectum, gulam delicatam & albicantem, mediocri crassitie fultam, vocem & orationem suauiorem, pectus eminens & amplum æquali carne vestitum cum mammillorum duritie, illarumq; simul ac ventris orbiculari rotunditate, latera mollia, dorsum planum, & erectum, brachia extensa, manus teretes, digitosq; concinnis iuncturis protensos, ilia coxasq; habiliores, suras carnosiores, extrema manuum pedumq; in orbicularem ductum definictia, singulaq; membra succi plena. Adhæc incessus gressusq; modestus, motus decenti- 3

F or,

or, gestus digniores, totius præterea corporis ordine atque symetria, figura ac habitudine longe lateq; in omnibus speciosissima, nullumque in tota creaturarum serie neque spectaculum adeo mirandum, neq; miraculum perinde spectandum, vt nemo nisi cæcus omnino non videat, Deum ipsum quicquid pulchritudinis capax est mundus vniuersus in mulierē simul cōgessisse, vt ob illā omnis creatura stupescat & multis nominib. amet ac veneretur, sibiq; in consortiū eligat.

4 Quemadmodū † legimus *in Gene.cp* cum viderent filij Dei, filias hominū esse pulchras, delegerint ex illis vxores sibi quas voluerint,
5 *c.6.* Atq; hinc † in historijs sacris viri forte, nisi vnicus Absolon, nulli mulieres vero plures ac infinitæ a pulchritudine sua eximia maxime commendantur. Præcipue Sara Abrahæ præ alijs terræ mulieri-
6 bus pulchra, imo pulcherrima, *Gen.12.* Item † eximiæ pulchritudi-
7 nis puella Rebecca, a D. filio Isaac præparata, *Gen.* 24. tum † Abigail
8 vxor vt cordata atq; prudens, sic speciosa simul atq; humana, viri pes-
9 simi Nabal. 2. *Reg.12.* His † accedant Bethsaba & Abisaac Sunamitis quæ propter insignem pulchritudinem suam amore Dauidis captæ,
10 ac in regialē dignitatem eleuatæ sunt, *3. Reg.*1. Adde quæ de mira pulchritudine Reginæ Vasti legimus atq; de Hester, quæ illi prælata, illaq; præstantior fuit nimis quam pulchra & decora facie, *Hester 12.*
11 Sed † & pulchritudinem Iudith in tantū Deum auxisse legimus,
12 vt eam conspicati admirando stupore affecti sint. *Iudith.8.* Susanna † vero quam fuit oppido delicata, & specie pulchra, *Dan.13.* Quam ce-
13 lebres † deniq; ipsius pulchritudinis nomine legimus tres illas filias Iobi pulcherrimas, tribus Charitibus longe gratiosiores, quib. mulieres in vniuersa terra speciosiores neutiqaam inuentæ sunt. *Iob vlt.*
14 *c.* Quas † tamen omnes pulchritudine sua longe lateq; superauit omnium princeps immaculata Dei mater atq; genitrix Virgo Maria, cuius formosissimam speciem Sol & Luna mirantur, & ex cuius speciosissimo vultu tanta simul effulsit pulchritudinis castimonia & sanctitudo, vt licet omnium oculos pariter & mentes perstriugeret, nemo tamen vnquam mortalium suis illecebris vel minimo cogitatu corruerit.

Porro † hanc eandem mulierum naturalem ac pene propriam pulchritudinem muliebrem, recte a Cicerone dictam venustatem, proprie exitioso exemplo illæ quoque mulieres contestantur, quæ suæ quoque singularis elegantiæ, elegantissimæ simul atq; amabilis in-

intuitu ſpeciei, pulcherrimæ ſplēdore & decore ſplendidiſſimæ formę in profanis hiſtorijs monumēta haud obſcura poſt ſe reliquerūt.

Helenam † namq; eminentiſſimam venuſtate in Græcia fœminā hac per rapinam ſe deducendi cupidinem Priami filio Alexandro iniecilſe legimus, quæ quidem rapina tum decennale bellum Troianum excitauit, exitium atq; interitum Troiæ peperit: Iliadem deniq; malorum, vt dicitur cumulauit. 16

Sic † inter ſext. Tarquinium & Tarquinium Collatinum alioſq; regios iuuenes Romanos cum in commeſſatione ad otium terendum inſtituta de vxoribus facta mentio, & quæ nam inter illas præſtaret cæteris accenſum certamen eſſet, omnis vero muliebris huius certaminis laus circa primā ſtatim inuiſam Tarquinij Collatini Lucretiam Tricipitini filiam conſtitiſſet, hęc ei victrici in vitę, victoriq; marito in optatiſſimæ cōiugis iacturam exitialiſſima nimirum pulchritudinis victoria ceſſit. 17

Namque a Sexto Tarquinio inſpecta primum forma & caſtitate ſpectatiſſima fœmina, ſtatim per vim eius ſtuprandæ libidine captus ad ſtuprum demum per inſidias armata manu doloq; obſtinatam Lucretiam adegit.

Vbi tum illa mori multo, quam ſuo exemplo vllam viuere impudicam mauolens, violata corpore, aſt animo inſons excuſabilis peccati ſpontaneum ſupplicium abſcondite in corde ſibi defixo cultro ſubiuit. *Liuius, Decad. 1. lib.* 1.

His quidem annumerari ſimiles forma mulieres quam plurimæ poſſent: ſed vnicam ex omnibus, eamque ſpecioſiſſimam omnium ex omnium turpiſſima factam, videlicet ſpartitatam illam Ageti filij Alcidis vxorem ſubiecilſe ſufficiat: ſiquidem hanc infantem cum nutrix mala forma prædictam, idque ægre parentes vtpote locupletes ferre cerneret, ſingulis diebus ad Helutæ templum puellā baiulaſſe, deamque precata fertur, alumnam vt deformitate liberaret. Cui aliquando exeunti mulier apparuit, & puellę demulciens caput, futuram eam omnium Spartanorum formoſiſſimam dixit, ſtatimq; priſtina decidit. Sed neq; huic ſui forma bene omnino ceſſit. 18

Namque huius amore titillatus Rex Spartæ Ariſto eius potiundi cauſa hanc rem commentus eſt, ac nimirum Ageto, vtpote præcipuo ex ciuibus ſodali ſuo recepit, dono ſe daturum vnam e ſuis quam ille optaſſet rebus licet precioſiſſimam, daret ille viciſ-

 ſim

ſim ſimile ſibi munus. Agetus Ariſtoni quoque vxorem eſſe videns, de re vxoria plane ſuſpicatus nihil, conditionem accepit & iuſiurandum interpoſuit.

Mox Ariſton ex ſuis rebus quam Agetus elegerat, obtulit, ſibiq; viciſſim ab Ageto vxorem illius adferri optauit. Agetus licet inuitus ac niſi vnum cætera annuiſſe, tamen dolo ſeductus tandem ad ducendam eam iureiurando adactus abijt, vxoremque ſuam, vxorem Ariſtoni tradidit, teſte antiquitatis ſcriptore optimo Herodoto Halicarnaſſe *in Eratone, lib.6.*

Quantum igitur facile præcipuo, pulchritudinis videlicet atque formæ corporis dono mulieres præcellant viros, & quam formoſiores fœminas quam mares edere natura dignarit manifeſtum eſt.

Vnde qui fœmina ſui ſexus ratione natura indignior ſit habenda, imo qui non dignior viro prædicanda? non immerito quis dubitet. Maxime cum non hoc tantum, ſed etiam alijs corporis donis præcipue a natura ſeſe præditas gloriari poſſint.

19 Nam † etiam hac peculiari quodam naturæ mulier eſt dotata dote, vt licet ab altiſſimis in profundiſſima deſpiciat non tamen patiatur ea vertiginem, neque caligent oculi eius, vt accidere plerumque videmus viris.

20 Accedit † ad hoc, quod digniſſimum in homine membrum, quo maxime a brutis differimus, diuinamque indicamus naturam, caput eſt, & in eo potiſſimum vultus, caput quidem in viris caluitie deformatur, muliere contra magno naturæ priuilegio non calueſcente. Vultus inſuper iu viris barba illis odioſiſſima adeo ſæpe deturbatur,
21 piliſque ſordidis operitur, vt vix a beluis diſcerni poſſint. In † mulieribus contra remanente facie ſemper pura ſplendida, venuſta atque decora. Vnde 12. Tab. lege cautum erat, ne genas raderent mulieres,
22 † ne quando barba excreſceret, & pudor occultaretur.

Quid quod etiam puritatis ac mundtiæ ipſius mulieris vel hoc euidentiſſimum argumentum eſt: quod mulier munde ſemel abluta,
23 quoties poſt aqua pura diluitur, † aqua ipſa nullum recipit immunditiæ maculam. Vir autem quantumcunq; ablutus, quoties denuo
24 abluit, ſemper turbat aquam, & inficit. Deniq; † naturæ ordinatione mulieribus per loca ſecretiora ſingulis menſibus ſuperfluitates expelluntur, quæ viris per faciem multo digniorem humani corporis partem emittuntur.

Quę

Quæ omnia cum pluribus per plura deducit atq; illustrat Agrippa, sexum muliebrem in omnibus corporis partibus plus prope nimio atque in tantum vsque extollens, vt neque corporis robore ac 25
membrorum fortitudine eam virilem peruincere vigorem sinat: nō in hoc Aristoteli, non Plinio, non Platoni nō omnibus naturæ scrutatoribus & descriptoribus vno ore ac vnanimi laude in omni creatura masculis fortitudinis laudem concedentibus, non inquam nimirum omnibus his ex omnibus vnus hic in hoc cedens.

Corporis ergo dotibus fœminas viris præ aut certe ad minimum æquipollere Agrippæ sententia est, à quo non alienus Imperator Iustinianus impense vxores amans, natura vnitos & coæquatos masculos & fœminas, ciuili lege separandos ac vsu iuris in rebus distinguēdos non existimans, ac proinde in successionibus, si quæ viris indulta essent priuilegia ea his adimenda censens, ademit.

CAPVT VIII.

Tertiò etiam ab animi dotibus plus quam viri fœminæ commendantur, ac primum quidem à sanctitate, religione, fide & constantia fidei, ac cæteris pietatis virtutibus, operibus & officijs.

SVMMARIA.

1 *Non corporis tantum, sed etiam animi dotibus fœmina viris æquipollere. vel etiam præcedere videntur.*
2 *Varium & mutabile semper fœmina. Virg.*
3 *Fides Rebeccæ.*
4 *Vidua Sareptana, quæ credidit Heliæ.*
5 *Elisabetha.*
6 *Anna Prophetes pia.*
7 *Samaritana ad puteum cum Christo loquens, cibos Apostolorum saturata fide respuit.*
8 *Fides Chananeæ, & illius quæ fluxum passa est.*
9 *Item Martha & Maria Magdalena.*
10 *Priscilla erudiuit Apollinem.*

11 *Fidei suæ constantiam multa etiam mortis contemptu prodiderunt, vt mater illa mirabilis septem filiorum supplicium in fide cõstãtissima intuens, &c.*

12 *Catharina virgo ancilla Christi, cũ disputando vicit, quos tota Platonis Academia vincere non potuisset.*

13 *Illustres quædam fœminæ, quæ gentes ad fidem Christianam conuerterunt.*

14 *Hæreses plerunque à viris non fœminis.*

15 *Christus crucifixus à viris non fœminis.*

16 *Pilati vxor cupiebat saluare Iesum.*

17 *Mulierum pietas in bonis operibus.*

18 *Anna Helcanæ vxoris ardens oratio.*

19 *Sara Rhaguelis filia orationis trium dierum continuatio.*

20 *Deuota Iudith.*

21 *Anna vidua in templo assidua.*

22 *De Trasilla virgine Gregorij Pontificis historia.*

23 *Paula Romana maior in Deum quam in filios probata fides.*

24 *De vidua, quæ Heliæ, quod habuerat pugillum farinæ & olei tradidit, &c.*

25 *De muliere Sunamiti quæ transeuntem Helisæum inuitauit, &c.*

26 *Martha gaudio excepit Christum.*

1 QVod † quidem nunc tanto meliori cum iure, tantaq; maiori cum æquitate fecisse videtur: quantum non corporis tantum, sed etiã potioribus animi dotibus fœminę viris æqui, imo quibusdam etiam opinantibus præualere videtur. Id quod per singula virtutum genera transeundo vero simile imo verissimum non leuibus comprobari rationibus ac infinitis stabiliri posse exemplis videtur.

Placet autem a sanctitate, religione, pietate multarum matronarum exordiri: sacras & profanas hominumque fide sacratas historias perscrutari & videre, an non principem locum mulieres hic quoque semper obtinuerint? Poeta authore illud est in ore omnium.

2 varium & mutabile semper
Fœmina.

at quam videmus mulierum in fide cæterisque simul virtutibus cõstantiam vbique commendatam, quarum nonnullæ etiam tanta celebratæ sunt gloria, vt sacris quoque voluminibus nomina indiderint, vt Iudith, Ruth, Hester, &c.

Sic

Sic † Rebecca firmiter credens, pergit ad interrogandum Deum 3
& responsione condigna, audit miraculum: Duę gentes in vtero tuo,
& duo populi de ventre tuo diuidentur.

Sic † vidua Sareptana credidit Heliæ, rem licet difficillimam sibi 4
diceret.

Sic † Zacharias ab Angelo de incredulitate redargutus obmutu- 5
it, at vxor eius Elisabeth, vtero & voce prophetat & commendatur,
quia fideliter credidit: quæ deinceps commendat beatissimam vir-
ginem Mariam, dicẽs: Beata quæ credidisti, quæ dicta tibi sunt à Do-
mino.

Sic † Anna Prophetes, post Simeonis reuelationem confitebatur 6
Deum, & loquebatur de eo omnibus volẽtibus audire qui expecta-
bant redemptionem Israel. Quid vero † dicam de Samaritana illa, 7
cum qua Christus loquebatur ad puteum & saturata fide credentis,
cibos Apostolorum respuit? Quid de † fide Ghananeæ, & mulieris 8
illius, quæ fluxum patiebatur? Sed & confessio fidesq; Marthæ, non-
ne similis erat fidei confessioniq; Petri? Et in Maria Magdalena quã-
ta † fuerit fidei constantia ex Euangelijs nobis notũ est. Ipsa namque 9
dum sacerdotes & Iudæi Christum crucifigunt, plorat ad crucẽ, vn-
guenta portat, Deum recognoscit; Pergit ad Apostolos, resurrexisse
nunciat, illi dubitãt, ista confidit. Quid rursus † de Priscilla sanctissi- 10
ma fœmina, quę Apollo virũ Apostolicum & in lege Corinthiorum
doctissimũ erudiuit, nec turpe fuit Apostolo discere à muliere quæ *Acto.*
doceret in Ecclesia. Adde insuper quæ martyrij patientia & mortis 18.
contemptu fidei sui constantiam contestatæ sunt, non esse virorum
numero pauciores.

Ex quib. primas † merito tenet mater illa mirabilis (vt eã scriptura 11
vocat) bonorũ memoria digna, quę crudeli martyrio pereũtes septẽ
filios vnius diei spacio cõspiciens, non solũ bono id constantiq; ani-
mo ferebat, sed etiã fœmineæ cogitationis, vt loquitur text. mascu-
linum animum inserens, fortiter illorum singulos ad constãtiam &
ad mortem potius subeundum quam patrias Dei leges pręuaricãdas
hortabatur, ac demũ ipsa quoq; cũ filijs consumi voluit, *2. Macca. 7.*

Hanc † sequitur, cuius Ecclesiæ historia meminit virgo Cathari- 12
na. Nam Maxentius Imperat. cum esset Alexandriæ, & Christianos
ad sacrificandum Dijs cogeret, huius virginis eximium formæ de-
corem sæuiendo ne deformaret, à fide Christi Philosophorũ suasioa
nibus

nibus auertere eam propoſuit. Igitur ex omnibus prouinciæ oppidis quinquaginta ſapientiſſimos deligi curauit, qui illam reſpõdere paratam impugnarent. Ferunt autem ita tunc locutam, vt omnium animos in ſtuporem verſos tandem ad fidem in Chriſtum veram induxerit, adeoq; vna ancilla Chriſti diſputando vicerit, quos tota Platonis Academia vincere non potuiſſet. *Marcus Marulus in bene viuend. Inſt. lib. 2. c. 10.*

13 Similiter † quoque Theodelnia Bauarorum Regis filia Longobardos, Greiſſilla Henrici primi Imperatoris ſoror Vngaros, Clotildis Burgundionum Regis filia Francos & Apoſtola quædam infimæ ſortis fœmina Hiberos, ſingulæ innumeros populos ad Chriſti fidem conuerterunt.

Denique hic religioſiſſimus ſexus ſolus vel maxime is eſt in quo in hunc diem vſque fides Catholica & pietatis continuata opera refulgent. Mulieres namque à fide & religione Chriſtiana defeciſſe nuſquam legimus: viros autem poſt obitum Chriſti à fide ſæpiſſime
14 diſceſſiſſe conſtat. Et nulla vnquam fidei † perſecutio, nulla hæreſis, nullus fidei error à mulieribus vnquam emerſit, ſecus autem conſtat
15 de viris. Chriſtus † ipſe venundatus, emptus, traditus, accuſatus, damnatus, crucifixus à viris, abnegatus à Petro, ab omnibus diſcipulis relictus, à ſolis mulieribus ad crucem vſque & ad ſepulchrum comi-
16 tatus eſt. Atque † ipſa etiam Pilati vxor licet Æthnica plus conabatur ſaluare Ieſum quam quiſquam virorum forte etiam illorum qui crediderant.

17 Porro † ſi Chriſtiana quoque opera & officia percurramus, quantam in ijs quoque mulierum, nedum virorum pietatem deprehendimus.

18 Anna † Helcanæ vxor ita ardenter orauit ad Dominum vt temulenta putaretur. Heli vero ſacerdoti ebrietatem ſibi exprobranti, in oratione conſtans reſpondit; vinum & omne quod inebriare poteſt non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini: Et tũc quidem homo faciem tãtum videns deceptus eſt, ſed ſcrutator cordis & renum Deus compunctionem conſiderauit orantis, & miſertus quod rogabatur conceſſit, vt quæ propter ſterilitatem cõtemnebatur, propter partum multis matribus honorabilior appareret, edito Samuele ſacerdote ſimul & Propheta, *1. Reg. 1.*

19 Sic Sara † Rhaguelis filia in ſuperiori cubiculo ſe includens dies

tres

tres in oratione perseuerauit cibi ac potus expers. Qua demum solicitudine à Domino, quod orauit, meruit obtinere, ne priorum virorum interfectrix seruato Tobia crederetur, cum quo vno fœlici admodum matrimonio iuncta ad decrepitam vsque ætatem sine querela vixit, *Tob. 3.*

Eodem † ardore Iudith oratorium ingressa, cilicie induta, cinere conspersa, in terram prostrata Domino supplicauit, & Iudæam vniuersam die vno ab Assyriorum liberare oppressione meruit, *Iudith. 9.* 20

Ac † similiter Annam viduam, filiam Phanuel legimus, de templo nusquam discedentem, ieiunijs & obsecrationem nocte ac die seruientem, tãdem in templo vidisse Iesum, visum credidisse, creditum prophetando prædicasse, *Luc. 2. cap.* 21

Huiusmodi † solicitudinis æque mirandum exemplum in Gregorij Pontificis dialogo de Trasilla virgine amita sua memoria proditũ est: Illam enim, testatur, cum vita defunctam lauare vellent, genibus cubitisque concretam callorum duriciem apparuisse, palamque factum exanimis iam corporis indicio, magnam illi (si Dijs placet) adhuc viuenti precum curam studiumque fuisse. 22

Paula etiam † Romana hoc nomine tãta ac talis sese offert, vt non alio ore digne satis laudari, quam quo laudata est, queat. Quid enim vberius elegantiusue dici de vllo poterit ijs, quæ de illa D. Hieronymus literis commendauit. Paula, inquit, nobilis genere, sed nobilior sanctitate, potens quondam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior, Grachorum stirps, soboles Scipionum, Pauli hæres, cuius vocabulum trahit, Metiæ, Papyriæ matris Aphricani vera & Germana progenies Romæ prætulit Bethleem, & auro fulgentia tecta informis luti vilitate mutauit. Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem vincere pietate cupientibus. Iam vero carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur, paruulus Toxotius supplices manus tendebat in littore, Ruffina iam nubilis vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat, & tamen illa siccos oculos tendebat ad cœlos pietatem in filios, pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. O magni animi fœminam, & tanto virtutum suarum præcone dignam, quantus fuit ipse Hieronymus. 23

24 Propter † pietatis singulare opus digna quoque memoria est vidua illa, cui nihil aliud erat, præter pugillum farinæ in hydria & paululum olei in lechito, totum id quod habuit, petenti Heliæ Prophetæ dedit. Et ex illa die hydria ei farinæ non defecit, nec lechitus olei fuit imminutus, donec pluuiam dedit Dominus super terram, denique paruulum filium quem mors abstulerat, pietas viuũ in sinu matris restituit, annuente Domino precibus Prophetæ, quem illa & cibo pauerat & fouerat hospitio.

25 Simili † quoque pietate mulier Sunamitis traneuntem Helisæum inuitauit, tenuit & secum penem comedere compulit, & propter gratam viri sancti cõsuetudinem, sæpius redeunti quo commodius requiesceret & diutius apud se manendi occasionem haberet, cœnaculum illi construxit. Quibus meritis precante Helisæo & filium, antea quæ sterilis erat, genuit, & eundem mortuum vitæ restitutum recepit, *4.reg.4.*

26 His † iungatur Marthæ sedulitas, quæ excepto in domum Iesu, tã ministerio intenta tamque parandi conuiuij solicitudine ardens erat, vt animo suo satisfacere nequiuerit. *Luc.10.*

Possem innumeras adhuc tam ex sacris quam profanis, veteribus & recentioribus historijs pijssimas recensere mulieres, sed in grande nimium ne turgescat opus, studere breuitati & nunc per alias discurrere virtutes placet: iustitiam scilicet, prudẽtiam & foritudinem aliasque virtutes morales.

CAPVT IX.

Non minor secundò etiam in moralibus virtutibus, ac præcipue iustitia & prudentia mulieribus quam viris laus tribuitur.

SVMMARIA.

1 *In administratione iustitia, regimine Reipu. disciplina & arte militari æque fœminas claras atque viros habemus.*

2 *Iustitia & prudentia in Reipub. administratione excellentes, præcipue Opis, Plotina, Amalasuntha, Delbora.*

3 *Delbora Dux Israelis electa, hostem fugauit.*

4 Atha-

4 *Athalia Regina septem annos regnauit in Hierusalem.*
5 *Semiramis Babiloniæ historia.*
6 *Regina Candaces Æthiopiæ.*
7 *De Alexandra Palæstina Alexandri Regis vxore notabilis historia.*
8 *Prudentia Athyrtiæ, Sesostris Ægypti Regis filiæ.*
9 *Philatæ filiæ Antipatri excellens ingenium.*
10 *Mammeæ matris Alexandri Seueri laus in administranda Repub.*
11 *Zoe & Theodora sorores prudentissimæ Constantinopoli Imperatrices.*
12 *Comitissæ Mathildis prudentia.*
13 *Item Theodoræ Iustiniani Imperatoris.*
14 *Item Blancæ matris Ludouici 9. Francorum Regis.*
15 *Item Nicaulæ Reginæ Sabæ.*
16 *Item sapientissimæ Technitis.*
17 *Denique Emiliæ Scipionis & similium.*

NAm † iustitia & prudentia nec non fortitudine administris et- 1
iam mulieres, non solum ciuitates maximas & amplissima Regna rectissime gubernarũt: sed quoque ab iniuria hostium atq; fortissime virtute pugnando sæpissime vindicarunt. Magna cum laude ad Reipub. clauum vtiliter sederunt: summa cum gloria bellum administrarunt, & res præclarissimas ad magnorum Regum atq; Ducum æmulationem stupenda fœlicitate peregerunt, adeoq; in vtroque negotio, & domi pro tribunali sedẽtes in ciuitatis regimine collocatæ, & foris in castris degentes, magnos exercitus regẽtes, cumq; hoste muliebri quidem manu, ast animo Heroico fortiter dimicantes suam summorum virorum gloriam adæquarunt.

Iustitia † & prudentia in Reipublicę administratione exemplo 2
præcipue nobis sint: Opis inter Deas relata; Plotina Traiani vxor Amalasuntha Ostrogotorum Regina: quibus accedit Delbora mulier iustissima simul atque prudentissima, vxor Labidoth, quæ ipsa, *vt legitur lib. 4. & 5. Iudicum*, aliquandiu super populum Israel iudicauit, ascendebantq; ad eam filij Israel in omne iudicium, ac eorum Rempublicam & Imperium varijs honoribus auxit. Quæ etiam † recu- 3
sante Barach, hostilem pugnam ipsa Dux & Imperatrix Israelitici exercitus electa & constituta, hostibus cæsis fugatisque insigni laude victoriam reportauit.

4 Legimus † præterea in Regum historia, *lib. 4. cap. 11. & 2. Paralip. 22.* Atthaliam Reginam regnasse & iudicasse per septem annos in Hierusalem.

5 Atque † Semiramis Babylonia mortuo Marte Nino Rege, primũ sexu mentito, mentita se Regis filium tum superata demum inuidia quæ sit, quamque simulauit omnibus virtutem fœmina etiam viros longe superantem, admirantibus confessa: post quadraginta annis populos iudicauit, ac suscepta ingenti ausu in Orientem expeditione vltra Indum fluuium penetrauit, atque ibi multas vrbes condidit, plurimasque gentes debellauit, *vt scribit Iustinianus libro 1. & Curt. libro 1.*

6 His † accedunt omnes Reginæ Candaces Æthiopiæ, de quibus mentio est in actis Apostolorum, & mira narrat fidus ille antiquitatis scriptor Iosephus.

7 Præ reliquis † vero memorabile est quod idem *lib. 18. antiq.* de Alexandria Palestina Regis Alexãdri vxore scribit. Nam eius fide post fata mariti principatum illa arripuit: Hircanum filium natu maximũ Pontificem & Regem constituit: Aristobalem vero natu minimum, quod instabilis feruentiorisque ingenij esset, subditis optime consultum volens, priuatum efficit. Augendis copijs ad tuendum regnũ semper intenta, duplicem exercitum conflauit, validaque parauit arma, quibus non modo suę gentis statum roborauit, sed etiam exteris se metuendam reddidit. Ita cum sua insigni gloria, populique commodo nouem annis regnum à marito sibi relictum fœliciter administrauit.

8 Sesostris † quoque, *vt Diod. lib. 2. refert.* Rex Ægypti filiam habuit, Athyrtiam nomine, cuius tanta prudentia, tamque excellens ingenium fuit, vt ipse illius consilio regeretur, eiusque suasu tam gloriosas suscepisse expeditiones dicitur, quæ eius tantum illustrarunt nomen, vt nemo Ægyptius illius laudes adæquarit.

9 Fuit & † Antipatro, (*vt idem Diod. lib. 4. & Mel. Chron. 2. scribũnt*) Macedoniæ Regi filia, Philata nomine, tam excellentis ingenij atq; virtutis fœmina, vt ipsius consilijs pater in regni gubernatione domi bellique sæpius vsus sit: seditiones in castris excitatas solertissime sedauerit, pauperum militum sororibus mirifice dotes erogauerit, falso accusatos homines cum summa iustitiæ laude periculis liberauerit.

Mater

Altera quoque Alexandri Seueri Mammæa nomine rerum gu- 10
bernationem cum filio capessens, præturas demandasse, tributa exegisse, belli pacisque munia administrasse, ipsum vero inconsulta matre, nihil quicquam moliri ausum, apud Zonar. *tom 2. an.* legitur. Ita nimirum seruabatur dignitas filio & matri curarum & negociorum moles incumbebat.

Eodem † Zonara authore *an tom. 2.* quem Baptista Egnatius con- 11
firmat, Zoe & Theodora duæ sorores Constantinopoli simul tam prudenter imperarunt, vt quicunq; Bizanthino imperio parebant, sub viris nunquam felicius vixisse testarentur. Principes Senatus, Tribunique militares nunquam imperata facere detrectarunt, nullas turbas nec seditiones populis mouit.

Similiter † Machiauello, *in hist. Flor. lib. 1.* teste, Comitissa Mathil- 12
dis cum Gottfrido marito adeo semper Lucam, Parmam, Rhegium & Mantuam, & quicquid patrimonium Petri hodie vocatur, gubernauit, vt maximam laudem ab omnibus assecuta sit.

His † quoque accedunt Imperatoris Iustiniani Theodora, quam 13
ipse ob singularem mulieris prudentiã in consilijs quoque ad Rempub. pertinentibus adhibere consueuit, vt est ab ipso in Nouellis suis constitutionibus proditum.

Blanca † Ludouici noni Francorum Regis mater, filij duodecim 14
tantum annorum prudentissima tutrix, vt testatur Æmyl. *libro 7.* & Polyd. lib. 15.

Nicaula † Regina Saba, quæ veniens a finibus terræ, audire sapi- 15
entiam Salomonis, & testimonio Domini condemnatura est omnes viros Hierusalem, *3. Reg. 10.*

Itemque † sapientissima Technites, quæ Dauid Regem acuta in- 16
terrogatione conclusit, ænigmate docuit, exemplo Dei mitigauit, *2. Paralip. 9.*

Denique Emilia Scipionis vxor, aliæque plurimæ, quas passim hi- 17
storici Iustitiæ & prudentiæ suæ nomine celeberrimas referunt.

CAPVT X.

Amplius animi fortitudine ac virtute militari potentes, peritas atque felices æque fœminas atque viros esse, ac proinde paribus

in vtroque sexu corporis & animi dotibus existentibus, vt etiam pari inuicem sibi iure vterque succedat, æquum naturali ratione omnino videri, concluditur.

SVMMARIA.

1 *Militari gloria non minus fœmina, quam viri excellunt.*
2 *Amazonum origo.*
3 *Amaxonum mirabilis historia.*
4 *Amazones nuptias seruitutem non matrimonium reputare, virosq; suos necare.*
5 *Ad concubitum viros exteros vocare, & partus masculeos patribus reddidere, fœmineos autem retentos ad arma erudiere.*
6 *Suis puellis mammas dexteras inurebant, vt ad sagittam aptiores essent: vnde Amazones h.e. sine mamma dicta sunt.*
7 *Lampedo & Marpesia Amazonum Regina: quarum illa domi, hac foris praerat.*
8 *Marpesia vnde dicta.*
9 *Marpesia cum adanatis confecto pralio cecidit.*
10 *Amazones vsq; ad tempora Alexandri Magni durauerunt.*
11 *Historia de Amazonibus qua fides habenda.*
12 *Similis historia de muliebris iuuentutis Bohemica fortitudine & armorum peritia.*
13 *Similis in Noruegia de fœminarum fortitudine historia.*
14 *Fortis Landtgertha.*
15 *Spartana mulieres in ciuitatis sua obsidione & oppugnatione fortes.*
16 *Simili gloria etiam Brixenses mulieres enituere.*
17 *Insignis fortitudo 25. virorum & 80. mulierum in obsidione Turca Insula Melena.*
18 *Non tantum viris sed etiam mulieribus pro suis erga Rempub. benemeritis nos gratias agere conuenit.*
19 *Vrsula virgo Christiana virgineum agmen Christo sponso militaturum Romam duxit.*
20 *Idem ad Agrippinam Coloniam ab Hunis casum.*

21 *VVisna*

21 *VVisna VVandaliæ puella ingens puellarum agmen Haraldo Daniæ Regi adduxit fortiterq; pugnauit.*
22 *VVisna Aquilifera.*
23 *Strenua fortitudine fuit etiam Zenobia Palmirensium Regina.*
24 *Magna Artemisiæ laus & virtutum historia.*
25 *Xerxes victoria triumphum concedit fœmina.*
26 *Magna Tarina Sacrum Reginæ fortitudinis & prudentiæ laus.*
27 *Singulare virtutis muliebris encomium Bondicea.*
28 *Memorabilis Marulæ fortitudo & erga patrem Coccinum pietas.*
29 *Insignis etiam fortitudine Aurietta, mulier Lesbia.*
30 *Comitis Monteforti vxor marito capto dux belli & Imperatrix fortissima.*
31 *De Ioanna, Lotharingica puella, miraculosa facti narratio.*
32 *Paribus naturæ dotibus in masculis & fœminis existentibus iniquum est his illos in hæreditatibus proferri.*
33 *Sinistra de legumlatoribus masculis suspicio in his differentiis conconstituendis.*
34 *Differentiæ sexus in successionibus inani vulgi persuasione niti videntur, quasi natura indigniores fœminæ sint maribus.*

POrro militari gloria qui viri nedum mulieres vsquam vnquam excelluere supra Amazones, de quibus stupenda memoriæ commendata est historia, cuius propter iucunditatem & longius eius repetere initium, & altius indagare fidem ad muliebrem illustrandam & confirmandam fortitudinem expedit. 1

Iustinianus † itaque Pompeij Trogi abbreuiator, *libro primo in princip.* nulla Gothorum mentione, sed generali Scytharum appellatione contentus (quod Gothorum gens iam diu in Scythico solo mansitabat) narrat Amazonum originem. Quem secutus Paulus Orosius, *libro primo*, cum de Scytharum fœminis sermonem texuisset, Gothorum subinfert mentionem, ostendere volens, qua de radice processerint. 2

Sed Iordanes Rauennas Archiepiscopus in opere suo Getico Dionem secutus Græcum & Ablabium Senatorem, professa voce testatur Gothos fuisse, quorum origine prodierunt Amazones, quorum fidem sequuntur etiam Albertus Crantzius *in Suecia, libro primo, cap. septimo*, & Richardus Dinoth, *in locis communibus historicis,*

lib. 7.

lib.7.c.1. Res autem a Iustino & Orosio & ex his a Crantzio & Di-
3 noth. talis memoratur. Nimirū† duo Regij Iuuenes Plinos & Scholopitius a Gothorum optimatibus per factionem domo pulsi, ingentem iuuentutem in Cappadociæ Pontiæ ora secum traxere, ibique considentes campos Temisyrios sibi subiecere, verum dum populantur ibidem proxima quæque, a finitimis per insidias trucidantur. Qua tum cæde commotæ horum vxores, exilio simul atque viduitate afflictæ, arma arripuere, atque fines suos acerrime, submonentes primo eos, qui occurrerant, mox etiam bella inferentes de-
4 fendere cœperunt. Dehinc † singulari omnium seculorum exemplo, nubendo finitimis animum abijcientes, nuptias seruitutem, nō matrimonium reputantes, Rempublicam sine viris auxere suam: iam etiam contemnere viros, imo ne aliæ alijs infeliciores viderentur, etiam viros, qui domi remanserant crudeliter fuerunt interficere ausæ. Tunc pace armis quæsita, veritæ ne prole rarescente defice-
5 rent, † externos concubitus vicinarum gentium ineunt, factis nundinis semel in anno, ita vt eodem die, anno reuoluto reuertentes in eum ipsum, quicquid masculini sexus edidissent, patribus reddidissent, quicquid fœminini, matres ad arma bellica erudirent. Neque enim virgines ad pensa fusum rotabunt, sed equis & armis ac venationibus tempora terebant. Sunt qui dicant, quod editis maribus nouercali odio infantes miseranda fata rumperent, ita apud eos detestabile foret masculum puerperium, quod in omni reliqua gente maxime solet esse votiuum. Quæ illarum crudelitas maximum terrorem vicinis gentibus ingerebat. Nam quæ rogo, spes esset capto, vbi nefas habebatur, ignoscere etiam filio.

6 Puelllis † autem dexteras mammas inurebent, ne iaculorum iactus impedirentur. Vnde & nomen acceperunt, vt Amazones, hoc est, sine mamma dicerentur.

Hæ porro, vbi plane virilem vigorem induerunt, duas ex suo numero reginas creauere, vt & domi & foris res strenue administra-
7 rentur. Lampedo † & Marpesio dictæ sunt. Quarum altera domesticis rebus ordinandis ac defensandis præfuit, altera forensem militiam administrabat, ea Marpesia erat. Quæ fœminarum agmine sumpto nouum genus militiæ inibat, nouumq; & ante inauditum agmen deduxit in Asiam. Diuersasq; gentes bello exuperans,
8 aliasque bello concilians, ad caucasum vsque montem peruenit, ibique

que

que aliquantum temporis demorata, nomen loco reliquit, vt dicatur, rupes Marpesia, cuius in carmine suo meminit Poetarum maximus: 8

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Inde egressa Otalem fluuium transierunt, ac Armeniam, Syriam, Ciciliam & Galatiam Pisidiamque, multaque alia Asiæ loca occupauere. Ibiq; diutius dominantes Ephesum & alias ciuitates condiderunt, suoq; nomini dedicauerunt.

Templum Dianæ toto orbe celeberrimum, ob venandi sagittandique studium (cui totæ addictæ erant) mira pulchritudine apud Ephesum erexerunt.

Asię regnum iam diu tenentes, tandem pars fœminei exercitus onusta prædis in sua loca remissa, reliqua cum Regina Marpesia ad tuendum Asiæ imperium consedit.

Aliquando † vero Adunati Barbari, cum & pudor & virtus mixta stimularent, fœmineo diutius parere imperio detrectantes, conserto prælio Reginam Marpesiam fortiter præliantem, non incruenta victoria cædunt. 9

Succedit illi Orithia filia, quam alij Sinopem vocant, quæ singularem virtutis bellicæ gloriam perpetua virginitate cumulauit.

Post Orithiam Penthesilæa regno potita est, cuius Traiano bello inter fortissimos viros, cum aduersus Gręcos auxilium ferret, magna virtutis documenta extitere.

Interfecta demum Penthesilæa, exercituq; eius absumpto, paucę quæ remanserant, ægre se aduersus finitimos defendentes, vsq; ad tempora Alexandri Magni durauerunt.

Deniq; † Minithia siue Calestris earum Regina, concubitu Alexandri Magni per dies duodecim ad sobolem ex ea generandum obtento, reuersa in regnum, breui cum omni Amazonum nomine intercidit. Et tum post multo tempore Rex illis fuit Telephus Herculis filius ex matre Auge muliere Gothica natus, qui paternam fortitudinem proprijs virtutibus adæquabat. 10

Nunc † ad huius mirabilis historiæ fidem quod attinet, eam in authores atque scriptores eius primos, Iordanem Dionem atque Ablabium merito reijcimus. Sed tamen huic temporum ratio quoque narrationi consentit. 11

Nam vt scribit Crantzius d. loco iuxta supputationem Eusebij,

rum Gothi apud Cimmerios habitabant, quando egreſſis de Scythia iuuenibus in Ponto ad fluuium Thermodontem Amazonum origo a cunctis memoratur. Nec diſſentit locorum commemoratio, quando exulantum fuga e Cimmerio in Pontum, (id eſt, Cappadociæ Ponticæ ora) veriſimilis perhibetur. Cæterum exemplis quoq; hæc res dubiæ fidei quodammodo eximi & muliebris fortitudinis laus atque gloria iuxta virilem magis extolli atq; confirmari
12 poteſt. Nam † longe poſterioribus ſeculis etiam in gente Bohemica inuentæ ſunt puellæ, quæ omne maris genus peroſæ, imperium per annos ſeptem tenuere, prælijs interritæ, armis exercitæ, omnium virorum agmina, quæ obuia fuere, per apertam vim proſtrauere. Ad extremum dolo ſuperatæ, magis decepta quam victæ feruntur. *Teſtis Aeneas Syluius in hiſt. Bohemica.*

13 Simili fortitudine etiam in Noruegia quandoq; armata fœminarum agmina victoriam hoſti viro eripuiſſe laudabiliter, apud Crantzium *in Suecia lib.5.c.*1. legimus. Nam tempore quo Imperio Romano Ludouicus Caroli Magni filius præſideret, cum Sueciæ Rex, cui Fro nomen erat, Sivvardum Noruegiæ Regem bello ſuperaret, eiuſq; regno per vim occupato, fræna libidini laxare nimium, & regias fœminas quotquot dęprehenderet conſtuprare Rex Daniæ Regnerus Sivvardi nepos audiret, eiuſq; rei vltorem ſe ſponderet. Illi cum claſſe venienti multæ nobiles fœminæ, aut metuentes aut iam paſſæ ſtuprum, virili habitu ſeſe in armis futuras vindices obtulere. Collatis aciebus pugnauere fortiter, atq; tum inſigni fœminarum virtute, quas dolor contemptæ vel obſeſſæ pudicitiæ fortes faciebat, temerator nuptiarum, Rex Fro, oppreſſus cecidit. Cui non pulchrum videre fœminas in aciem præliantes? Cæſariem quæ demiſere ſexum profeſſæ, quo illuſtrior virtus eſſet in corpore, quod alias per naturam creditur imbecillum.

Adeo interritæ, adeo ad pericula primæ ad arma fortium animoſæ ſunt conſpectæ, vt faterentur victi victoreſq; eam accepto ferre
14 victoriam pręliantibus fœminis. Inter alias † vero Landgertha eminebat, *de qua mira ſcribit idem Crantzius, lib.1. Noruegia, cap.37. quæ quia prolixa nimis hic inuoluere breuitati & ad hiſtoriographum lectorem remittere conuenit.*

15 Inſuper † cum Clemones Spartanorum Rex ſupra ſeptem millia Argiuorum acie trucidaſſet, confeſtim ad occupandum ciuitatem

tem, quod defensoribus vacuam, eam & clade suorum perterritam, se inuenturum putabat, cum omnibus copijs contendit. At mulieres (vt has commendat Plutarchus de claris mulieribus) rugienti animo descendere, atque tueri ciuitatem decreuere, & Thelesside Duce celeriter adsumptis armis mœnia ciuitatis compleuere, ibiq; adeo fortiter se gessere, vt Cleomonem sæpius oppugnationem iterantem, cum maxima clade repulerint, & alterum Regem Demaratum, qui iam parte ciuitatis potitus erat, extra mœnia eiecerit.

Simili † virtute, cum Brixia a Picinno Philippi Vicecomitis Duce oppugnaretur, in ea defendenda Sabellico teste, *dec. 3. lib. 3.* non minus fœminarum quam virorum opera enituit, quæ in centurias decuriasque distributæ grauiter & sedulo in repellendo hoste desudarunt: in quibus Braiada Aduocatę gentis matrona, tam præstantia, quam domestica nobilitate illustris, apprime celebris & spectatæ virtutis apparuit. 16

Sic vt Petrus Bizarus, *de bello Cyprio libro secundo*, scribit: nuper anno septuagesimo primo supra mille & quingentos a nato Christo cum Corcyra Melæna Adriatici maris Insula a Turcis oppugnaretur, ac eius Præfectus Antonius Contarenus metu correptus, oppidum deseruisset, oppidanique Præfecti, fuga cognita, consilij inopes, Epidaurum versus auffugissent, viginti quinq; viri & octoginta mulieres tantum in oppido remansere. 17

Hæ plusquam virili audacia & incredibili animorum fortitudine & constantia præditæ, virorum habitum atque arma induentes mœnia contra hostes defendenda susceperunt. Classe itaque admota mœnibus, Turcæ acerrimam oppugnationem instituunt, teterrimam necem propugnatoribus, nisi propere se dederent, denunciantibus.

At mulieres istæ fortissimæ, neq; minis neque periculi denunciatione deterritæ, armis, lapidibus tædisq; ac facibus eos fortiter ac strenue summouerunt.

In medio autem certamine neutro adhuc inclinante victoria, subita in mari exorta tempestate, ab oppugnatione ad periclitantes naues Turcæ hostes reuocatæ sunt, atq; ita mulierum egregia virtus cœlesti adiuta numine, oppidum a viris timide desertum, cum insigni laude conseruauit. Atq; hæc quidem de militari mulierum virtute in genere laudabiliter memoriæ sunt prodita.

Nunc vero, quo magis huic sexui, communi opinione imbecilliori, æquales cum masculino laudes per omnia constent, etiam singularia singulorum prælustris militiæ encomia, atque nominatim his quoque in sua, si quid quæque persona sigillatim arte, scientia atq; virtute bellica, præcipuũ atq; egregium præstitit, nos suos prosequi triumphos & prædicare laudes decet.

18 Nam ita vetus Romanorum mos exigit: vt his quoque benemeritis, nedum viris, gratiæ agantur, additaque honore earum sicut virorum solennis post mortem laudatio fiat, *teste Liuio, dec.1. libro quinto.*

19 In † his vero eccui principem locum iure concedimus alij, nisi Christianæ isti puellæ Dominæ Vrsulæ, quæ virgineum agmen Christo sponso militaturum colligere, cumque eo transire mare, ex Brittannia per Rhenum petere, atq; inde demum ausa est remeare, ac per Rhenum in patriam redire.

20 Vbi † in ipso regressu, cum ad mœnia Agrippinæ Coloniæ obsidentes Hunnos reperisset, tantum ab illis agmen Christianarum virginum est trucidatum, vt (ita nimirum Christo sponso earum prouidente) hostis impius mactare, quam tantum sacratarum virginum agmen contaminare mallet, *testis Crantzius in Wandalia, capit. 12. libro primo.*

21 Hinc † nemo miretur eodem pene seculo aut non multum distante, etiam Wisnam, Wandaliæ puellam, cum ingenti puellarum agmine Haraldo Daniæ Regi adfuisse, cum is magnam illam expeditionem viribus vndiquaque collectis, & magnis illis apparatibus per plenum septennium antefactis, aduersus Ringonem in Suedia Regem duceret.

In qua militaribus rebus admodum exercita, cum valida suarum manu Danici Regis exercitum plurimum exornauit. Nec sola sui sexus in latissimis agminibus Dux præerat, sed erãt & e Dania & Norwegia quoq; similis animi & virtutis puellæ suorum agminũ duces.

22 In † acierum autem ordine tantum fœmineo robori Rex dederat, vt Aquiliferam fecerit Wisnam, quod præcipuam in eius virtute fiduciam ponere videretur.

Iam vero ad pugnam cum ventum esset, fortissima fœmina semper illæsa signa seruauit, donec Starcaterus vir quoq; mirifice inter suos virtutis, tum Suedis militans, Daniæ signa conuellere anisus,

nisus, Aquiliferam aggreditur, manumque præscidit signa tenẽtem, vt iam alia vis successoria signis sustinendis necessaria fuerit, *testis idem Crant. d. cap. 12.*

Harum † similis quoque virtus erat Zenobiæ, strenuæ, Palmirẽ- 23
sium Reginæ, quę cum Galieni Augusti ignauia desertum in Oriente Imperium ipsa tueretur, sumpto à virtute præclaris suis facinoribus animo, quoties alloqui exercitum volebat, armata virilem induebat vestem, atque more quo cæteri Cæsares atque Augusti Romani se ostendebat. Quin etiam vt Imperatoriam vestem, ita etiam nomen vsurpabat, cuius meminit Baptista Campofulgos *lib. 3. exem. cap. 6.*

Quid † vero de Artemisia illa Lygdamis filia, ex Halicarnasse pa- 24
ternum & maternum ex Creta ducente genus memorem? quibus huius laudando efferam verbis virtutem in imperando, in belligerando maximam? Halicarnasseis, Cois, Nysirijs, Calidonijs diu prudentissime hæc imperauit; Xerxi vero nulla coacta necessitate, sed fortis atque præstantis animi ductu, aduersus Græcos auxiliari manu subuenit. Vbi cum in pugna apud Salaminem multi (vt Herod. Halicarnass. in Vrania narrat) Illustres viri tam Persarum Medorumque, quam aliorum sociorum, tum vero Dux Ariabignes Darij filius Xerxisque frater occubuissent: Artemisia sola inter Duces primores maxima fortitudine & dexteritate in conspectu ipsius Xerxis pręliauit, solaque incolumis è media clade euasit, vnde tum in hæc verba
Xerxem prorupisse aiunt: [Viri † quidem extiterunt mihi fœminæ, 25
fœminæ autem viri.

Neque vero in minori tum apud hostes quoque hęc æstimatione erat: Siquidem eam, (Iustino *lib. 2.* & Zonara *annal. Tom. 1.* testibus) adeo reformidarũt, vt ei qui viuam caperet, decem millia drachmarum in præmium proposuerint.

Quid † porro dicam de Tarina, paulo ante Cyri tempora, Sacarũ 26
Regina, auida bellorum, pulchritudine non minus quã consilio prudentiaque insigni? Propinquas gentes barbaras, procaces atque superbas, Sacis tum dominantes, hæc forti animo concomitante manuque forti prælio vicit ac debellauit: maioremq; eius regionis partem ad mitiorem vitam traduxit; multas insuper in ea condidit ciuitates, quas optimis institutis ac legibus fœlicissimas quoq; reddidit; quam ita Diodorus Siculus *lib. 3.* laudabiliter commendat.

27 Amplius turgentibus buccis cum Corn. Tac. *li. 14.* annal. nō iniuria prædicamus singulare muliebris virtutis exemplum, quod Bondicea Pransintagi Brittanni vxor cum perenni nominis sui memoria ac celebritate animoso facinore edidit nimirum hæc à centurionibus Romanis qui cum Suetonio Neronis erant, verberibus indigne affecta, filiæ ipsius contumeliose stupratæ & primarij viri auitis bonis spoliati fuere. Ante viros in vindictam iniquitate rei exacerbata mulier, continuo omnes ad arma conuocat, ingenti animo se Ducem præbet, pro recuperanda libertate & durissimo excutiendo iugo, quosuis labores & pericula quoque subire parata. Itaque Romanorum præsidium magna vi adoritur, expugnat, legionem aduentantem fundit, fuga equitibus elapsis pedites ad vnum omnes interficit, ad septuaginta ciuium Romanorum & sociorum millia varijs in pugnis trucidat, tantumque eius demum auctoritas excreuit, vt Brittannorum supra octoginta millia vnis in castris habuerit.

28 Marulæ † quoque fortitudinem memoriabilis erga patrem pietas maxime commendat. Cum enim illa Turcica classe oppugnante Lemnum, Coccinum patrem, virum egregie fortem in aditu portæ modo dimicantem mox occumbere videret; illico ferocissima virgo protinus adcurrens iaculisque arrepto scuto & ense, irrumpentes portam Barbaros eo vsq; sustinuit, donec aliquot viri auxilio venerint, quorum tum interuentu adaucta fiducia, & multiplicatis viribus gradum promouens, hostes ad naues vsque cum maxima cæde iniecit, testis *Sabell. dec. 3. lib. 10.*

29 Simili † plane fortitudine Aurietta, cum classis ingens Amurathis Turcarum Regis Insulam Lesbum obsedisset, oppidamque viribus atque omni re ad obsidionem sustinendam deficientibus deditionem spectarent, ipsa absente Catalusio viro Insulæ Domino, armata in medium prosilijt, cunctosque viriliter hortata incredibilis audaciæ exemplo, eruptione facta consistens, ac procurrens in acie prima tanto impetu in Turcas incurrit, vt eos fuderit, ac maxima strage edita in classem se recipere coegerit, Insulâque liberarit, quod post alios Vbertus Foglietta in elogijs testatur.

Sed omnia hic armatarum mulierum egregia facta recensere & satis singula laudare, etsi vellem, non possem tamen, ac etsi possem, cohibet grata breuitas.

Non

Non tamen adeo hæc hic me cohibere poteſt, quin duas adhuc
præclariſſimas Duces ſubijciam. Primam Comitis à Monteforti v-
xorem, Froſſardo teſte, *libro 1. hiſto. de bello Brittannico*, fortiſſimam.
Nam † cum anno 1342. in bello Brittannico maritum à Galliæ Re- 30
ge captum imo mortuum acciperet, confeſtim illa animum plane
virilem repræſentans, nõ ſolum bellum à marito cæptum continua-
re, arces præſidijs & anona munire, ſuiſque animum addere; Verum
etiam armari ipſa quoque & comitata equitum turba prouocare in
campum & hoſtem laceſſere. Quin etiam in arce quadam obſidio-
ne preſſa, cum plerique omnes deditionem ſuaderent, hæc adeo
ſola inter viros reſiſtendum putauit, vt contentionem hanc ex-
traxerit, donec ab Angelis, qui tum ſubſidio venerant, omnes libe-
rarentur.

De altera † denique miraculum audi: Anno milleſimo, quadrin- 31
genteſimo, viceſimo ſecundo, cum Carolus Francorum Rex obijſ-
ſet: Angli omnia Gallicani Regni munita, ac præcipua loca occupa-
rant, iamque actum de rebus Gallicis omnino erat. Carolus namq;
Septimus bis iam acie fuſus in ſummam fortunæ ſuę deſperationem
venerat. Sed Ioanna Lotharinga, duouiginti circiter annos nata, ſub
patre oues paſcere ſolita, commode Carolo totique Regno adfuit,
& an recuperandum amiſſum decus efficaciter omnem Galliam ac-
cẽdit. Siquidem melioris fortunæ ſpei certiſſime ab ea promiſſæ, ra-
tiones prudentes & euidentes reddens, ad Aureliam obſidionẽ ſol-
uendam, commeatumque importandum, ire cum exercitu iuſſa, ar-
mis fulgens, equoq; inſidens, ſignum militare cãdidi coloris, in quo
Chriſti imago lilium manu geſtantis conſpiciebatur, tulit, & ſpectã-
tibus hoſtium copijs vrbem cum commeatu intrepide ingreſſa eſt.
Angloſq; vt ab obſidione recederent prius monitos, non obſequẽ-
tes ſexto Kal. Iunij, milleſimo quadringenteſimo nono adorta pro-
fligauit. In ipſo ardore pugnæ, ictu ſagittæ inter humeros & collum
vulnerata, neque pedem retulit, neq; obligari vulnus paſſa eſt, quin
acerrime prælians gladioque multos hoſtium proſtrauit. Multas de-
inde vrbes bello eadem fortitudine ac fœlicitate recepit, plurimis
prælijs Anglos fudit: Regemque Rhemos ad inaugurationem ſuo-
rum ſuſcipiendam per medios hoſtes viriliter produxit, & Galloum
res omnino acciſas, oppreſſas atque perditas ſubleuauit, erexit, atq;
in priſtinum robur ac ſtatum reuocauit.

Poſt

Post quæ cunctis res ex omni seculo haud visas vel auditas demirantibus, forte in manus hostium venit, qui liuore suffusi, odioque iniquissimo inflammati, fortitudinem puellæ diuinam magicis artibus attribuentes, atrocissimo crudelitatis exemplo eam concremarunt. Sed ann. millesimo quadringentesimo sexto è rescripto Calixti Pontificis causæ cognitores constituti, Ioannes Archiepiscop. Rhemensis & Wilhelmus Parisiensis, innumeros testes, omni exceptione maiores super eius innocẽtia, modestia, castitate & religione examinarunt, eamq; innocentissimam compererunt, ac pronunciarũt, actaq; seruantur adhuc in Scrinio Parisiensis Ecclesiæ, quod Papirius Massonus testatur. Atq; hæc eadem quoque scribunt Alanus, qui res Caroli Septimi Gallico sermone scripsit, Leonicus Chalcondylas *lib. 2. de reb. Turcicis.* Æneas Syluius, qui hac ætate vixit. Fulgosius *lib. 3.* Paul. Æmyl. *lib. 10.* Iouius in descript. Britt. Richard. Dinoth. *in loc. com. histor. lib. 7. ca.* 1. Polidorus Virgilius in vita Henrici Sexti & post omnes hos nouissime lateq; repetit Thomas Bozius, *in libro de robore bellico, c. 8. in fin.*

Nunc vero quis facile contendat amplius, non æque mulieres iustas, bonas & æquas, non æque prudentes, cautas atque solertes, non deniq; animosas & fortes æque, in ciuilibus ac bellicis rebus, rumoribus ac necessitatibus atq; viros: cum in omnibus his suam quoque gloriam fœminæ sibi compararint, eamque Heroica virtute atq; in-
23 signi & † immortali laude virorum plusquam adæquarint; adeoque contemptibilem de suo sexu, tãquam imbecilliori, animo & corpore fragiliori, vulgi opinionem, generosis animis egregijs atque stupendis facinoribus, conatibus, denique etiam super viriles ausus mirabilibus superarint, eamque nullitatis conuicerint.

Quid igitur in causa est, quod harum indigniorem infirmioremque sexum plerique autumant, proindeque indignum iudicant, qui æquali cum masculino in omnibus iuris articulis & pręcipue successionibus potiatur? Forte ac non sine ratione proprij commodi causa
33 hæc à legumlatoribus † introducta iura, vtpote ipsis viris magis sibi quam fœminis fauentibus, qui & ipsarum legum sanctionem custodiamque ipsi solis sibi primum arrogarint. Cum itaq; eadem conditio, eadem vtriusque sexus sit natura, idem intellectus & discretio eadem, idem corporis robur & animi fortitudo eadem, par pietatis, idemq; boni & æqui studium vtriq;, eadem domi forisq; in administratione

ſtratione rerum prudentia, & vtrobique animoſa contentio eadem, nulla certe diuerſitatis ratione ſtabili ſexus differentiæ in ſucceſſionibus præcipue ſuffulciri, ſed ſola hac inani vulgi perſuaſione ſuſtineri videntur, quaſi videlicet natura longe inferiore atq; infirmiores ediderit fœminas quam viros, atq; hos quidem robuſtiores, illas debiliores, hos prudẽtiores, illas ingenio & ſenſu minus validas, hos animoſiores, illas timidiores, proinde hos ad munera Reip. aptiores, illas ineptiores; & hos deniq; ad humanam ſocietatis conſeruationẽ plurimum, illas vero minimum, & niſi ad generationem, ad reliqua nihil cõducibiles. Omnibus nimirum his ex hactenus dictis falſo & inique ita (vt videtur) de mulieribus & harum ſexu nobis perſuaſis. Quare merito optimoq; iure Iuſtinianus Imperator perpendens vtriuſque ſexus æqualitatem, præſtantiam & nobilitatem indifferentem, illas differentias ſexus, quæ maxime iniquę & maximam mulieribus inferre iniuriam videbantur, ſucceſſionum videlicet, ſuſtuliſſe, atq; vbi eadem erat ratio, idem quoque ius, ſumma hoc & naturali (quæ longe ciuili efficacior, *§. pen. Inſti. de iur. nat. gent. & ciu. l. 2 ff. de vſufr.*) exigente ęquitate conſtituiſſe videtur. Vbi namque eadem ratio viget, idem quoque ius obſeruari ipſa æquitas poſtulat, iuribus vulgatis.

CAPVT XI.

Enumeratis ſexus muliebris æqualibus, ac ſuperioribus quam virilis, naturæ dotibus, atque virtutibus; deinceps quæ vulgo mulieribus, quaſi peculiaria muliebris naturæ vitia adſcribuntur, diluuntur: & primum ab animi leuitate, mutabilitate & inconſtantia, aliquot inſignibus muliebris conſtãtiæ oppoſitis exemplis, purgantur.

SVMMARIA.

1 *Muliebris conſtantiæ exempla in tormentis.*

2 *Virgo quædam Pythagoræa ipſa ſibi morſu linguam abſcidit, ne poſ-*

sit à Tyranno rogata fateri.

3 *Ephicratis libertinæ tanta fuit constantia, vt nullis cruciatibus ad detegendam aduersus Neronem factam coniurationem peruinci potuerit, quam nec Lucanus Poeta clarissimus, multique alij viri in secretis, saltem tormentorum metu, retinere non potuerunt.*

4 *Attica meretrix Leana, licet ad mortem cruciata, non tamen prodidit coniurationem Harmodij & Aristogitonis in necem Hipparchi: sed comestam linguam in tyranni faciem exspuit.*

5 *Ligustica quadam mulier diu tormentis rogata, vbi filium occulerat, vtero latere semper respondit.*

6 *Similiter in tormentis constans Quintilia fuit Ioseph.*

7 *Ab adultero ad adulterium proditum, ab adultera nullis tormentis extorqueri potuit.*

8 *His tam memorabilibus muliebris constantiæ exemplis suspecta redditur communis DD. opinio, in eiusdem criminis reatu, primum fœminas, tanquam mobiliores, & tum demum viros, tanquã constantiores torquendos esse.*

NEq; porro obijciat hic aliquis fœmineo sexui vel animi leuitatẽ & inconstantiam, vel intemperantiam in libidinibus, luxuriam, lasciuiam, prodigalitatem, auaritiam; addat potius quam etiam in literarum studijs eruditæ virgines gloriosæ profecerint.

Admodum diffamatas de leuitate mulieres, earum contra vt cõstantiam magis confirmemus, reddamus forte etiam virorum euidentiorem, non sufficit mihi supra quam in confessione fidei mira-
1 bili pietate constantes sæpe extiterint, retulisse: sed † iuuat in alijs quoque horum constantia quantum incredibili tormentorum tolerantia innotuerit, vno atque altero ex probatis auctoribus desumptis, ac præcipue memorabilibus exemplis superaddere, quæ pleraque etiam ab infinitæ lectionis Doctore Tiraquello repetuntur.

2 Et primo † quidem apud Ambrosium *in libro 1. de virginibus*, de virgine quadam Pythagoræa legimus, quod cum à tyranno secretũ prodere inclementissime torqueretur, ne quid in se ad extorquendam cõfessionem vel extremi cruciatus valere possent, ipsa sibi morsu linguam absciderit, atq; in tyranni faciem despuerit, vt qui interrogandi finem non faceret, nec haberet, quam interrogaret.

3 Huic † proximum est Epichratis libertinæ admirandum & memoria

moria dignum constantiæ muliebris exemplum. Nam hanc scribit Tacitus *lib. 18. histor. Augustæ* in continuatione aduersus Neronem quoque nominatam, nullis cruciatibus nullisque tormentis peruinci potuisse, vt coniuratos proderet. Tanta fuit, inquit, fœminæ constantia, vt illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium ne à fœmina spernerentur, peruicerit: quin obiecta denegaret, prius spiritum quam vocem ad detegendam coniurationem expressit. At, quod dolendum est, quotquot viri eius coniurationis conscij tormentis adiudicati confestim vel non expectatis pertentatisq; passu tormentis, coniurationem detexerunt, multosque & consanguineos & amicos prodiderunt, inter quos & Lucanus Poeta clarissimus hoc ipsum factitare non dubitauit.

Tum vero † his accedit Leæna Attica meretrix: quæ vsque adeo 4
constantiæ suæ nomine historiarum monumentis commendatur, vt licet ad mortem cruciata, non tamen prodiderit consilia Harmodij & Aristogitonis in Hipparchi tyranni necem concepta, imo ipsam vocem potius, quam verba expuere voluerit, & carnifice iam fatigato nouissime comestam linguam in faciem tyranni expuerit, ne, etsi etiam victa prodere quod interrogaretur voluisset, posset.

Quam ob rem Athenienses honorare eam volentes, ne tamen scortum celebrasse viderentur, animal eius nominis ac nimirum Leænam fecêre, atque vt intelligeretur causa honoris, in ore linguam addi artifici Iphicrati vetuerunt, vt testatur Plinius *libro septimo, cap. 23. & libro 34. capite octauo*, & meminit Pausan. *libro primo*, Athæneus *libro 13. capite 24. ad finem*. Polyen. *Stratagematum libro* 8. Tertullianus *in apologetico cap. 49*. Eusebius & Lactant. *libro primo cap. 20*.

Aliam similis constantiæ mulierem Ligusticam Tacitus *d. lib.* 18. 5
commendat, quæ cum militibus Othonis in municipium Albintheticum grassantibus, filium abdidisset, militesque pecuniam simul occultatam credidissent, per cruciatus interrogata, vbi filium occuleret? vterum ostendens latêre respondit, nec vllis deinde tortoribus siue terroribus, aut morte egregiæ vocis constantiam mutauit.

Quintilia † quoque (*vt Ioseph libro 19. antiq. cap. 1. testis est*) fœmi- 6
na ob pulchritudinem amabilis & multorum amica, iussu Caij

Caligulæ torta cruciataq;, vt vi tormentorum coacta coniurationis socios proderet, cum iam ad ipsa tormenta duceretur, in ipsum Caligulam parata fuisse fertur. Nam vnius ex conscijs siue socijs calce pedem premens, significauit, eos confidere debere, & nihil de tormentis eius penitus timere, id quod postea euentu comprobauit nec omnino quicquam de amatoribus manifestauit. Ideoq; eam caligula liberatam absolutamque dimisit, pecuniarumque dono munerauit.

7 Adde illam † de qua D. Hieronymus ad Innocentium scribit, adulterium à iuuene quodam tormentis impari mentito extortũ, hoc constanter negando tormenta grauissima tulisse & ea quoque ita vicisse vt nihil confessa fuerit.

Iam vero mulierum, an virorum mobiliorem esse putas constantiam? vnam certe mulierem audisti, plures viros constantia sua superasse: duas item fœminas ad tuendam cõiuratis datę fidei constantiá, ipsas comesta cum lingua expuisse voces, priusquã interrogata fateri adactas, percepisti: virum autem simile quid fecisse nusquã legis. Cui ergo non iniuria mulieres ex re ipsa (vt aiunt) & quasi naturali proprietate, leues, inconstantes, pręcipites, mobiles, flexibiles, varias, instabiles, infirmas, ac mutabiles, atque ita, inquam, iniuria vulgo cognominari mulieres, cui non videtur? Atque porro cui non adducta

8 modo † muliebris constantiæ exempla acerrimis torturis cõprobata suspectam reddunt, illam communem Doctorum opinionem, quãdo nimirum putant, in criminum quæstionibus facicilius veritatem fœminis propter leuitatem, viris autem propter maiorem constantiam difficilius extorqueri, ac proinde post fœminas demum mares eiusdem criminis reos subijci torturæ debere, *per l. 1. iunct. l vnius pr. ff. de quæst. Dyn. in tract. de quæst. vers. quo ordine sit habẽda, Damhoud. in praax. crim. c. 37. nu. 14. & ibi plures.*

Atque his quidem videtur animi quoq; constantia mulieres viris nihil cedere, immeritoque leuiorem istis animi motum quam viris, vtpote quas viris sæpe etiam constat extitisse constantiores, vulgi opione adscribi.

CAPVT XII.

Secundò contra, quam vt mulieribus tribuitur, intemperantia in quibuscunque illicitis ac

tis ac turpibus cupiditabus, maior in viris, quam in fœminis perhibetur. Ac ad id probandum, primum omnis generis peccata, quæ a viris non mulieribus, primum commissa sunt, enumerantur: tum in specie virorum in libidinibus venereis incontinentia, impudicitia, turpitudo, & in fide maritali & amore coniugali temeritas exagitatur: contra vero mulierum singularis pudicitia, castitas & in maritos coniugalis fidei & amoris constantia extollitur.

SVMMARIA.

1 *In mulieribus præcipuum continentiæ & temperantiæ studium esse, vbiq; experientia testatur.*
2 *Plura delicta a sexu masculino proueniunt, quam a fœminino.*
3 *In Adam omnes peccauimus primum.*
4 *Cain primus homicida & desperans.*
5 *Primus digamus Lamech.*
6 *Primus ebrius legitur Noe.*
7 *Primus tyrannus Nemroth.*
8 *Viri mulieribus longe libidonosiores.*
9 *Mulieres viris sunt continentiores & maioris sunt in maritos fidei.*
10 *In secunda vxores ad suos maritos, ancillas ad suscipiendam pridem introduxerunt.*
11 *Lycurgi & Solonis lege, si qua duxisset puella virum nuptiis inidoneum, ei permissum erat pulchrum deligere adolescentem, qui cum illa colluderet.*
12 *Insignis pudicitiæ & coniugalis charitatis in mulieribus exempla.*
13 *Susanna.*
14 *Iudith.*
15 *Anna Prophetissa.*

16 *Virginis Mariæ.*

17 *Quatuor filiarum Philippi Apostoli.*

18 *Kunegunda in maritali thoro cũ Henrico Imperatore virginitate vsq; ad vitæ finem asseruauit, & cum marito virgo cum virgine tumulata est.*

19 *Pari voto Edeltrudim Anglorum Regis Orientalium filiam, primo & secundo matrimonio virginitatem seruasse legimus.*

20 *Timoclea Thebanæ fœminæ stratagema quo vim pudicitiæ illatam vindicauit.*

21 *Notabile castitatis exemplum monachæ cuiusdam, longe Lucretiæ superans.*

22 *Aliud simile exemplum.*

23 *Cuiusdam Apothecarij Andegauensis stratagema ad tuendam vxoris castitatem adhibitum.*

24 *Zenobia Palmyrenorum Regina a conceptione ab vlteriori concubitu vsq; ad tempestiuum post partum tempus se abstinuisse fertur.*

25 *Amoris & fidei coniugalis in mulieribus exempla.*

26 *Indorum Catheorum more, ex pluribus quæ fuit charissima, cum marito defuncto rogo se, cum gaudio & honore immittit.*

27 *Regina Hipsicrates quantum Regẽ suum Mitridatem amauerit.*

28 *Artemisia Mausoli Regis Cariæ coniunx, defuncti regis cadauer præ amore in puluerem redactum, aqua ebibit.*

29 *Mulieres propter naturæ frigiditatem non tam libidinosæ sunt quam viri.*

30 *Nihil est in iuuenibus furore amoris vehementius.*

SEquitur amplius dispicere, atq; etiam vitæ temperantia quam fœminæ iuxta viros laudem atque gloriam mereantur, considerare.

1 Vbi † certe in genere primum huius sexus, muliebris videlicet, præcipuum inter homines experientia rerum magistra teste, continentiæ & temperantiæ studium, in quibuscunque humanis cupiditatibus eminet, in reb. prohibitis maior religio apparet, in suspectis libidinibus est innocentia crebrior, probitas denique in omnibus actionibus insignior.

2 A quo † enim inter duo hominum omniũ genera malorum ortus primum, vel saltem peccata atque flagitia plura, plures actus, doli, frau-

fraudes,item machinæ,fallaciæ, præstigiæ plures, plura deniq; cruenta,perniciosa & ad quascunque illicitas cupiditates explendas cõsilia parua prodiere, id ne masculinum esse concedis, an vero fœmininum,hoc potius, iniquiori correptus odio asserere leuiter audes? Vtrum eligas respice quæso, si mulierum es osor, primum protoplasten, & fatere victus tum fateri quod cogeris.

An † non enim ille sua transgressione legis demum, non mulier 3
cœli portas obseruauit primum, & omnes nos peccato perpetuoq; morti obnoxios reddidit? Sic enim scriptura loquitur:& omnes, inquit,peccauimus in Adam,non in Eua, *Gen.4.*

Huius † perinde primogenitus primus post inferiorum portas 4
reserauit. Ille primus inuidus,primus homicida, parricida primus, 5
atque primus de misericordia Dei desperans. Primus porro diga- 6
mus Lamech, primus ebrius Noe † primus turpitudinem patris 7
sui denudans huius filius Chamus: Primus tyrannus simul atq; idololatra Nemroth.

Viri filij Iacob primum vendiderunt fratrem', Pharao Ægyptius primus necauit pueros,viri primi contra naturam luxuriati sunt, testibus Sodoma & Gomorra, quæ ob virorum scelera celebres olim
vrbes perierunt. Viros † legimus vbiq; temeraria voluptate, diga- 8
mos, multinubos, multicubos, adulteros, fornicatores, vt fuerunt, Lamech, Abraham, Iacob, Esau, Ioseph, Moses,Samson,Helcana, Saul, Dauid, Salomon, Assur, Roboam, Abia, Caleph, Assuerus, & innumeri alij,qui singuli plures vxores,insuper & pellices & concubinas habuerunt.

Contra vero †(propius ad speciem vt accedamus)mulieres pudi- 9
citia ac castitate multo sunt contentiores, maioriq; in coniuges
apparent fide,tantaq; sępe apparuerunt,vt in fœcundas quidem a viro- 10
rum concubitu ipsasmet se sæpius abstinuisse, aliasq; viris vel ancillas introduxisse mulieres, saltem vt posteritatem illis excitarẽt,constet,quemadmodum de Sacra & Rachellia, *Gen.6.* alijsq; multis alibi in fœcundis mulieribus legimus. Sed quis oblecro virorum quãtumcunq; senex,frigidus, sterilis ac rei vxoriæ ineptus,tantæ vnquã aut pietatis aut fidei aut clemẽtiæ,extitit in vxorem, vt aliquem suo loco substitueret,qui feracem vxoris vterum fœcundo semine
irrotaret?Legimus†quidem huiusmodi leges Lycurgum atq; Solonem 11
olim tulisse,vt si quis nuptijs intempestiuior puellam despondisset,

liceret

liceret tum vxori ex adolescentibus vnum aliquem robore moribusque conspicuum deligere, qui cum illa dulciter atque hillariter colluderet & luctaretur, partusque editus mariti nec adulterinus adsereretur: eiusmodi vero leges latas tantum, seruatas minime legimus, non tam virorum duritia, quam mulierum continentia recusante.

12 Innumeræ † sunt adhuc præclarissimæ fœminæ, quæ cum insigni pudicitia, etiam coniugali charitate viros omnes longe vicisse possunt videri.

13 Et † primum quidem Susannæ in coniugio fides, nuptijs omnibus documento est, vt mori malit, quam consentire corruptori. Iu-
14 dith † vero viduam, & multæ diuitiæ & iuuenilis ætas & elegans præ cæteris forma repetendum connubium hortabantur, illa tamen vi-
15 duitatem nuptijs prætulit. Anna Prophetissa Phanuelis filia, cum septem tantum annos vixisset cum viro, in viduitate ad quartum vsque & octuagesimum vitæ suæ annũ iam perseuerauerat, quando Christum videre & de illo vaticinari meruit.

16 Venimus ecce cum viduis in templum. Sed iam cum virginibus etiam ipsa sancta sanctorum ingredi licebit.

Quandoquidem illum, quem nec cœli cœlorum capere possunt, virginis vterus tulit. Virgo † electa est, quæ Deum & hominem pareret, & vt propter virginitatem electam scires, mater facta virgo esse non desijt.

17 Quæ † hanc secutæ sunt, non hominis mortalis, sed Christi sponsarum nomine censentur, cœlestibus dignæ nuptijs, terrenas quæ contempserunt. Hinc † Philippi quatuor Apostoli filiæ, quia virgines erant, prophetandi munere dignæ factæ sunt.

18 Perpetua † vero atque summa castitatis laude omnis prope posteritas prosequitur Kunegundam Henrici Imperatoris coniugem. Audi de ea quæ scribit digna fide grauissimo authore facta Albert. Crantzius *in Saxonia, lib. 4. c. 35.*

Hunc ergo, inquit, Henricum Imp. scriptores multis efferunt laudibus, præcipue quod optimus Christianissimusque princeps cum Kunegunda vxore virginitatem seruauerit, creduntque Henricum & coniugem post obitum miraculis corruscasse. Et paulo post. Kunigundis deinde post aliquot annos tumulata est cum marito, virgo cum virgine. Cuius rei ferunt tum auditum in aere testimonium.

um,cum vox (incertum vnde) instreperet, Cede virgo virgini locum. Res sane digna miraculo in marithali thoro asseruatam in finem vsq; vitæ virginitatem.

Sed † & tam ancipitis pugnæ gemina victoria Edeltrudim virginem Annæ Regis orientalium Anglorum filiam, Sigebertus & Beda scriptores, potitam, tradunt: quam primum Candeberto Australium Girgiuorum Principi in coniugium traditam, cum eodem pari voto virginitatem seruasse ferunt. 19

Deinde eo defuncto, iterum a patre Cephorto Regi inuitam desponsatam, cum ipso quoq; in virginitate 12. annos vixisse. Rarissimum sane exemplum, & nescio an a condito æuo alterum tale, vt aliqua & bis maritata sit, & semper virgo.

Non † omittendum hic quoque videtur, quod rerum gestarum 20
Alexandri scriptores de Timodea referunt. Quam insignem Thebanam fœminam Thracus quidam Dux constuprasse dicitur. Cumque post id posceret pecuniam, solus a muliere ad puteum seductus fuisse, in quo diceret pretiosiora rerum suarum occultari. Ducem igitur super os putei spectandi causa inclinatum, illa comprehendens in profundum præcipitem egit, superneq; post iniectis lapidibus oppressit, eam propter magnanimitatem & constantiam liberam Alexander dimisit: vti Curtius scribit, *lib 2.*

Egregium præterea virgineæ castitatis exemplum legimus apud Ioannes Herburtum de Falstin. *in hist. Polon. libro nono, capitu. nono.*
Cum † enim Poloni Marchiam vastarent, *1325.* hoc præclarum 21
monachæ cuiusdam facinus memoratur: Capta a Lituano quopiam & ad stuprum tracta, rogauit eum ne sibi vim faceret, vicissim eum se edocturam, qui corpus eius vulnerari ferro non posset, mercedis loco promisit, ei porro huius artis auido, fortis puella, vt in se eius rei periculum faceret, iugulum præbuit, vbi ille credulus stricto gladio caput eius tangit & amputat. Sic itaq; illa barbari libidinem stuprumq; turpe honesta morte euasit, in hoc Lucretia multo castior, quæ post commissum perpetratumque facinus primum mortem sibi intulit.

Similiter † cum Romæ aliquando nobilis & castissimæ matronæ impudico amore Imperator Maxentius correptus, misisset eam qui adduceret: illa necessario horum alterutrum aut tyranno parendum aut morti prius succumbendum videns, non tantum vitæ

K quam

quam castitatis iacturam existimās, hoc eligit; petitq; a ministris exiguam moram exornandi se causa concederent, annuunt illi, hęc vero omnibus remotis arbitris sola cubiculum ingreditur. Vbi iterum castissima mulier, contumelię vt expers modestiam & castitatem inuiolatam conseruaret, ipsa sibi necem consciuit, ibiq; voluntariam mortem amplexa examinatum cadauer lenonibus expectantibus & nefario amatori reliquit. Quod Ioan. Zonaras *in anal. tom. 2.* prodi-
23 dit. Vbi idem non minus elegantem & memoria dignam hanc quoque historiam subdit, videlicet: In vrbe quandoque Andegauensi, missis ad aduētantem excipiendū Regē Pharmacopolā quendā cuius vxor ob excellentiam formæ ad perorandum coram Rege erat destinata, de illius castitate propter aulicorum perfidiam atq; luxuriam anxium atq; solicitum, pharmacum & tanquam ad habitum oris iucundiorem excitandum præbuisse, quo illa epotato de medio itinere domum repetere & aliquoties opus naturæ reddere coacta fuerit.

Hocq; pacto hanc domum retentam, cæteras omnes salutato & recepto Rege, in tenebris ab aulicis corruptas & ludificatas scribit. Atque hanc matronam circa annum 1567. se vidisse viuam attestantem audiui quempiam nominis non obscuri ICtum, pie nuper defunctum, quem alibi nominaui.

24 Raræ † etiam castitatis exemplum est in Zenobia Palmyrenorū Regina formosissima; quæ postquam semel cum viro suo concubuerat, tum expectatis menstruis, veluti indicijs an prægnans esset, so continere ab vlteriori congressu solebat, & se quidem prægnantem animaduertens, post nunquam ante editum partum maritum admisit: non vero prægnantem, potestatem quærendi liberos dabat, vt de ea Trebellius Pollio memorat.

Sed quis fœminas castitate insigniores omnes referat? taceo Saram, Rebeccam, Collatini Lucretiam, Catonis Portam, Corneliam Grachi, Penelopen Vlyssis ac Lentuli Sulpitiam, aliasq; innumeras mulieres, quarum pudicitiæ fidem non potuit vel vitæ periculum & mors ipsa præsens infringere, vt de Adlantha Calidonia, Camilla, Volsca, Cassandra, Crise, itemq; virginibus Lacedæmonijs, Spartiatis, Milesijs, Thebanis & multis alijs, quas virginitatem pluris quam regna quam deniq; vitam ipsam fecisse historiæ veteres testātur, nihil dicam.

Non

Non † minorem porro in amore coniugali atq; in maritos charitate mulieres quoque laudem tenent. Respiciamus † Indorum Catheorum fœminas, quæ cum more patrio plures eidem nuptæ esse soleant, mortuo marito in certamen iudiciumq; veniunt, quam ex ijs maxime dilexerit, Victrix gaudio exultans, deductaq; a necessarijs, lætum præferens vultum, coniugis se flammis inserit, & cum eo tanquam fœlicissima crematur: superatæ cum dedecore, tristitia & mœrore in vitæ remanent. Protrahe in medium Cimbricam audaciam, adijce Celtibericam fidem, iunge animosam Thraciæ sapientiam, annecte Lyciorum in luctibus abijciendis callide quæsitam rationem. 25 26

Indico tamen rogo, nil eorum præferes, quem vxoris pietas in modum genialis thori, propinqua mortis secura conscendit: vt scribit Valerius, *lib. 2. de instit. antiq. c.* 1

Similibus † atq; effusis charitatis habenis coniugem suum Mithridatem Regem, Regina Hipsicrates amauit, propter quem, præcipuum formæ suæ decorem, in habitum virilem conuertere, voluptatis loco habuit. Tonsis enim capillis equo se & armis adsuefecit, quo facilius laboribus & periculis eius interesset. 27

Quin etiam victum a Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est. Cuius tanta fides asperarum ac difficilium rerum, Mithridati maximum solatium & iucundissimum lenimentum fuit: cum domo enim & penatibus vagari se credidit, vxore simul exulante, eod. Valerio teste, *lib. 4. cap. 6. de amore coniugali.*

His denique † omnibus accedit Artemisia Mauseoli Regis Cariæ coniunx, quæ supra affectionis humanæ fidem quoq; maritum suum amauisse dicitur, eoq; mortuo regium cadauer in puluerem redigisse, & inditum aquæ bibisse fertur, vti refert Marsilius Ticinus insignis Platonis interpres & commentator, *in Platonis conuiuio de amore, cap. 6. in fine.* 28

Hactenus ergo & quam primum in rebus Veneris mulierum luxuria nulla, temperantia vero & continentia magna, rursum in coniugali fide earum quam affectio ardens, & in amore maritali constantia quanta, in tuenda denique pudicitia quam anxia solicitudo in seruanda castitate quæ pietas atque religio sit, omnia nimirum hæc quoque multis memoralibus simul atq; mirabilibus exemplis

in suo sexu contestari possunt, quibus hac parte ne suam viris laudem præripiant, ac ijsdem nominibus commendandos eos longo post se interuallo relinquant vereor.

29 Neque † tamen mirum est mulieres in amoribus libidonosis minus luxuriosas esse, quam viros, cum & hoc sua ratione non careat. Mulieres namque propter naturæ frigiditatem facilius se continere possunt. Viri autem, magis in his luxuriam atque libidinem naturalibus amoris flammis vrgentibus (simul hoc & Philosophis & Iureconsultis attestantibus) difficilius. *Petr. de Bell. Pet. & Ioan. Fab. in §. masculi. Instit. de nupt.* vbi virum frigidissimum omnium, esse calidiorem muliere omnium calidissima notant. Et Accursius ibidem in verbo, super filio, scribit: Calidiorem in fœmina sanguinem non esse.

Atque in iuuenibus viris singularem esse naturæ feruorem, cui quandoq; resistere non possint, testatur etiam Imp. Iustinianus *in Nouell. 2. cap. 3. vers. sin autem non valuerit, &c.*

30 Nam † vt idem alibi scribit: Nihil est furore amoris vehementius, quem retinere Philosophiæ est perfecte momentis & insilientem atque inhærentem concupiscentiam refrenantis, *Non. 74. c. 4. vnde versus:*

Non frater fratri, cum furor ille venit.
Ignem ille furor nescit habere modum.

CAPVT XIII.

Tertio, quam vulgo mulieribus veluti natiuam adscribunt, in rei familiaris administratione auaritiam, eam parsimoniæ potius nomen atq; laudem mereri proponitur: viri luxuriæ atque prodigalitatis vitijs, quasi proprijs notantur.

SVMMARIA.

1 *Mulieres neq; tam prodigæ sunt, neq; tam auaræ vt viri.*
2 *In mulieribus gulæ ventrisq; luxuriam naturalis pudor cohibet.*
3 *Prodigus & auarus sexus fœmineus simul dici non potest.*

4 *Qua*

4 *Quæ dicitur mulierum auaritia magis videtur diligens tantum partarum rerum custodia & parsimonia.*
5 *Verecundiam in mulieribus naturæ præcipuam esse, Iureconsultorum & Imperatorum testimonia.*
6 *Verecundia temperantiæ perpetua Comes & custos.*
7 *Non veniunt in idem pudor atque amor.*
8 *Heliogabalus, pudorem vt abijcerent, tanquam libidinibus inimicum, meretricibus suis persuasit.*
9 *Nihil turpius ebriosa muliere.*
10 *Vinum luxuriosa res est.*
11 *Satietas & ebrietas sunt libidinum incitamenta.*
12 *Sine Cerere & Bacho friget Venus.*
13 *Veteres vini vsum mulieribus interdicere consueuerunt.*
14 *Fœminæ etiam hodie vinum temperantius, viri mercacius sumunt.*
15 *Poculum primum est sitis, secundum voluptatis, tertium tentationis, quartum insaniæ.*
16 *Poculum primum est lætitiæ, secundum ebrietatis, tertium doloris.*
17 *Lex Græcorum conuiualis aut bibat aut abeat.*
18 *Ebrietas voluntaria insania, auctore Seneca.*
19 *Delectatio ebrietatis.*
20 *Exhortatio ad mulieres, vt sobrietatem sectentur.*
21 *Luxuria & auaritia non possunt vno eodemque subiecto comprehendi simul.*
22 *Luxuria efflagitat prodigalitatem, prodigalitas autem auaritiam pellit.*
23 *Luxuria detestabilior in mulieribus, auaritia autem in viris, & quare.*
24 *Officium quod viri & vxoris.*
25 *Vxor domi se continens, auaritiam exercere non potest.*
26 *Non minor est virtus quam quærere parta tueri.*
27 *In mulieribus quæ dicitur esse auaritia videtur esse laudabilis Parsimonia: in viris autem est radix malorum.*

IN qua nam ergo re demum, in qua virtute, quo naturæ dono, qua vel literis aut vsu comparata sciẽtia sexus ille virilis quem tam excellentem atque nobilem omnes prædicant: eum quem imbecilliorem similiter omnes clamitant, superat. Nondum sane in vlla alia

 lauda-

laudabili atque gloriosa hominis, siue à natura data, siue exercitatione studioque adsueta dote & prohinc egregia actione mulier cedere viro, aut cuicunque se magis quam virum inclinare natura vitio, concedere videtur.

1 Nam præter libidines venereas, siue etiam gulæ in hoc sexu luxuriam quæras, siue prodigalitate quoque aut auaritiam huic obijcere velis, certe neutram harum inuenire in eo facile poteris.

2 Cohibet † immodicam gulã atque turpes heluonis Bachi libidines, singularis in hoc sexu pudor & verecundia, quam huic quasi natura innatam videmus. Sed & indulgere ventri & suo abdomini seruire hic pręcipue sexus dici quomodo potest, cum natura vulgo auarissimus idem perhibeatur, quo † ipso idem in alijs quoque sumptibus faciẽdis à prodigalitate excusatur. Quam vero huic vulgo adscribunt auaritiam quasi natura insitam, ea quoq; laudabili rei familiaris administrandæ studio † quodammodo excusari potest; imo nec auaritia quidem, sed potius honesta atque decens in rebus domo illatis custodiendis, conseruandis, vtiliter & moderate vtẽdis, omnibusque commode disponendis cura & diligentia dicenda videtur.

5 Et quidem † verecundiam in hoc præcipue sexu esse maximã atque genuinam, id aperte iuris nostris auctores grauissime commendant. Pudorem namque & verecundiæ cultum puellis præcipue tribuunt Impp. Honorius & Theodosius *in l. in coniunctione 20. C. de nupt.* & Iustinianus Imp. sexui fœmineo verecundiam tanquã peculiarem adscribit *in §. consequens, Instit. de suspect. tutor.* Quare & *in l. optimam pen. C. de contrah. & cõmit. stip.* propter mulieres, vtpote quas perperam manifestare sese omnibus naturalis pudor prohibeat, seruos in contractibus adhibere, tãquam vtile, permisit, quæq; per seruos contracta fuerint, ea seruari quoq; sanciuit. Imperat. autẽ Constantin. ne fœminæ prosequendæ litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreuerẽter irruant, marito in rebus suæ vxoris, etiã citra mandatum, cum solenni satisdatione aliaq; obseruatione, liberam intercedendi facultatem concessit, *in l. maritus 21. C. de procura.*

6 Verecundia † itaq; primum est à gula, atq; hanc ad calcẽ quæ subsequitur, à libidinum luxuria plurimum mulieres cohibet. Pudor enim & verecundia perpetua Comes & custos est tẽperantiæ, continentiæ, pudicitiæ, teste Accursio *in l. ita nobis 28. C. de adult. in princ.*

7 Nec veniunt in idem † pudor atque amor.

Vnde

Vnde † Imperatotem Heliogabalum omnium helluonem spurcissimum meretrices suas adhortatum legimus, cum primis pudorẽ vt abijcerent, & ex mentibus suis omnem verecundiam extirparent, si indulgere libidinibus, quibus is maxime inimicus sit, velint. 8

Ex aduerso autem viri, quanto minor in illis est pudor, tanto magis etiam minusque verecunde & Veneri & ventri indulgent, illicitos sectanrur amores, suoque abdomini seruiunt. Fœminę vero rursum quanto magis insanis Bachi tetrisque Veneris voluptatibus genus suum contaminari vident, tanto magis etiam maximus in illis pudor se ab ijs abstinere hortatur.

Nec enim est turpius ebriosa muliere: & nihil fœdius ebria quicquam. 9

Turpe iacens mulier multo madefacta Liæo:

Inquit Ouidius 3. *de amoribus.*

Nam † cum vinum luxuriosa res sit, vt legimus *Prouerb.* 10. atq; in 10 primis Veneris cupiditates accendat; mulieres cum bibunt, sui se semetipsas impotentes bibendo reddere, rationis habenas ad coercẽdas libidines facile amittere, ac proinde pudotis sui immemores in quosuis licitos atque illicitos amores facile prolabi non ignorant.

Quod etiam Imp. Constantin. innuit *in l. qua adulterium 29. C. ad l. Iul. de adult.* quando intemperantiæ vina vocat ea, quæ in caupona potantibus data sunt, quibus inebriati postmodum cum domina tabernæ adulterium commiserint, quasi in hoc crimen delapsi non essent, si vina immodice non bibissent, ex quib. intemperantia oritur, quod & Poeta *lib. 3. de art. amand.* confirmat, dum inquit:

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Cura fugit multo diluiturque mero. Et paulo post.
Et Venus in vinis, ignis in igne fuit. Atque iterum.
Cum Veneris puero non male Bache facis.

Ideoque D. Paulus *ad Ephesios c. 5.* admonet: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: Venter enim mero affluens facile despumat in libidinem, quod dictum allegat etiam gl. *in d. l. qua adulterium verb. intemperantia.*

Quemadmodum gula siue satietas libidinis atque luxuriæ est incitamentum, ita quoque sublato vino non est Venus. 11

Vnde apud Apuleium *lib. 5. asini aurei* ita Venus loquitur.

Petamne auxilium ab inimica mea sobrietate? Et Terentius in Eu-

12 in Eunucho ludit: sine Cerere & Bacho † friget Venus.

Atque hinc apud multos populos, pręcipue vero Romanos, mu-
13 lieribus vini vsum legibus interdictum fuisse † cõstat: quod quidem Romanorum laudabile institututum quam diutissime haud dubie fuit obseruatum.

Nam vt Tiraquellus *in l. 9. connubiali. n. 706.* refert, Blondus *in lib. 5. triumphantis Romæ* testatur, se legisse instrumentum dotale ante annos 300. confectum, in quo patri puellę sponsus promiserit, quoties illa peperisset, singulis octo primis diebus puerperij, vinum illi quantum deceret, & pariter de consilio medici, si quando ægrotasset, bibendum dare. Insuper & omni festo solenni potu illam vnico oblectare.

14 Sed neque † hodie vetus ille Romanorum mos plane euanuit, atque etiamnum apud omnes prope humaniores populos, fœminas ab immodica vini ingurgitatione non tam lex quam ipsius rei turpitudo absterret.

At quid viri? hi nimirum accubationes epulares, commessationes & compotationes quotidianas inter se, non propter amoris coniunctionem, aut aliquam animi recreationem & sermonis delectationem moderate, honeste ac tempestiue instituunt, apparant atq; celebrant; sed plerique vt maxima ex parte immensæ plane atq; insulsæ gulæ gurgites atque helluones non tam laudi atque gloriæ, suo quam abdomini natos se credẽtes, talia plerunque conuiuia tractãt, de quibus dici non potest, vtrum iste plus biberit, vomuerit, effude-
15 rit? Non vllam poculorum † distinctionem, vel qua primum sitis, alterum voluptatis, tertium tentationis, & quartum insaniæ; vel qua
16 lætitiæ † primum, ebrietatis alterum, dolorisq; tertium dicitur, seruant aut norunt.

17 Illam † vero Græcorum legem, quæ, aut bibat, inquit, aut abeat, strenue custodiunt. nec sitientes bibũt, nec esurientes edunt, vespertina crapula ore adhuc fœtido cõueniunt, nec nisi onusti cibo & potu iterum discedunt, immoderato potu & pastu obstupefacta mente domum demum repetunt ac redeunt; Breuiter gulę ventrique se totos dedunt, somni vinique plenos se semper colunt.

18 O detestandam † voraginem flagitiorum ac turpitudinum omnium. Recte namque Seneca ebrietatem voluntariam insaniam dixit, quæ naturam debilitat, ingenij aciem tollit, animũ libidinosum reddit:

dit: luxuria disciplinam populi corrumpit, aliasq; multifariam Rem-
pub. offendit.

Quare † longius facesse hinc quęso (vir potator insaneq; bibax) nã 19
hesterna cœna, quam hodie cum frustis Bachum redolentibus euo-
mis, me adhuc ieiunum offendis. Nonne vides temulente tuũ ipsius
gremium totumque tribunal incoctæ tuæ cœnæ fecibus defœdatũ?
Salue Tiberi Imperator bibacissime, vosque Facce & Piso florentis-
simarum palmarum bibuli, saluete plurimum; an biduum hoc totũ
potando consumpsistis? Qui fit, quod oculos vestros tam somnicu-
losos, linguas tam tremulas, manus atque pedes tam vacillantes vi-
deam? Appello Philippe Macedonũ Rex inclytissime. Appellas fur-
cifer? Appello tamen, ad quem tandem? à Philippo iam temulento
ad Philippum sobrium. Sed quid ago? demonstrando melius quam
perorando hanc causam alios peragere sino. Vos modo fœminę per- 20
gite pro pudore vestro laudabili, pergite, inquam, parce sumere vi-
num; nam vinum est loquax & tacere nescit iniurias. Imo vinum &
Venus homines Cyclopas monstraque naturæ reddunt. Vinũ Phar-
macum corporis & lac senum, sed venenum mẽtis, illius vsum ad so-
brietatem probate, at excessum ad ebrietatem reprehendite: sic ve-
strum pudoris, pudicitiæ ac sobrietatis gloriosum nomen constãter
tuebimini atq; perpetuum & peculiare sexui hoc vestro retinebitis
atq; conseruabitis. Et hactenus de sobria mulierum vita, & immodi-
ca virorum gula. Nunc de virorum auaritia & prodigalitate, mulierũ
autem parsimonia & diligẽti rerum custodia.

Luxuriam & auaritiam, vitia constat esse opposita, quæ vno eodẽq;
tempore, vno eodemque subiecto † comprehendi non possunt; sed 21
posito vno, alterum necessario tollitur, iuxta regulam Logicorum &
ICtos, *in l. sed etsi, §. item si plures, vbi gl. DD. ff. de instito. l. Pompo. §. sed
si is in fin. ff. de procur. & in l. hac verba si ille aut illa, ff. de verb. sign. &c.*
Vnde est illud Horatij.

Stulti dum vitant vitia in contraria currunt.

Luxuriæ † namque perpetua Comes est prodigalitas, nec luxuria 22
sine prodigalitate tãquam necessario adiuncto dici potest: hæc vero
recta opponitur auaritiæ. Auarus itaq; si quis est, nõ prodigus idem;
qui vero non prodigus, nec luxuriosus idem recte dicitur.

Mulieres ergo auaras, imo auarissimas, acerrimus earum osor dum
clamitat, à maiorib. vitijs, luxuria, inquam, atq; gula, ipse quoque eas-

dem purgare videtur: Auaritia enim occidit & Cererem & Bachum sine quibus nec ipsa Venus luxuriæ mater viuere potest. Luxuriam
23 autem atque gulam † maiora perhiberi in fœminis vitia, quam in viris, modo dictum est. Sed auaritia contra turpior & contemnenda magis est in viris quam in fœminis. Non enim adeo corrumpit auaritia mulieres, vt viros: imo quæ in illis est auaritia, ipsa prope est vt non etiam laudetur. Nam cum viri sit officium, vt foris sub dio, in a-
24 gro, in foro, in Republica negotietur, † & opera sua diuitias comparet: domoque ad familiæ necessitatem inferat. Vxoris autem munus domi educare liberos, quæque illata sunt à viro fideliter custodire & procurare, vt Aristot. *2. Polit. 3. & 2. Oeconom. 1.* tradit: hoc suo officio vxor dum fideliter incumbit, ac ne quid dispereat domi, foris quod multo sudore atq; labore à viro est conquisitum, diligẽter prospicit; insuper & infantes alit atq; educat; formam denique atq; pudicitiam domi se continendo tuetur: omnia nimirum hæc intra parietes dum
25 agit, auaritiæ quæstum exercere in administratione familiæ nullum, vel si aliquem, tamen non nisi minimum potest. Sed quæcunq; agit, omnia vt à viro illata domo, suæq; iam commissa curæ, diligenter atque fideliter administret, optime disponat atq; conseruet, agit. Quod studium conseruandorum bonorũ muliebre domesticũ, licet quandoque forte custodiæ fines excedat, atque etiam ad auaritiæ limen quam proxime accedat, non tamen adeo reprehendendum videtur, quod non tam auaritiam, quam quasi tenacitatem ex magnorum viri laborum periculorumq; laudabili perpẽsione natam, id præ se ferat,
26 quam etiam † laudare ipsi Naso mihi videtur, dum inquit:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Quare non solum luxuria huic sexui cũ iniuria tribui & quasi genuina adscribi, sed nec auaritiã iure, si sui muneris partes intra parietes fideliter subeat, quasi turpis exprobari, imo in hac laudari rectius hæc videtur, cum etiam renitente propria voluntate diligẽtioris custodiæ fines non excedere, vel ad illicitas auri cupidines penetrare queat.

27 In viris † autem auaritia vt est maior & frequentior, ita in his quoque omnium malorũ fons siue radix recte dicitur, *c. bonorũ, dist. 47.* qui cum publica munera soli subeant, nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod non eorum auaritia comminuere atque violare soleat, vt conqueritur Cicero *pro Quintio.*

CA-

CAPVT XIV.

Generatim a reliquis, quibus ſexus muliebris præſtantia ac nobilitas impugnatur vitiis, idem excuſatur; Et deniq; etiam ab indole egregia ac mira artium ac diſciplinarum ingenij capacitate, doctiſſimarum puellarum ac mulierum exemplis commendatur.

SVMMARIA.

1 *Paucarum mulierum crimen transfertur in omnes.*
2 *Exempla fœminarum quæ literarum peritia excelluere.*
3 *Sapho Lesbia, in qua Saphicum carminis genus.*
4 *Erynna Ahodia, cum Homero contendit verſibus.*
5 *Corinna cum Pindaro.*
6 *Aretia Cyrenaica etiam in ſcholis docuit.*
7 *Argentaria Polla, Lucani vxor, doctiſſima.*
8 *Item Calphurnia Plinij ſecundi.*
9 *Sulpitiam Romanam propter eximiam eruditionem celebrare, eſſe ſibi decori Martialis exiſtimauit.*
10 *Caſſandra Fidelis, Veneta Virgo, Patauij diſputauit.*
11 *Aliæ doctæ mulieres.*
12 *Etiam puellas olim literis operã dediſſe legum autoritatem habet.*

AD alia porro quæ mulieribus adſcribantur vitia, quod attinet 1 paucarum forte crimen transfertur in omnes, quod Euripides in Menalippe hanc in ſententiam pulchre expreſſit.

Miſerrimum eſt muliebre genus ſemel inuiſum
Nam quæ peccarunt etiam immeritis
Dedecori ſunt mulieribus, & communicant vituperium
Malæ non malis.

Et apud eundem Ione *in Creuſa* conqueritur.

Conditio enim mulierum difficilis eſt erga maritos:
Et inter malas nec bonæ miſtæ
Odio habemur, adeo miſeræ ſumus.

Et apud Terent. Sostrata *in Hecyra.*

Ædepol ne nos mulieres sumus iniquè omnes inuisæ viris
Propter paucas, quæ omnes faciunt digna vt videantur malo.

Et eleganter apud Senec. in Hippolyt. ipse cum dixisset Hyppolytus.

Sileantur alia, sola coniunx Ægei
Medea reddit fœminas dirum genus:

Mox subdit nutrix Phædræ,

Cur omnium sit culpa paucarum scelus?

Quare rectè Ouidius 3. *de amor.*

Parcite paucarum crimen diffundere in omnes,
Spectetur meritis quæque puella suis.

Nulla itaq; adhuc virtute fœminas viris posteriores, nec vllo priores vitio esse; sed bene contra in omni prope illa etiam maiores, in hoc vero semper eas extitisse innocentiores videmus.

2 Quod † si porro etiam doctrinã in his desideras, possum tibi plures nominare fœminas, quæ politioris literaturæ studiosissimæ simulatque in ea celeberrimæ fuêre.

Primo est exemplo Sapho Lesbia adolescens, quæ multis Græcis vatibus non inferior, & doctè & suauiter versus sublimi ingenio cecinisse non † contenta, etiam Saphici carminis inuentrix extitit &
3 Saphicum illi nomen primum indidit.

4 Saphon † tamquam magistram imitata Erynna est Rhodia, cuius poëma Doricum, excellentia carminis etiam cum Homero contentendisse ferunt.

5 Pariter † Corinna quoque (vt Suidas scribit) Thebis de poesi cum Pindaro contenderat, quem quinquies gloria rara superarat.

6 Aretia † etiam Cyrenaica, Aristippi patris Sacratici dogma secuta, adeo excelluit, vt mortuo patre idonea haberetur, quæ in philosophia patris scholam regere posset, quam & ingenti gloria, dum vixit, rexit.

7 Sed & † Latinę simili doctrina insignes multæ fuêre. Nam Argẽtariam Pollam Lucani vxorem tanto ingenio tãtaque doctrina præditam fuisse scriptum est, vt cæptos à viro permultos versus, ipsa ma-
8 ritalis styli grauitate atque elegantia perficeret. Quod † de sua quoque coniuge Calphurnia Plinius secundus scripsit.

Quam ingens etiã Sulpitiæ Romanæ doctrina fuit, quæ Heroico carmi-

carmine, illaudata Domitiani Auguſti tempora defleuit, tantaq; pe- 9
ritia & virtutis ſimplicitate habita eſt, vt Martialis eam epigramma-
te celebrare, eſſe ſibi decori, duxerit.

Ne † vero putes noſtri temporis mulieres ad literas minus aptas, 10
quæ nuper vixit, & ceu prodigioſa res doctrina admirabilis fuit Caſ-
ſandra Fidelis, Veneta virgo, non ſolum ad lyram elegantiſſime ver-
ſibus magna eruditione a ſe compoſitis cecinit, verum Pătauij quo-
que in ſchola diſputando ingentem doctrinæ & acuminis laudem,
conſecuta eſt, cum omnibus in omni doctrinarum genere appoſite
reſponderet, & vt clarius eruditionis ſuæ documentum exhiberet,
de ordine ſcientiarum librum ſcripſit atq; edidit.

Similis † doctrina excellentes ex Græcis & Latinis antiquis & re- 11
centioribus plurimæ ſunt: Gemmiam præterea atq; Amphicteam
Plotinus extollit, laudat Lactantius Themiſten: exultat Eccleſia in
Catharina, quæ ſola puella omnem illius æui ſapientum doctrinam
ſuperauit: ſed referre omnes auocat breuitas & tempus deficit: nec
earum album hic conſcribere conuenit. Satis nunc quas collaudaui-
mus ſuo exemplo, egregiam fœminarum indolem docent, nec am-
plius dubium eſt, niſi vetitum hodie mulieribus eſſet literas diſcere,
& liberalibus artibus operam dare, vt olim eas dediſſe etiam iuris
noſtri authoritatem habet: & teſtatur † Iulian. *in l. qui filium*, 4. *ff.* 12
vbi pupillus edu. &c. iam iam etiam clariſſimas doctrina multas fu-
turas. Sed neq; hoc loci nobis memoria excidat, omnium artium li-
beralium omniſq; virtutis inuentrices præcipue mulieres extitiſſe,
Quod ipſa artium & virtutum fœminina nomina manifeſtũ faciunt.
Quare demum etſi per ſingula virtutum, artium, ſcientiarũ & qua-
rumcumque laudabilium actionum genera curras, vbique tamen
mulier, ſi non principem, certe nec inferiorem ſibi locum vendica-
re videtur.

CAPVT XV.

Tandem ex hactenus dictis concluditur, natura fœminas viris eſſe per omnia æquales, & in aliquibus etiam ſuperiores. Quod autem ad ciuilia negocia & munera publica

videantur, ac forte etiam sint minus aptæ quam viri, molliori educatione tantum, & disciplinarum & exercitationum virilium in his negligentia magis, quam naturali sexus inbecillitate aut ineptitudine niti, variarum gentium exemplis admodum verisimile redditur.

SVMMARIA.

1 *Fœminas ad negocia ciuilia minus esse aptas quam viros, non naturali aliqua ratione aut imbecillitate, sed delicatiori educatione & disciplinarum negligentia nititur.*

2 *Si ita educarentur masculi vt fœminæ, forte non magis apti ad ciuilia negocia euaderent viri, quam sic euadunt fœminæ.*

3 *In Getulia, Bactris & Galetia, viri molliciei erant dediti: mulieres autem virilia munera subierant.*

4 *Apud Aegyptios viri domi texebant, mulieres foris negociebantur.*

5 *Veteres Brittanni fœminarum ductu bellabant.*

6 *In expeditione Hierosolymitana etiam Alemannorum mulieres armatæ cum viris profectæ sunt.*

7 *Prisci Germani fœminas viris digniores & sanctas putarunt.*

8 *Apud veteres Asiaticos, fœminæ viris imperabant.*

9 *Sauromatides virilibus exercitijs se dabant.*

10 *Ex Platonis sententia disciplina equestris & gymnastica non minus fœminis quam viris honeste conuenit.*

11 *Item Plato conqueritur magno Reipub. vitio dãdum esse, ita ignaue mulieres, & non in ijsdem cum viris studiis educari, quod eo duplex ciuitatis fœlicitas in simplicem tantum contrahatur.*

12 *Quare Plato armis & rei bellicæ etiam mulieres operam dare velit?*

QVæ omnia cum ita sese habeãt, (ad scopum tandem principalem nostrum vt redeamus) sine tibi persuadeam, inique innocentem sexum ne opprimas, statuasque, post de meliori edoctus sententiã aliter, nunc ita mecum: nulla vi-

la videlicet iusta ratione nec aliqua ciuili necessitate, non sine contu-
melia tanquam ineptiores sexuque debiliores, a muneribus publi-
cis atque ciuilibus eliminatas atque exclusas, ac proinde cum in alijs
multis articulis, tum vel maxime in successionibus, in deteriori iuris
conditione constitutas esse. Id namque (vt videtur) rei † ouum est, 1
ac nimirum vsu & consuetudine tantum, & delicatiori mulierum
educatione inualuit primum, quo minus vtriusque sexus conditio
in omnibus iuris articulis æqua, ita cum ipsa natura producta perpe-
tua constiterit.

Labantibus primum filiarum per negligentiam parentum disci-
plinis & exercitijs in omnibus ijs artibus atque scientijs, in quibus
erudiri & agitari filios parentes curabant.

Exinde earum de sexu suborta conceptaque suspicione tanquam
imbecilliori, nec omnibus, vt virilem, artibus, exercitijs atque one-
ribus idoneo siue æquali. Proinde omni in viros tanquam validiores
imperio collato, deniq; & legib. ab his suo sexui fauorabilib. sancitis.

Cum enim iam constet, nec animi nec corporis excellentia ho-
minem homine, siue masculus is sit, siue fœmina, præstare omnes
tota naturæ dignitate esse pares, ęquales omnibus dotes inditas; imo
fœminam prope in omnibus his superiorem apparere; qui fieret si
vna cum viris hæ in ijsdem artibus & exercitijs, in literarum studijs
atque scientijs simul erudirentur, iuuenes masculi & fœmellæ in lu-
ctationibus & exercitationibus gymnasticis, in arcu, in funda, in e-
questri pedestrique dimicatione instituerentur, nec statim a primis
annis domi ad focum, colum, filum & acum detinerentur, qui, inquã,
fieret, vt non æque cum masculis fœmellæ quoq, proficerent, & tã-
dem ad Reipublicæ administrationem ciuitatisq; munera subeun-
da idonei solum viri, non etiam mulieres perfectæ euaderent? Cer-
te si sorte versa masculi ita domi semper † delitescere ad fornacem 2
cogerentur, & in ijs solummodo artibus, in quibus modo mulieres
sese exercerent, contra vero fœminæ in literis, liberalibus artibus,
prælijs & certaminibus, alijsq; munijs ad Rempub. pertinentibus e-
docerẽtur, forsitan non magis apti tũ masculi ad munera quæcunq;
publica subeunda existerent, quã modo fœminas ad eã aptas esse vi-
demus. Id ꝙ aliquãdo in Getulia, in Bactris & Galetia factũ fuisse le-
gimus, vbi antiquitatẽ scriptores fide digni referũt: Viros fuisse mol- 3
liciei deditos, mulieres a. agros coluisse, ędificasse, negotiari cõsuesse,
equi-

equitasse aliaque omnia fecisse, quæ modo apud nos viri factitant.

4 Sic † Herodoto Halicarnass. in Euterpe teste, apud Ægyptios fœminæ negociantur cauponanturq; & institoris operis vacant: Viri autem intra domos texunt. Alij villum subtegminis desuper tramant Ægyptij subter. Onera viri capitibus, fœminæ humeris baiulant. Fœminæ stantes mingunt viri sedentes. Alendi parentes filijs nulla nolentibus; filiabus & vt nolint summa necessitas est. Viri binas vestes habent, fœminæ singulas.

5 Quin † etiam veteres apud Brittannos illos, fœminæ non regno tantum, sed etiam bello præfectæ erant, solitum quippe Brittannis, fœminarum ductu bellare. Tacitus in Arg. scribit.

6 Et † similiter apud Alemannos mulieres vna cum viris armatas bellatum abijsse legimus. Nam de fœminis Alemannis eas quoque ad expeditionem Hierosolymitanam profectas esse Nicetas Choniata Græcus illorum temporum scriptor, qui & ipsos exercitus vidit, author est. Inter quos Alemannos, inquit, & mulieres erant non cõiunctis pedibus, sed virorum instar diuisis, super pallijs æquitantes, hastatæ atque armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus audaciores, inter quas vna excelluit, quasi altera Penthesilea, quæ ob fastigia & limbum vestium auro intertextum, Auripes vocabatur: hæc ille.

7 Germani † quoque prisci viris has ipsas etiam attulerunt, & inesse ijs sanctum aliquid & prouidum putarunt. Itaque nec consilia earum aspernabantur, nec responsa negligebant. Imo plerasque earum (rides an ringeris) fatidicas, & agnoscente superstitione, deas arbitrabantur, vt testatur Tacit. *de moribus German. & hist. 6.* Quare & *annal. 6.* virilibus curis fœminarum vitia has exuisse, idem scribit.

8 Sed † & veteres Asiatici ita vsurpabant, ac nimirum receptum solitumque in Asia erat, iam inde a Semirami, etiam fœminas imperiium in viros exercere. *Arianus, lib. 1. de reb.* Alexandri.

9 Et † deniq; similiter Plato, *lib. 7. de legibus* circa medium, scribit, suis temporibus circa Pontum innumera mulierum millia, quę Sauromatides vocabantur, fuisse, quibus non equorum modo, sed etiam arcuum cæterorumq; armorum æqualis cum viris cura & exercitatio instituta fuerit.

10 Quare † non sine ratione singulari videtur ibidem diuinus ille Phi-

Philoſophus adſtruere, diſciplinam equeſtrem atque gymnaſticam non minus fœminis, quam viris honeſte conuenire, idemque iuſte conqueri, eſſe hoc in noſtris regionibus ſtultiſſimum, quod non ijſdem ſtudijs mulieres cum viris omni conatu conſenſuque dent operam, quod hoc dum agant omnis diminuatur ciuitas atque pro dupla eadem fiat dimidia. Dumque † legiſlator delicijs ſinit diffluere mulieres & attendit ſolummodo viros duplicem ciuitatis felici- 11
tatem in ſimplicem contrahat. Et paulo poſt in eodem libro magno Reipublicæ vitio dandum eſſe ſcribit, ita ignaue mulieres educari, vt nec veluti aues quidem pro filiolis atq; puellulis ſuis contra feroces audeant beſtias pugnare, morique potius velint, cunctaque ſubire pericula malint, quam ſtatim ad aras templaque confugere, opinionemq; de genere hominum, ac ſi hoc omnium animalium ignauiſſimum eſſet, reddere.

Quamobrem † legem is quidem in Republica ſanciendam ſua- 12
det, ne mulieres rem bellicam negligant, ſed omnes tam mulieres quam viri armis dent operam: & puellæ quidem ſaltare, pugnareque cum armis conſueſcant, mulieres autem caſtra mouere, ordines ſtruere & arma ſumere atque deponere diſcant, atque hoc quidem, ſi non alterius huius tantum rei gratia, vt ſi neceſſitas cogat, vt viri omnes bellatum exeant, poſſint ipſe interim ſi quid aduerſi eueniat domi ciuitatem defendere, vel ſi tanta hoſtium vis eſſet, vt etiam mulieres pro ciuitate arma capere neceſſitas poſtularet, quorum nihil eſt quod non facile euenire poſſit, hæ quoque auxiliares manus præbere queant.

CAPVT XVI.

Denuo ſexus fœminei laudes repetuntur: eiuſque nobilitas & præſtantia magnorum Philoſophorum, Iuriſconſultorum, & Imperatorum elogijs confirmatur: atque amplius non ſolum exterorum regnorũ quorundam moribus ac ſtatutis, quibus etiam in imperio & Iuriſdictione fœminę ſucce-

M dunt

cedunt: sed etiam multis præstantissimarum Reginarum exemplis corroboratur. Proindequos per omnia pares natura effecit: nec inæquali successionis iure distinguendos esse, concluditur.

SVMMARIA.

1 *Exhortatio ad mulieres in hoc certamine.*
2 *Muliebris armatura descriptio.*
3 *Encomium Platonis.*
4 *Plato muliebris naturæ buccinator.*
5 *Cicero cum Platone errare magis, quam vera sentire voluit.*
6 *Encomium Ciceronis.*
7 *Erigitur sexus muliebris Imperatorum Romanorum suppetiis.*
8 *Descriptio Imperatoris Romani.*
9 *Regale solium Imperatoris quale.*
10 *Post cœleste diuinum grauissimum est summi Principis numen.*
11 *Muliebris sexus Imperatoria authoritate restitutus.*
12 *Omnium optime de muliebris sexus in iure conditione meritus est Imperator Iustinianus.*
13 *In quibusdam Imperiis etiam fœminæ in iurisdictione hereditario iure succedunt.*
14 *Ioanna Siciliæ Regina.*
15 *Romanorum legibus fœminis iudicandi munus ademptum.*
16 *Angliæ Reginæ Imperium.*
17 *Abbatissæ iurisdictionem Papali authoritate habent.*
18 *Galliæ consuetudine & mulieres clarissimæ ius dicere possunt.*
19 *An consuetudo, vt etiam mulieres iudicare possint, in iuditiis valeat.*
20 *Contra muliebre decus est, mulieres inter cœtus virorum conspici.*
21 *Præclarum est mulierem selectorum militum stipata manu tribunal conscendere.*
22 *Virtus nec censum nec sexum eligit.*
23 *Multæ laudatissimæ Reginæ.*

24 *Est*

24 *Est in fœminis imperfectio quidem humoris, at non defectio virtutis.*
25 *Amasis Ægyptiorum Imperator, vt subditis suis contemptibilem de se opinionem, quod ignobili loco erat natus, eripuerit historia.*
26 *Obiectio & eiusdem solutio.*
27 *Etiam ICti. fœminam viro virtutibus parem ab officiis ciuilibus & Imperio non excludunt.*
28 *Si sit fœmina, qualis Hecuba, merito seruit illa suo viro Priamo: Si vero sit fœmina qualis Dido, iure illa ciuitati imperat.*
29 *Angliæ Reginæ Encomium*
30 *Sexus muliebris patronis se aggregare etiam Tyraquellus sibi proposuerat.*

NVnc vero hilariorem fingite, lætum recordamini vultum omnes fœminæ; lætitia exporrigite frontem, alacriori animo nũc † gestientes vestrum respicite hostem, intuemini obuium, inimicum vobis videte sexum. 1 Iniuriosas modo voces minasque iactantem, pericula intendentem, formidines opponentem; crudelem se omnino ostendentem & ostentantem, vosque adoriri vi desiderio gestientem, hunc iam aspicite quæso, quam perturbatus animo, quam præliari dubius; nutantibus signis cum hastis demissis, non pristinum tubis clangorem fundentibus vastum, incedit. Animaduertite, quam exultantem modo lætitiam comprimat, quam perterrefactus timore contremiscat. Tacita (non fallor scio) nunc mente fœmineo sexui offert æquale ius & æquum in omnibus ac per omnia: saltem forsitan & imperium muliebre durius tam vastuosi contemptus vindictam, quod metuit, perferre ne cogatur.

Sed vnde nam iste, rogas, tam subitus timor ac tremor? vnde tam præceps hostem confligendi horror inuasisse videtur.

Nimirum † iam primum acies fœminarum omni conuincendi 2 necessitate paratissimas intelligit. Nam primo elegantes earum formæ, tanquam in lucido Solis campo clypei splendent, deinde earum naturæ dotes plurimæ atque maximæ veluti altæ hastarum mucrones eminent; tertio omni virtutum apparatu velut annonæ copia omnisque generis munitionibus sunt instructissimæ; quarto constantia & animi fortitudine tanquam ferreo aliquo indutæ thorace apparent, quinto indole egregia, salubri veluti consilio

 valen-

valent; sexto quarumcumque rerum administrandarum admirabili scientia & fœlicitate, ceu castra commode ponendi, tempestiue mouendi, confligendique peritia videntur præditæ; septimo temperantiam & continentiam, ceu vigilantissimas excubantes ad securitatem custodias habent; causæ denique æquitate tanquam inexpugnabili arce circumuallatæ sunt; quæ simul omnia adeo hostiles virorum copias terrent, vt iam prope fuga sibi salutem quærere videantur. Maxime, cum ex suis dudum iam præcipua defecisse capita, atque in fœminarum castra palam fortissimos se contulisse Duces, fortiter iam fœminas aduersus viros prȩliari hortantes conspiciant.

2 Nam † grauiter earum inflare tubam non ille dedignatur, cui in cunis paruulo dormienti apes in labellis consederunt, & suauissimum oris halitum reliquerunt: qui longe omnium quicunque locuti sunt aut scripserunt vbertate simul ac grauitate dicendi Prin-
3 ceps, † intelligendi grauissimus author, atque magister vocatur:
4 qui non inferior Aristotele, nec illius similis ingenio, † sed solus omnium maxime solertissimus & doctrina præstantissimus, imo quasi quidam Deus Philosophorum habetur: videlicet diuinus ille
5 Plato: cum † quo etiam errare potius quam vera sentire cum multis alijs etiam oratorum maximus voluit, cuius quoad humanum ingenium incolume manserit, quandiu vsq; literis honor, gloria magnȩ
6 virtutis precium erit, quamdiu rerum natura steterit, aut memoria durauerit, tamdiu admirabile posteris vigebit ingenium, & vni cognitus seculo Tullius, innotescet omnibus.

7 Sed † quam amplius hoc quoq; gloriosum est fœminis, quamq; illud de sexu muliebris salute, existimatione atq; dignitate, præclare ac magnifice memoratur; videlicet eam iam inclinantem, & causa pene omni collapsa prosilijsse demum, eam vt erigeret atque in pristinum statum reuocaret, qui summus terrarum orbis Monar-
8 cha † Rex quorumcunque Regum eminentissimus, omnium Principum dominantium Dominus, Victor atque Imperator cunctarum gentium inuictissimus, semper Augustus, & toti dominari mundo, suaque sub potestate habere dicitur omnia, & sedet in summo regali throno mundi & sanctissimo honoris & iusticiæ culmine, *iuxta, glos. in clem. dudum, §. supra cathedram de sepultur. dicentem.*

Rex

Rex solium, Doctor cathedram, iudexque tribunal
Possidet, & sedem Præsul, Prætorq; curule.

Et Doctores omnes, in l. bene à Zenone per illum tex. C de quadr. præscript. & in l. deprecatio, ibi, totius mundi Dominus. ff. ad leg. Rhod. de iactu. Bald. & alios, in l. cunctos populos, C. de summ. trin. & c. Bar. in l. hostes, ff. de captiuis, Alphons. Guerr. in speculo Principum, c. 56. Chassa. in tract. de gloria mundi, part. 5. consideratione 28. Ioann. Hugo in tract. de officio prælat. part. 4. in princ.

Hic † nimirum est populi Romani Monarcha, armis & legibus præpotẽs, in illo regali solio sceptrum Imperij ministrans: vbi in anteriori parte stãt duo robusti iuuenes, Imperij angorem & laborem præ se ferentes, ille quod vrget hoc vbique perficiente: in posteriori vero parte puellæ duæ, curæ & vigiliæ indicia, vbique hac ad necessitatem attendente, illa vero prospiciente. Ab alio porro latere adstat accinctus ferro, quam modica ferens iuuenis, in exactionib. clementiæ admonens; ab alio vero vir quidam fugiens, suo videlicet exemplo ita insufflatores fugiendos vel ab Imperiali solio repellendos innuens, quemadmodum hoc describit Nicol. Boer. *in tract. de ordine graduum vtriusque fori, part. 2. nu. 1.* 9

Cuius † post cœleste diuinum apud omnem populum Romanũ grauissimum atque sanctissimum numen est, quod longissime hinc ab omnibus mundi plagis humaniores gentes solum in terris respiciunt, auguste venerantur, summe simulq; quam possunt summisse colunt & reuerentur. 10

Idem etiam est in cuius pectoris scrinio omnia sunt recondita iura, & inde tanquã ex limpidissimo fonte profluunt: Cuius solius auctoritate atque maiestate, omnes legum sanctiones sua cẽsentur potestate: Huic namq; soli quicquid placet, protinus id legis instar est, & ex Lege Regia legem esse constat (*l. 1. §. cum enim, Cod. de iur. vet. enucl. l. 1 ff. de constit. princip. §. sed & quod princip. Instit. de iure nat. gẽt. & ciuil. Liuius Decad. 5. lib. 4.*) atque huic soli quicquid placet, protinus id nulla repugnante humana sanctione similiter & lubet & licet, nec nisi libera maiestatis tamen suæ digna (ipsemet vt fatetur) voce alligatum sese legibus profitetur, *l. digna vox, 4. C. de legibus, & constit. princip. l. Princeps 31. ff. de legib. eleganter Bodin. lib. 1. de Repub. capite 8.*

Quamobrem ô fœlicem te, ô terque quaterque beatum sexũ, qui

tantum apud Principem eam inuenisti gratiam, vt existimationem tuam abiectam, contemptibilem de te opinionem, iura in te asperiora, limare, tollere atque eliminare: tibi vero dignitatem pristinam apud omnes Imperatoria auctoritate restituere, nobilem natu-
11 ram † tuam, quasi Cymmerijs tenebris iam inuolutam, sub suæ Maiestatis nomine, tanquam meridiano Sole rursum exponere, tuam conditionem in iure multifariam quam virorum deteriorem, æqualitate exæquare, insuper etiam multas prærogatiuas superaddere tibi, in his nimirum cessionibus omnibus & singulis haud indignum te sacratissimo & augustissimo suo patrocinio iudicauerit.

12 Quo † nomine nescio an vllus melius sit de hoc sexu meritus, quam Imperator Iustinianus, qui primus hunc sexum dignitate & necessitate virili æqualem natura iudicauit, & primum cum virili æqualia emolumenta successionum quoque huic concessit, (*d. l. maximum vitium, d. l. penul. C. de suis & legit. Nou. 118.*) primus denique pro conseruanda dote priuilegia in rebus mariti hypothecaria, quam omnibus alijs creditoribus siue anterioribus siue posterioribus potiora indulsit, (*l. assiduis, C. qui pot. in pig. Nou. 97. & Nou. 109.*) aliaque plurima dedit, quæ forte deinceps ab alio nunquam data illi fuissent.

13 Sed quid † de hoc in Imperio Romano? longe maiori potitur hic sexus iure & fauore in exteris quoque regnis, in Apulia, Sicilia, Anglia, Nauarræ regno, Hierosolymitano & Neapolitano, in quibus fœminæ etiam in Ducatu & Principatu, ipsoque regno hæreditario iure succedunt; & non minori cum prudentia & grauitate Reginæ quam Reges populo ius dicunt & imperant, (*Tiraq. in tract. de primogen. quæst. 10. nu. 2. & 3.*) atque ita vidisse se Ioannam Siciliæ Regi-
14 nam † sedentem in solio regali, & contra illos de Balso grauiter pronunciare sententiam audiuisse testatur Angel. *in l. cum Prætor, in fin. ff. de iudic.*

15 Et certe † quãquam legibus Romanis iudicandi munus fœminis ademptum sit, *l. cum Prætor, 12. §. 2 ff. de iud. & l. 2. ff. de reg iur. & vtrobique DD.* tamen eo res peruenit, vt hodie in multis regnis & regionibus etiam mulieribus Imperium & iurisdictio cõpetat, & modo iure hæreditario modo cõsuetudine & iure municipali alijs præsideant, iurique dicundo præsint.

16 Quemadmodum † de Siciliæ Regina diximus, & nostro hoc se-
culo

culo Reginam in Anglia sceptra regia tenere, ac pro tribunali ius dicere videmus. Atque idem non tantum olim obtinuisse, ex iure Pōtificio probatur, *cap. dilecti 4. ex d. arbitr.* vbi aliquando compromissum in Reginam Francorum esse scribitur: sed etiam hodie in Abbatissa receptum esse, † eamque iurisdictionem & dignitati suæ an- 17
nexam habere administrationem Summus probat Pontifex, *in cap. indemnitatibus, 42. in 6.* Et † quoad mulieres clarissimas, talem ho- 18
die etiam in Gallia vigere consuetudinem, vt ius dicere possint, testatur Ripa *responso* 108. *nu.* 7. Cuiusmodi consuetudinem aduersus ius commune induci posse fere omnes de iure quibus permissum est respondere, consentiunt *per d. c. dilecti, & d. c. indemnitatibus.* Quin etiam rationem: quemadmodum enim moribus mulierum iuris dicendi officio fungi non posse inductum est, *d. l. cum Prætor, 12. §. non autem, ff. de iudic.* Ita † quoque è contra, mulierem ius dicere posse, 19
de nouo moribus inuehere nihil ꝓhibet, cum omne quod ligatum est, eo quo ligatum est genere, iterum dissoluere iuris & naturæ ratio soleat, *l. nihil tam naturale. ff. de reg. iur. c. 1. ex eod. Afflict. decis.* 232. *num.* 4.

At, inquis, inter † cœtus viriles mulierem conspici contra mulie- 20
bre decus & publicam honestatem iura reputāt, *l. 2. C. de his qui ven. at. Imp. l. maritus, C. de procurat. c. mulieres, de iudic. in 6. c. indemnitatib. §. porro, de elect. in 6.* Suadent enim ne mulier contra pudicitiam sexui congruentem, *l. 1. §. sexum, ff. de postulando.* cœtibus virorum se immisceat, *d. l. maritus*, maxime quando est illustris, *l. si qua illustris, C. ad Orficianum*, Bald. *in l. quoties, n. 7. C. de suis & legit.* Cagnol. *in d. l. 2. num. 3. & ibi* Cuchalon. *in addit. ad Dec. ff. de reg. iur.* Curt. Iun. *in tract. feud. p. 10. in pr. n.* 1. Sensbec. *de feud. p. 9. n.* 3. Aluarot. Isern. Laud. & feudistæ omnes, *in c. 1. §. & quia vidimus, & §. hoc annotandum, de his qui feud. dar. poss.* Periculosa quippe est sexuum commistio, *vt dicitur in c. definimus 18. q. 1. & tradit* Matth. de Afflict. *in constit. Neap. tit. 98. lib. 1.*

Verum † ego non dedecus, sed maximam mulieris laudem dixe- 21
rim, si selectorum satellitum stipata manu tribunal, ibi ius reddituta, conscendat, cum Abbate, *in dicto capit. dilecti.* Et quamuis porro etiam humaniores legum censores nonnulli hunc morem, veluti contrarium naturæ adserere videantur, hoc tamen alij contra veluti falsum redarguere non verentur, ac non

magis

magis fœminis quam viris Imperium in humana societate natura negari contendunt.

Sed neque frigidam suæ sententiæ rationem afferunt. Vti enim dominari in viros natura cadit, nec tamen hoc omnibus viris, vtpote aliquibus vel mutis vel surdis vel seruis, aut alias minus idoneis atq; perfectis, conuenit; ita neque mulieres omnes deteriores apparent viris, quas sæpe etiam viris præstantiores natura genuit: quo euenit, nec semper virum cum muliere comparatum, esse ea meliorem, omnemq; mulierem deteriorem; sed quandoq; etiam mulieres viris æquiualent aut etiam eos superant. Errant ergo & hallucinantur (vt videtur) simpliciter qui fœminis consilium & imperium negant, & propter hoc omnes seruitutis iugo premunt, omnes ab omni virtutis arce atq; mercede repellunt, cum tamen vsus comprobet, verum
22 id quod grauiter Seneca in Epist. scribit, Nulli † præclusa est virtus, omnes admittit, nec censum nec sexum eligit.

23 Et † reuera nonne multæ eximiæ reginarum aliarumq; mulierũ lectę nobis, auditę, visæ, supra commemoratę, quæ fortes, castæ, cautæ, prudentes, graues fœminarum vitia cum virilibus curis commutarunt. Sunt Sabæ insigni sapientia (*3. Reg. 10. Matth. 10.*) Corneliæ multiplici rerum cognitione, (*Quintilianus*) Artemisiæ, rara fortitudine (*Gellius lib 10.*) Susannæ, mira castitate singulæ ipsos viros lõge superantes. Atque hic repete si placet, quod Iudith Holofernem (*Iud. c. 13.*) Hester Hamonem (*Hest. c. 6.*) Tamyris Cyrum (*Iustin. lib. 1.*) aliæque inermes alios potentes vicerint. Atque iterum repete si placet quod natura fœminam sæpe solertem, industria literatam, educatio piam, experientia sapientem reddit; quid obstat igitur, quo minus administret Rempublicam? Iterum natura eam sæpe de inclyta stirpe generosam parit: cur parêre magis quam imperare deberet? Sæpe eam vnicam regni hæredem parit, cur non regeret? Fœminarum Imperia piæ leges agnoscunt; hæc gentium mores comprobant, instituta patrum collaudant, sacrarum literarum exempla confirmant. Insanis ergo furêtius vir bone, qui odio in vnam fœminam incitatus monstrosum regnum fœminarum ais. Est in fœminis quidem (Philosophis hoc docentibus) imperfectio humoris, defectio autem virtutis minime.

24 Molliores videntur † viris fortasse corpore, at viris virtute nequaquam secũdæ, Ergo si sceptrum illis natura dederit, cur regnum negas?

negas: Si splendore virtutis multum te superent, cur debitum & officium tanquam potioribus non persoluis?

Sane † non est quod magis infirmitatem mulieris contemnes, quam olim Ægyptij Imperatoris sui Amasis obscurum atque ignobilem locum & paupertatem. Illi enim cum populus parentes suos viles artifices indignabunde obiecisset, eiq; parêre pro officio recusasset, vas quoddam aureum (quod Regibus aliquando ad opus naturæ reddendum destinatum erat,) in celebre idolum fundi & commutari ipse iussit, in templo erexit, proinde festum instituit populumque coegit, vbi nouum Deum admirari omnes, venerari singuli. Ergo Amasis Rex superius in altum ascendit; & charissimi ciues, proclamauit, cur me contemnitis, & tamen Deum ex matula conflatum adoratis? O ciues, ciues, non locum, sed virum, non me seruum, sed Regem respicite. Quo intellecto populus prostratus cecidit & modo contemptum Regem, mox adorauit. Quamobrem vt humilitas loci huic insigni viro Imperium non negauit, ita infirmitas naturæ, si qua est, omni fœminæ aditum ad dignitatem non interclusisse videtur. 25

Sed quid? inquis: sunt inter fœminas quædam natura liberæ, sunt ingeniosæ, sunt scientia, consilio, pietate, omnique virtutum genere politæ ac decoratæ: & tamen (Philosopho teste) pro seruis & mancipijs habentur: Sic enim ait: Mas ad obtinendum principatum aptior est quam fœmina à natura (*lib. 1. de Repub. c. vlt.*) atque iterum: Mas cum fœmina comparatus melior est, hæc autem deterior, & ille quidem imperare, hæc autem imperio parere debet (*1. de Repub. 3.*) Ex hoc posteriori loco caue ne virus capias; non enim dicit Aristoteles, omnem virum meliorem esse fœmina, atque omnem fœminam deteriorem viro: potest ergo contingere & sæpius contingit meliorem esse fœminam viro; proinde tum quoque magis fœminæ quam viro simili consequentia conueniet Imperium, virumque imperanti fœminæ obedire decebit. 26

Similiter enim in iure nostro: etsi ab omnibus Reipublicę muneribus fœminas Iurisconsulti elimandas existiment, *l. fœminæ, 2 ff. de reg. iur. l. cum Prætor, §. non autem, & ibi* Bald. *de iud. c. mulierem 35. q. 3. l. vlt. & ibi* Bart. Bald. & Salic. *C. arbitr.* Dec. & Cagn. *in d. l. 2 num. 3.* Chassan. in consuetud. Burgundiæ *rubr. 1. §. 6. nu. 42. & alij passim*, tamen hanc sententiā suam vnanimiter omnes ita moderantur, si mu-

lier talis sit, quam indecorum atque inutile futurum esset, tali alicui
27 officio adhiberi: nam † mulierem adeo bonam & virtutibus exornatam, quę sufficere ad talem dignitatis & oneris molem possit, eã non magis atque præstantem virum excludẽdam censent. Ratione namque prohibitionis cessante, ipsa quoque legis prohibitio cessare debet, *c. cum cessante, extra de appell. l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patro. l. vlt ff. de testam. tut. l. vlt. ff. de hered. institut. & arg. eorum quæ scribit* Bart. *in l. nam ad ea, nu. 1. per illum text. ff. de legib. &* Tiraquel. *in legibus connubialib. l. 9. nu. 15. & 20.* Iason *in l. 1. n. 61. ff. de off. eius cui mãd. est iurisdict.* Couar. *var. resol. lib. 1. c. vult. n. 1. vers. cõtrariam* Menoch. *in tract. remed. posses. adipisc. rem 2. n. 55. & rem 4. nu. 719. & idem* Menoch. *in tract. remed. poss. recup. rem. 15. n. 92.* Cotta *in memorab. verbo mater, & nouissime* Prugmannus *in tract. de differentiis sexus in part. 1. prin. art. 1. limit. 1 n. 24. & seq. vbi plures.*

At priorem locum ne te pudet mancum & mutilatum protrudere? sequuntur quæ tu dissimulas verba, hęc videlicet, nisi forte ita cõparatus est, vt à natura desueuerit: quare primum hoc ipsum (NISI) te iniquum huius causæ iudicem esse prodit. Deinde non de maritali ac domestico imperio quod habet vir in vxorẽ, Philosophum loqui attendis: non itaque inde publicam regni administrationem solutæ fœminæ recte ex Philosophi sententia negas.

28 Si ergo † sit Hecuba, inseruiat illa Priamo: sin autem Dido fuerit, ciuitati illa imperet, hoc est, si nupta sit Regina, subijciatur illa Regi: sin regere naturæ dotes permiserint, nec prohibeatur imperare.

Quod igitur restat, denuo vos cohortor, fœminæ, erigite animũ, confidite pro sexus vestri dignitate ac iure vobis debito fortiter pugnate, armis instructæ satis aduersum cõuincite sexum, eiulate, exultate audacius, quasi iamiam victrices triumphali lætitia gloriosam expectate victoriam, &, si modo cum periculo placet, dubiam adhuc tanquam certam canite. Coniuratam habetis iam Angliæ hæredem
29 vnam fœminam, quæ † sexus vestri magna cum laude atq; gloria per multos annos amplissimum regnum beatissime regnauit, terra marique potentissimos hostes conuicit ac debellauit.

Succurrunt & auxiliares manus præbent, viri satis magni, qui obiecta vobis crimina scite excipiunt, diluunt atque retorquẽt: quibus iam etiam magnus ille ICtus, infinitæ lectionis & admirabilis inge-
30 nij Andr. † Tiraquellus adgregare se statuerat, sed vel morte peruẽctus est.

tus est, aut studijs impeditus maioribus, vel pœnitentia adductus voluntatem mutauit. Postquam enim multos illius sexus propugnatores ordine recensuit (*in l. connub. 9. num. 229.*) & ipsum se aliquando, nisi quid aliud interciperet, de laudibus mulierum proprium peculiaremque tractatum conscripturum subiecit: quin etiam paulo ante illud se facturum ausus est profiteri: vt non testimonijs & auctoritate virorum vsus, sed euidentissimis & ex imis naturæ visceribus depromptis rationibus, quem modo contempserat sexum fœmineum, Palinodiam canens eundem laudet vel inuitus, quem alij vituperant. Potuisset sane omni doctrinarum genere vir eruditissimus, apud hunc sexum magnam inire gratiam, eius patrocinium si suscepisset: sed forsitan virorum indignationis metus in ipso hoc fœminis præripuit. Nā & ipse adijcit, vereri se hoc si faceret, ne sibi succenseāt viri vitioque vertant, tanquam mulierum gratiam & amorem suo aucupari patrocinio contenderet. Quamobrem nec admodum exigente necessitate tacere maluit, perstititque in Vlpiani sententia, maiorem in ipso sexu virili dignitatem esse, quam in fœmineo (*d. l. 1. ff. de Senat.*) Id quod nec ante nec post ipsum alius pluribus, doctioribus, elegantioribus, clarioribus, firmioribus & grauioribus comprobauit argumentis & auctoribus, (*in d. l. 9. & passim in legibus suis connubialibus,*) quibus omnibus inuictum robur viris aduersus fœminas addidit. Quamobrem inanem muliebris sexus commendationem relinquo tandem; quod autem hactenus in ea longius sum commoratus, fuit omnino vtriusque sexus collatio quædam instituenda, vt si quæ etiam hæc argumenta suppeditaret, ad dictas differētias in successionbus (de quibus præcipue agimus) æquas & iniquas pronunciandas, nec ea tacitus præterirem. Qua de causa etiam post pro virili sexu Palinodiam canere atque extollere marem & deprimere fœminam non incongruum erit.

Et hactenus quidem dictas differentias iniquas nec in Republica tolerandas naturalibus tantum rationibus contendimus.

Restat vt addamus, quibus Republicæ minus vtiles & proficuas easdem commonstremus.

CAPVT XVII.

Sexto differentias sexus in successionibus repugnare etiam ciuili æquitati, arguitur primo; quia magnam inter liberos inducit inæqualitatem, quæ sane inter fratres ac sorores præcipue super imperiorum, principatuum ac territorium inæqualibus diuisionibus simultates, dissidia & hinc bella certissima parit, adeoq; familiarum & Reipublicæ tranquillitati est infensissima.

SVMMARIA.

1 *Inæqualitatis, præcipue inter fratres & sorores, incommoda.*
2 *Inæqualitas primum dissidere facit fratres & sorores, hi vero totam familiam commouent, hæc familias quoque reliquas adeoq; totam ciuitatem in dissidia trahit.*
3 *Exemplum.*
4 *Ciuiles discordiæ plerunq; latius serpunt.*
5 *Concordia propinquorum, familiarium amplitudinem & dignitatem tuetur.*
6 *Præceptum Guicciardini de alenda inter fratres concordia.*
7 *Concordia alit pacem, Discordia bella mouet.*
8 *Æqualitas concordiam, inæqualitas discordiam parit.*
9 *Eurycratidis Laconis de iuris æqualitate inter ciues sententia.*
10 *Guicciardinus æqualitatem Reipublicæ fundamentum statuit.*
11 *Imperatores Valerianus & Gallienus æqualitatis inter liberos in successionibus maxime studiosi.*
12 *Inimicitiæ fratrum plerunque infeliciores & diuturniores sunt, quam aliorum.*
13 *Exemplum Eteodis & Pollinicis.*
14 *Inæqualis parentum erga liberos affectio, quam exitiosa.*
15 *Atrox Tulliæ facinus.*
16 *Inæqualitas parit etiam inuidiam.*

17 *Exem-*

17 *Exemplum in filios Iacob.*
18 *Tam pertinaciter plerumque fratres & sorores æqualitatem sectantur, vt etiam ficos diuidi velint: vnde prouerbium: ficos diuidere.*
19 *Paris in parem imperium graue.*
20 *Gloriosa res est principatus.*
21 *Dominandi libido atque cupiditas omnia naturæ & humanitatis iura prosternit.*
22 *Dominandi cupiditas propinquis præcipue est inimica.*
23 *Hinc parricidium Caracalli.*
24 *Richardi Ducis Clocestrij.*
25 *Adolphi Ducis Geldriæ in patrem impietas, immane facinus.*
26 *In Imperatorum Constantinopolitanorum successionibus atrocitas.*
27 *Assyriorum.*
28 *Chaldæorum.*
29 *Persarum.*
30 *Seleucidarum.*
31 *Parthorum.*
32 *Ægyptiacorum.*
33 *Satius diuidi regnum, quam pluribus indiuisum relinqui, Bodinus statuit.*
34 *Imperij magnitudinem magna incommoda sequitur.*
35 *Melius est pauca agere caute, quam multis interesse periculose.*
36 *Melior est bucella panis sicca in gaudio, quam tota domus plena victimis cum iurgio.*
37 *Quemadmodum ignis addito oleo acrius vrit, ita dominandi libido in diuisionibus principatuum inæqualitatis prætextu magis accenditur.*
38 *Galliæ calamitatum diuturnarum origo ex Lege Salica, adeoque differentiis sexus in successionibus deducitur.*
39 *Concluditur æqualitatem inter liberos seruandam.*
40 *Lucrum pietas nescit pecuniæ.*
41 *Concordia res magnæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur.*
42 *Qui seminat discordiam, eum Deus & homines detestantur.*
43 *Iusti boniq; parentes omnibus liberis æque tam filiabus quam filiis prospiciunt.*

44 *Legibus ex æquo inter liberos fœminas & mares hæreditates diuidantur.*

45 *In interpretatione legum & vltimarum voluntatum super parentum successionibus ad æqualitatem sensus semper dirigi debet.*

46 *Filius ergo hæres.*

PRimum itaq; eliminandas has a Republica differentias, ciuilis etiam æquitas quodammodo suadet, propter inæqualitatem, quæ inter liberos, masculos & fœminas per eas inducitur.

1 Quam † enim inæqualitas exitiosa sit, non familijs tantum, sed ipsis etiam Rebuspublicis atque regnis plusquam vtile in confesso est. Suscitat hæc non inter conciues tantum dissidia maxima (Aristotele teste, *lib. 8. polit. c. 6. & 8.*) sed etiam inter liberos, fratres atque sorores, nec non fines iurgia grauissima excitat: commouet sæpe etiam vniuersum populum, publicam tranquillitatem non raro disturbat: ipsarum deniq; familiarium dignitatem imminuit, ac proinde publicam vtilitatem quoq; diminuit, *l. 1. §. quod seruus, ff. de vent.*

2 *inspic.* Cū enim frater a fratre vel sorore, adfinis ab adfine dissidet, rarum est, vt non etiam tota familia in dissenssiones diuidatur, dum alius huius, illius alius partes defendit atq; tuetur. Distracta autem familia vna, facile etiam hæc reliquas ad dissensiones prouocat, alijs aliorum prouinciam sponte vel precario suscipientibus. Quo deniq; fit, vt sublata familiarum concordia, etiam ex quibus constat ipsa ciuitas quieta diu permanere non possit.

3 Cuius † rei exemplum Aristoteles, *lib. 5. Polit. cap. 4. in pr.* memorat, quod in Hastiæa, insulę Euboeæ vrbe accidit: vbi similiter de bonorum paternorum inter fratres suborta dissensione, quod alter alterum thesaurū, quem pater inuenisset aliquando, occultare putarit: alius quidem pauperes veluti pauperior: alter vero locupletes adsciuit, adeoq; in contrarias partes tota ciuitas scissa est. Quare verissimum esse constat, quod Guicciardinus, *lib. 7. hist.* scribit: Ciuiles discordiæ plerunq; latius serpunt; & homines vlterius, quā initio cōstiterant, trahunt: nonnunquam etiam a fide principis ad defectio-

4 nem commouent. † Familiarum autem honorem & dignitatem, q̄ magis tueatur, atq; conseruet, quam concordia fratrum, non est sane quicquam. Nam vt non minus prudenter quam vere Hannibal iste Magnocaballus, de fratrum concordia differens, statuit, & multo feliciores sunt, & ad maius sublimitatis culmen istæ familiæ adsurgūt,

quæ

quæ plures fratres concordes habent, quam quæ ab vno duntaxat poſſidentur. Sicuti enim nemo ita Athlantis viribus pollet, vt cœlum humeris ſuſtinere queat: ita nullum tam graue pondus eſt, quin a pluribus ſuſtentatum fiat leuius. Præterea cum homines diuerſæ naturæ, gradu & poſſeſſione diuerſi, æque iura omnes ad familiarum amplitudinem ſua ſtudia conferunt, ſane non ſecus atq; architectas ad ædificij alicuius ſtructuram, ita hos ad amplificandas domos intentos eſſe videmus: & hunc quidem literarum ſcientia præditum, illum fortitudine præſtantem, iſtum Eccleſiaſtica vel ſeculari aliqua dignitate ornatum, cæteros rerum familiarium ſtudio aut alio medio inſtructos, quæ ſingula in vnum aliquem cadere minime poſſunt.

Huic ſubſcribit etiam prudentiſſimus Guicciardinus, *in Hypomneſi polit.44* Concordia, *inquit*, fratrum ac propinquorum infinita commoda adfert, quæ haud ita facile perſpicias, neq; enim ſingula exacte apparent, vt animorum ille nexus te plurimum iuuet, magnamque penes alios authoritatem tibi conciliet.

Quare † *admonet*, opinionem hanc diligenter obſeruabis, licet 6
quandoq; cũ tuo incõmodo coniuncta videatur. Qua in re plurimi decipiuntur, dum leui aliquo damno commoueri ſe patiuntur, nec conſiderant, quanta viceuerſa commoda ſint, quæ latent. Hæc ille.

Quem † igitur ad modum.

Altricis nomen dulcis concordia pacis 7
Promerita eſt q; matris ſæui diſcordia Martis.

vt inquit ille: ſic quoque æqualitas (vt habet Pithagoræ ſententia, a Platone, *lib.6. de Legib. & Ariſtot. lib.9 de moribus, c.8.* comprobata)
amicitia eſt, † hoc eſt, ipſius amicitiæ concordiæq; parens & altrix: 8
Inæqualitas vero diſcordiarum, litiumq; ſeminarium. Quod neque illum Eurycratidis Laconis filium verum eſſe fugit: Is enim interrogatus, in qua tandem vrbe tutiſſime quis vitam agere poſſet? in ea reſpondit, in qua qui incolunt, neq; plus neq; minus poſſident, & vbi 9
iuſtitia viget, iniuſtitia vero imbecillis eſt. Grauiter certe admonens æqualitatem eſſe pacis & tranquillitatis matrem & nutricem: ſeditionum autem atq; turbarum ipſam, quam dixi, inæqualitatem, vt ſcribit Plutarchus *in apophteg. Lacon.* Quod ipſum iterum atq; denuo confirmat, *lib.2. hiſt.* Guicciardinus: vbi æqualitatem popularis 10
Reipublicæ fundamentum maxime neceſſarium eſſe prodit.

Quam-

Quamuis autem inter omnes homines ſemper concordia, pax & amicitia ſit exoptanda, præcipue tamen inter liberos, fratres & ſorores hæc eſt expetenda: ac proinde æqualitas cum inter omnes omnibus in rebus, vt Lycurgus voluit, tum maxime inter liberos, fratres & ſorores in ſucceſſionibus, iuribus, hæreditarijs & vltimis hominum ſuper his diſpoſitionibus ea ſolicitudine ſeruanda eſt, qua eam
11 Valerianus & Gallienus † Imperatores conſeruare ſtuduerunt, *in l. de fideicommiſſ. 11. C. de tranſact.*

12 Quandoquidem † primo ingens amor (qualis eſt fraternus) in indignationem, cum conuertitur, ea acerrima fit, & pluſquam immaniſſimarum beſtiarum rabies plerunque ſæuire ſolet: quod vel ſolo
13 Eteoclis & Pollinicis fratrum † exemplo confirmatur: quorum mutua amicitia in tantam inimicitiam commutata fertur, vt cum corpora eorum ſimul cremarentur & combuſtioni manciparentur, etiam flammæ mirabiliter a ſe inuicem ſeparatæ, ne morte quidem conciliatos eos teſtari viderentur.

14 Deinde † vero experientia quoq; edocemur, quod ſi ſaltem alios ex filijs magis ament parentes quam alios: minus amati debitam reuerentiam exhibere illis amplius nolint, odio ipſos proſequi non viuos tantum incipiant, & facta eis præparare cogitent necemq; ſtruant: ſed etiam mortuos ſæpe propter inæqualitatem execrari nō vereantur, & in eos verbis & factis crudeles exiſtant: quemadmodum
15 de Tullia Seruij filia, *lib. 1. hiſt.* Liuius † ſcribit: quod immani crudelitate per patris cadauer, in quo ſedebat, ire coegerit: de qua *6. Faſt.* ita Ouidius:

Filia carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feroxq; vias.
Corpus vt adſpexit, lachrymis auriga profuſis,
Reſtitit hunc tali corripit illa ſono.
Vadis expectas precium pietatis amarum
Duc, inquam, inuitas ipſa per ora rotas.
Certa fides facti, dictus ſceleratus ab illa
Vicus & æterna res ea preſſa nota eſt.

Neque vero hæc ſolum in parentes amoris inæqualitas nefarios liberorum auſus producit: ſed ex eadem etiam ipſos inter liberos, fratres, ſorores atque ad fines, nouæ, graues atq; immortales inimicitiæ progerminant, contentiones lethales excreſcunt, fraterq; fra-

tr

tri insidias quascunque potest, occulte struit, vel etiam propalam armata hostiliq; manu eum insequitur.

Porro sola dissimilis parentum affectio erga liberos, cum tam exacerbare eorum animos inuicem possit, quanto putas eos agitari vehementius & iniquius ferre, si alterutri fratrum vel sororum ampliorem hæreditatis partem pater in testamento adsignasset, aut etiam tali vigente statuto filiæ per filios, aut sorores per fratres excluderentur: quo casu etiam felicitatis masculeæ comes inuidia fœminas suo cum malo premeret.

Sunt † enim illi peruersi hominum mores, vt alter propter alterius res secundas detestanda ægrotet inuidia, mœreant plerique alios cum iuxta se feliciores vident; toxicum sit illis fortuna alterius prospera, nec lætari vllo modo possint, nisi in suo simili infortunio alios quoque iactari contingat. 16

Nam talis nimirum est inuidia pestis (vt cum Poeta loquar.)

Quæ semper rebus dirum miscere venenum *secundis*
Nititur, atq; oculos angit, ne prospera ferre
Alterius possint, intabescantq; videndo:
Scilicet horrendum monstrum, sæuissima pestis.
Exitiale malum quo non violentius vllum.

Et cum illo altero:

Macerat inuidia ante oculos illum esse potentem:
Illum aspectari claro qui incedit honore:
Ipsi se in tenebris volui cœnoq; queruntur.

Et † quinam sint fructus imparis in liberos parentum amoris *Gen. 37.* in filijs viri illius sancti & Patriarchæ Iacob apparent, quos donatio tunicæ polymitæ a patre in filium natu minimum Iosephum facta, adeo offendit, vt rarissimæ indolis puerum fratrem, & quem antea intime amauerant, summe tum oderint omnes, nec quicquam ipsi pacifice loqui potuerint: imo de occidendo ipso cõsilium susceperint; & tandem Medianitis negociatoribus viginti argenteis ipsum vendiderint. 17

Et † reuera ita se res habet, adeo pertinaciter fratres & sorores æqualitatem inter se sectari & desiderare, vt ne ficos quidem indiuisas facile relinquant, vt vetus prouerbium habet: ficos diuidere, a fratribus istis ductum, qui eo vsque minima quæque inter se diuidi 18

postulant, vt ne ficos quidem tanquam res munitissimas non partiantur.

Cuius etiam in his Martialis versibus mentio est:

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem
Sexte, sed & fratrem Callidorus habet.
Quadraginta secat, qui dicit sûka merízein:
Vno credis equo posse sedere duos?

Si vero propter rem tam leuem tanta sæpe inter fratres exoriantur iurgia, quanta propter fundos, domus, quam maxima magna propter regna inter eosdem exoriri odia putas? Nam est sane difficilis inter fratres priuatos inæqualis hæreditarij soli diuisio, ad inter magnates & personas principes difficillima impar regni imperijue
19 successio: superior † autem potestas atq; alterius in alterum, ac paris in parem iurisdictio prope intolerabilis.

Siquidem in magnanimis & facilius iniusticia nascitur & est superioris tolerantia grauior, vti Cic. *1. offic.* scribit, nec æqualis sibi imperium quisquam facile perfert, sed dominandi cupidus parium
20 quisque simul plerumq; existit. Cum enim Principatus † gloriosa prorsus & beatissima res sit, qua quippe sola Deo similiores reddimur; hunc omnes appetunt & cæteris hominibus superiores esse expetunt omnes, vt Guicciardinus, *in hypom. 33. testatur.*

Atque hinc quamuis honoris & gloriæ cupiditas digna laude res est, & in societate humana alias vtilissima, dum ea homines ad generosas atque excultas cogitationes & actiones, exstimulat: tamen de potentiæ & imperij cupiditate idem dici minime potest. Nam qui hanc velut idolum quoddam venerantur, † & inter prima ducunt, fere per fas & nefas obtinere conantur, & maximorum atque infinitorum malorum causam præbent.

Videmus enim Principes & cæteros, qui hoc obiecto, velut fine ducuntur, nullo rationis fræno retineri, bona & vitam aliorum libidini suæ exposita putare, præda ac periculis omnia obijcere, dummodo id spes aliqua potentiæ suadeat, vt idem Guicciardinus hoc sua experientia confirmat, *hypom. 74.*

21 Sic † etiam Robertus Gaguinus *in histor. Francor. lib. 1. cap. 5.* scribit. Nihil apud dominandi cupidos probitatis aut fidei est: libidine enim dominandi Reges feruntur. Et Natalis Comes, *lib. 2. hist.* Prosternit & conculcat omnia humanitatis & naturæ iura cupiditas & libido dominandi.

Maxi-

Maxime † vero hæc propinquis, eiusdemque familiæ status & dignitatis personis est infensissima, & nimirum multis simul superioritatem ambientibus bella commouet multorum necem, ac demum maxima regno regniq; subditis incommoda creat. Sic namque hac sola ductus Caracallus impie necare fratrem Getam non dubitauit, quod ipse testatus atque fassus est, dicens: nescit pietatis iura regnandi cupido; & ad mitigandam quasi iustam populi parricidij indignationem, ex Bassiani Præfecti consilio, inter diuos fratrem retulit, sit, inquiens diuus, dum non sit viuus; teste Plutarcho, *in apophteo, dictis Caracallæ.* Atque † iterum hac sola ductus Richardus Dux Clocestrius, mortuo fratre Eduardo III. Angliæ Rege anno 1481. duos eius filios, quorum maiori iam fidem & iusiurandum tanquam successori legitimo regni præstiterat, necare: neque hoc solum, verum etiam horum sorores frequenti conuocato senatu illegitimas pronunciare non est veritus, scribit Comminæus, *lib. 9. de rebus gestis Ludouici.* 22 23 24

Sola † deniq; regnandi cupiditate ductus Dux Geldriæ, Adolphus, anno 1475. patrem Arnoldum senem & iam quadraginta annis Principatum tenentem, longioris eius vitæ impatiens factus, expulit, & captiuum acerrima hyeme, nudum pedibus per quinque milliaria deduxit, in deterrimum carcerem detrusit, in eoque sex mensibus detinuit; vt idem Commin. *lib. 5. scribit.* 25

Ac † in similes dominandi libidine miserias Imperatores Constantinopolitani, eo tempore quo apertius a Christiana fide abhorruerunt, cecidere: Sic scilicet Alexio Comneno filij tres, quatuor autem filiæ fuerunt, inquit initio historiæ suæ Choniatas. 26

Eo viuente dissidia maxima propter imperium domi oborta. Ipse enim relinquere illud Iohanni conabatur. Vxor Nicephoro Bryennio genero, ac marito Annæ primogenitæ quasi hæc primogenita imperium sibi vendicaret. Alexio tamen defuncto Iohannes occupauit imperium, post annum cognati omnes ad Bryennium defecerunt. Comprehensi benignitatem sunt Imperatoris experti, bonis duntaxat mulctati. Tanti nihilominus perturbationum, seditionumque fuere fluctus, vt Imperatrix aliquando exclamauerit. Heu quantos quantos cruciatos filij percussores mihi sunt moliti, acerbiores vtique ijs doloribus, quos in pariendo toleraui. Nam ij fœtum ad lucem vrgebant. Isti vero ex inferiorum barathro per

media viſcera mea penetrantes immortalem mihi luctum attulerunt. Hæc illa. Ioanni frater fuit Alexius, qui vna cum filio Ioanne ad Mahometanos ſe conferens nihil non mali in fratrem molitus eſt, quin Ioannes abiurata Chriſtiana religione diriſſima quæque eſt in patruum machinatus, quo defuncto exorta eſt diſcordia inter Iſaacium natu maiorem, Manuelemque fratres. Hic enim lectus a patre Imperator fratrem maiorem coniecit in vincula, conciliata tamen pace in amicitiam mox redierunt. Sed Androminus Manuelis conſobrinus in eum ſtruere inſidias nunquam caſſauit, bis in carcerem ductus: ſimiliter Alexius protoſtrator adfinis Manuelis priuatus omni honore, in vinculis eſt ſeruatus. Verum poſt obitum Manuelis erupit occultum virus in apertam peſtem.

Alexius namque filius illi ſuccedens, adhuc impubes, patuit omnium cupiditati, & malis artibus. Inter alios Adronius, qui Manueli frater erat patruelis, inauditis ſceleribus omnia contaminauit, dum miro æſtu nihil non ſimularet per adumbratam virtutem, & in primis gratiam multorum nactus, auramque popularem, dolo necauit Imperatoris ipſius ſororem vterinam Mariam cum viro ſuo; matrem deinde Imperatoris ſuſtulit. Alexium denique Imperatorem. Quocirca Imperium ſolus potitus propinquorum multos interfecit, excæcauit, ad mortem quæſiuit, donec Iſaacius Angilus regno priuatum, plurimiſque contumelijs oneratum publice ſuſpēdi iuſſit.

Ac talis exitus fuit Andronici, hominis omnium crudeliſſimi, qui Latinos innumeros occidit, cunctos Conſtantinopoli exegit, cadauera defunctorum defodit, diſſipauit, Turcis alios vendidit, Ioannem Cardinalem legatum Pontificis interfecit, caput eius caudæ canis immundæ appendit, vt per vrbem publice ad contumeliam traheretur. Hæc ille omnia per ſuos, tanto in Catholicos inflammatus odio ferebatur.

Iſaacius igitur inuadens regnũ, quid ſæuitię non admiſit in Comnenos affines ſuos? inprimis oculos eruit Ioanni, ac Manuelis filijs interfecti Imperatoris, mox Alexio, alteri deinde Andronico, filioque ipſius Comneni: ſed quis huius tragediæ finis? Iſaacius ipſe a fratre Alexio luminibus & imperio ſpoliatus, & in rus quoddam detruſus, nihil præter vinum panemque a fratre accepit.

Verum poſt annos 8. menſes tres, dies decem Iſaaci filius Alexius

Vene-

Venetorum, Flandorumq; armis adiutus patruum Constantinopoli expulit, sibi patrique recepit Imperium, cumque in Latinos multa mala perpetrassent, Alexius Murzuflus expulso Isaacio, suffocatoq; Alexio propinquis illud inuasit. Quod nostri indignitati Murzuflū suspēderunt & occiderunt: Blanduinusq; Flander imperium cœpit, alijque Latinorum post eum, de quibus nihil simile, qualia de istis, legimus. Michael Palæologus post annos quinquaginta & menses octo Latinos Imperio Constantinopolitano priuauit, ei cū Catholicus vitā migrasset Andronicus filius aperte hæreticus iusta persolui vetuit ac sepulturam dari. Videamus igitur, qui fuerint in ipsum cōsanguinei & affines.

Andronicus Palæologus à nepote Andronico induere monachū coactus est, ab eodem frater Manuel interfectus, obijt relicto Ioanne impubere in tutela Cantacuzeni, qui paruulū spoliauit omni potestate & in monasterio conclusit, sed is maior effectus inita societate cum Amurathe Turcorum Rege Cantacuzenum depulit & in omnibus Amuratho operam suam dedit ad bella omnia cū ipso procedens, imperiumq; Andronico filio administrandum relinquens; qui à patre desciscens & postea captus ab eodemmet patre luminib. est orbatus, & mox tamen Andronicus eundem patrem, fratremque Emanuelem priuauit vsu oculorum & imperio: rursus autem deiectus Andronicus, Emanueli reddidit regnum, cum Turcas isti semper aduersus suos aduocarēt. Emanueli fuere filij quatuor, Ioannes, Constantinus, Thomas, Demetrius: inter hos bella perpetua exarserunt. Post obitum quidem Ioannis Constantinus à Turcis capta vrbe, est obtruncatus; Thomas Demetrium fratrē bello aggressus ope Turcarum cœpit, in vinculis habuit & inedia necauit; ipse à Turcis est interfectus. Atque hic exitus Imperatorum Constantinopolis.

Sed certe multo maior aut non minor crudelitas est in antiquorum Regum successionibus, dominandi causa plerumq; perpetrata. En † tibi ante oculos Assyrij è quibus Nini filius Ninus videtur à cæde Semiramidis matris auspicatus esse regnū. Sequētium sane veluti 27
sunt obscura & ignota gesta atque euenta, sic exitus ignorantur; Fabulosa certe quidem multa de illis iactantur. Eorum sane Assyriacorum quorum meminere diuini libri, Sennacherib fuit à duobus filijs occisus Adramelech & Sarasar.

Chaldæorum † vero Euilmerodachus à marito sororis suæ Niri- 28

gliſſore eſt peremptus regnandi cauſa; verum filius huius Laboſardachus & ipſe occiſus eſt à Nabinito ſobrino, qui ipſum Regno expulit, illudque ad ſe tranſtlit, donec hic à Cyro eſt eiectus.

29 Notum † porro ab Aſtyage auo quæſitum ad mortem, deſtinatũque nepotem Cyrum, bonoque Harpagi dolo factum, ne is necaretur. At Cyri filius Cambiſes Smerdim fratrem ac Meroem ſororem peremit. Xerſes eius ſucceſſor Maſſiſtam fratrem liberoſque ipſius trucidauit. Xerſis proles Artaxerſes inſcienter tamẽ occidit Darium fratrem natu maiorem, Artaxerſis nepos Artaxerſes cognomento Memnon Cyrum fratrem interfecit in acie; fuere huic Memnoni è pellicibus centum quindecim filij; tres tantum legitimi Darius, Ariarthes, Ochus. Ex his pater Darium viuens Regem creauit, is vt ſolus imperaret interficiendi patris cum quinquaginta fratribus conſilium cœpit. Scelus eſt detectum, necati omnes cum coniugibus ac liberis: Poſt obitum patris Ochus ſucceſſit, qui ſibi tremens cognatos omnes cum tota poſteritate interemit. Poſt hæc Ocho atque ipſius filio Arſe interfectis Darius Imperium ſuſcepit qui & ipſe cognatis adſentibus eſt de medio ſublatus, poſt partas ab Alexandro Magno victorias. Hic igitur Perſicorum Regum finis, qui ſpreta iuſtitia & æqualitate dum dolo Regnum tenere aut inuadere moliuntur, genuina virtute abiecta in ſuorum necem conſpirauerunt. Hic ſcilicet fructus libidinoſæ dominandi cupiditatis, vt nullum ſit conſanguinitatis & cognationis ius, nullum omnino vinculum.

Alexander euerſis Perſarum regnis veneno à ſuis dato vita migrauit; eius progenies omnis & cognatio funditus exſtirpata Caſſandri ſui ſimulatis artibus, eius imperia maxima in plures diuiſa. Præcipui fuere Seleucidæ ac Ptolomæi.

30 Inter † Seleucidas autem quid non atrox eſt perpetratum? fictionibus ac dolis cuncti inire regnum conati ſunt, atque adminiſtrare. Antiochus Deus à Laodice vxore eſt veneno ſublatus: Seleucus vero Callinicus huius ſoboles Beronem nouercam cum filio paruulo ac ſuo fratre interfecit. Calliuici proles Ceraunus dolo fratris Antiochi eſt interfectus. At Seleucus Demetrij, è Cleopatra Ægyptia filius ab ipſa matre eſt occiſus, quod ipſius iniuſſu Regiam coronam ſumpſiſſet, cumque eadem ſimulationibus ac dolis ijſdem peteret alterum filium Antiochum Gryphum coacta eſt venenum bibere,

quod

quod filio pararat iustitiæ scilicet talionem reddentis prętextu; cum Grypho hoc frater ipsius Antiochus Cyzicenus perpetua bella gessit, alter alterum virtutum iura præ se ferens regno expulit, donec simulatis hisce officijs tota progenies est absumpta.

Veniamus † ad Parthos, qui magnam Regnorum partem Seleucidis abstulere. E quibus Horodes Mithridatem fratrem, qui se vltro illi bona fide commiserat, vt solus regnaret, interfecit: ipse à filio Phraharte aconito dato est interemptus: sed & hic Phrahartes à filio Phraharte eodem modo vita est priuatus. Inde Artabanus à Gotarze fratre, vna cum filijs atque vxore interfectus. Postea vero Gotaryes decessit vna cum fratribus, propinquis ac mulieribus ipsis grauidis, multisque alijs suorum, per sæuitiam cæsis. 31

Cum vero Vologesi vltimo bellum diu fuisset cum Tyridate fratre & postea Artabano similiter vltimo cum Volgese item fratre, Parthis ob intestina hæc prælia miserabiliter accisis atque attritis, Persæ rursus in antiqua Regna redierunt auspicijs Artaxersis: Inter Persas autem cum Chrosroes sibi successorem deligere vellet Merdasanem natu minorem filium, Syroes filius maior patrem, fratresque omnes cepit, hosque ante conspectum patris necari, ipsum cum dies quinque varijs iniurijs afflixisset, tandem sagittis configi iussit; neque multo post omnia translata sunt ad Saracenos.

Iam vero † si Ægyptiacos Reges & eorum facta, quæ sint memoriæ prodita, intueamur, cognoscemus, quam sit dominandi libido propinquis exitiosa: ex Herodoto atque Diodoro scimus, domum, in qua Sesostris Rex celeberrimus vna cum sex filijs morabatur, incensam fuisse ab ipsius fratre: Quo cognito ille compulsus est duos è filijs in eas conijcere ac ponte ex eis facto elabi. 32

Eodem modo cum Sethosis, siue vt alij vocant, Thossus Armati fratri vel Armeo regnum reliquisset administrandum, pergens ipse aduersus Phœnicas, Syros ac Medos, Armatis expulsa Regina, violatis concubinis regijs, multa in fratẽ perpetrauit, donec ille reuersus eiecto fratre regnum recepit. Atque hæc isti dominationis cupidi Reges, post quos Persæ, de quibus est dictum, postremo autem Ptolomæi regnarunt.

Ex his Philomater atque Alexander necarunt matrem, idem-

idemque Philopater vxorem ac sororem simul, Euergetes filium ac fratrem, qui alium filium discerpsit in frustra, coctũ cistæ inclusit, ac matri dari donum curauit. Auletes filiam, generumq; interfecit, Cleopatra fratrem, ac denique semetipsam viperam ad vbera admouens, Romanis Ægyptum redingentibus in prouinciæ formam.

33 Ex quibus † omnibus diuidere regnum satius quã indiuisum pluribus relinqui etiam Bodinus *6. de Rep. 5* statuit. Et eiusmodi exempla plura habemus apud Gaguinum in hist. Franc. & Chassanæum in Cathalogo gloriæ mundi, *consideratione 58*. Et Thomam Bozium *li. 1 de imperio virtutis, c. 8.*

34 Sed † quam prudẽter & vere Guicciardinus: Magnitudinem imperij, inquit, omnes vniuersi desiderãt; quippe cuncta eius bona foris apparent: occulte vero inclusa intra eum incommoda continentur. Nam vt inquit Seneca in Agamemnone.

Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumue sui tenuere diem.
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatque animos noua tempestas.
Non sic Lybicis Syrtibus æquor
Furit, alternos voluere fluctus.

Atque idem in Hercule Oeteo:

Aurea rumpunt tecta quietem.
Vigilesque trahit purpura noctes,
O si pateant pectora ditum
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus.

Itemque Lucretius *lib. 5. de nat. rer.*

Nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.

Quin etiam ipsi Imperatores Valentinianus & Theodosius existimant, ad obtinendum Principatum sæpe sæua pericula & interdũ vitæ renunciationem subeundam esse, *in l. princip. 6. C. de principibus agentium in reb. lib. 12.*

Certe itaq; si quis cerneret rem periculorum, suspicionum, molestiarum & innumerabilium curarum, cathenatorumque laborum plenissimam, tanta fortassis animi contentione homines eam non expeterent; crederent illi magis atq; obtemperarent sapienti Imperatoris

ratoris Iustiniani dicterio: quando, melius est (inquit) pauca agere caute, quam † multis interesse periculose, *in Nou 44 ca.1.§.& non fi- gant, 3. in fi.* & ibi Accursio ex sapientissimo Salomone addenti, melior † est bucella panis sicca in gaudio, quam tota domus plena victimis cum iurgio. Quare 35 36

Si sapis affectus med ocria, summa periclis
Obuia: contemptum sordida vita parit.

Tuque reformida nimium sublimia semper, vt admonet Ouid. *lib.3 de trist ib.*

Hæc itaque dominandi cupiditas & superioritatis æmulatio generosis animis & nobiliori loco natis (*Cic.lib.1.Offic.teste*) natura insita: hæc, inquam, per se sola si tantas potest seditionum faces in Republica accendere, quantas coniuncta cum iniqua inęqualitate successionum? sane inextinguibiles accendere poterit, vbi tum quasi iusta subnixa ratione cum iustitiæ plausu coalescit.

Quemadmodũ † igni cum additur oleum is acrius vrit & flagrat, 37
ita animus dominandi cupidus, si quemcunque intentionis suę prętextum nanciscitur, quo tum is est fortior, eo fit & ad dominandum auidior & quasi iure dominio sibi debito, magis magisque incitatur, imo vbi nulla eiusmodi cupido est, ea per inæqualitatem modo excitatur.

Possem hæc vtique exemplis pluribus tam ex veterum quam recentiorum actis comprobare: verum sufficiat in re veluti clara & aperta vnicum memorabile & proposito maxime conueniens superioribus adijcere.

Quænam † igitur prima, dic & dic quænam vera quæso, tot, tan- 38
tarumque Galliç calamitatum & miseriarum origo, quibus iam prope trecentis annis illa adfligitur? vnde nam illi tot promanare durissimæ plægæ, tam multæ miserabiles hominum clades, vastæ fortissimorum heroum strages: Regum etiam atque Principum (quorum, Frossardo teste,) circa annum 1344. simul vndecim, cum octoginta Baronibus & ducentis equitibus, aliorumque triginta millibus, vno prœlio occubuêre) obitus miserrimi, quin & vrbium pulcherrimarum exustiones, fertilissimorum agrorum quoties reconditorum recultorumque, toties iteratæ vastationes, Ilias denique malorum? Quod vt à Roberto Siciliç Rege ex castris præuisum, Galliarum Regi literis nunciatum, etiam secutum est: & Regnum ante longe di-

P tissi-

tiſſimum & florentiſſimum; præclariſſimorum virorum domicilium celeberrimum & honoratiſſimum: exterorum denique adflictorum, in quem ſe quaſi è tempeſtate & fluctibus recipere poterant, opportunus tutiſſimuſque portus, poſtea adeo eſt inſectatum & tam plane ſubuerſum, vt vicinis alijs omnibus eius miſeranda & triſtiſſima facies horribili regnorum euerſionis exemplo eſſe etiam num poſſit & eſſe merito debeat. Sane eſt quidem verum, ac vt cum prudentiſſimo Comminæo (*l.b.7.in fin.*) fateamur neceſſe, eſſe nimirum Deum à quo ſolo ſalus regnorum omnium, initia incrementa & interitus dependeant; & affligere Deum pro libitu hominumque meritis hanc modo, modo aliam gentem: tamen & illud largiri nobis quoque Comminęus neceſſe habet, agere nimirum hoc plerunque Deum per media & excitare primum cauſas, ex quibus tum eiuſmodi mala facile ſequantur. Talis ergo etiam hic, ex qua omnis iſta Galliæ calamitas nata, oborta primum & pedepentim tum dilata eſt, vſque dum omnes regni loculos occuparit, eique extremo malo fuerit.

Certe vero aliam eam, quam ſexus differentiam in regni ſucceſſione Gallorum lege Salica ita à Salijs ceu Francis Orientalibus dicta, vt ſcribit Sigonius (*libro 4. de regno Italiæ*) peculiariter inductam, non fuiſſe ipſimet etiam Galli, Salicæ legis hodie quoque cuſtodes ſtrenui, inficias ire nequaquam poſſunt. Ita enim accidit: Cum Philippus Galliæ Rex cognomento pulcher, tres haberet filios, Ludouicum Huttinum, Philippum longum & Carolum formoſum, filiamque vnicam Iſabellam Eduardo Secundo Angliæ Regi nuptam, ex qua Eduardum Tertium filium optimum peſſimi parentis ſuſcepit: illi quidem, quia nullam habuerunt ſobolem, quo ordine deceſſerunt etiam Regni adminiſtrationem, vſque dum ad Carolum ea deuoluta tandem fuit, tranſmiſerunt. Poſtquam vero & Carolus exceſſit è viuis, nec poſt ſe prolem maſculeam reliquit, Eduardus Tertius Angliæ Rex, velut ex Iſabella Philippi nepos regnum adfectauit, idque miſſis in Galliam legatis tanquam iure petijt. At renuebant replicabantque Galli: ita antiquitus Salica lege in Regno ſuo inſtitutum & vſu obſeruatum eſſe, ne ad fœminas tanti Regni moles deuolueretur.

Itaque cum iuxta hanc peculiarem Regni legem & conſuetudinem ad ſucceſſionem regni adſpirare non poſſit Eduardi Regis mater Iſa-

ret Isabella, nec ipsum in ea quicquam iuris sibi vendicare posse. Et si omnino fœminis aliquis pateret aditus, potiores tamen tum auunculorum filias futuras, foreque æquius illas suis patribus succedere. Qua de causa Eduardo excluso, Philippo Valesio, Philippi pulchri ex fratre nepoti, sceptrum detulerunt. Inde tum sensit Gallia legis suæ fructus, acerbissima bella, omnis generis calamitates, ipsius denipue Regni fluctuantem interitum, verissime aliunde non promanantem, quam ex hac inter Gallos & Angliæ Reges de Galliæ Regni successione; inde ab Anno 1330. cepta in Annos 250. protracta, nec hodie plane sopita: ex ea causa Angliæ Regibus & Reginis Galliæ titulum etiam in hunc vsque diem sibi vsurpantibus.

Cum itaque tot & tanta inæqualitatem & differentias sexus in successionibus incommoda, pericula, mala publica & priuata sequantur: quid mirum, quod Iustinianum Imperat. eas oboleuisse & exæquasse videmus? Cur † non iungat æqualis gratia, quos iunxit æ- 39
qualis natura? Lucrum † pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis est 40
dispendium, inquit Ambrosius *in libro de Iosepho Patriarcha*: Et amplius quid miraris, si propter fundum aut domum dissidere fratres videas; quando propter Tunicam inter Iacob sancti filios exarsit inuidia? Cur † non hanc inæqualitatem sexus discordiarum radi- 41
cem nos quoque extirpamus? Concordia res paruæ crescunt, discordia vero etiam maximæ dilabuntur. Concordia ex sententia filij Syrach, coram Deo & hominibus probata, & in tribus his placitum est spiritui pio, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, amor proximorum & coniuges sibi bene consentientes.

Discordia vero adeo coram Deo & hominibus damnata, vt post sex, quæ habent odio, septimum, id est, eum qui seminat discordias, detestentur. *Prouerb. 6.*

Quamobrem † cum fraterna dilectio nulla re magis conseruetur 42
quam successionum pari iure & æqualitate Iustiniano teste (*in leg. cum oportet 6. §. non autem, 2. versicul.* Sin autem res, &c. verbis, quatenus in omni pace, &c. *Cod. de bon. quæ liberis, &c. in l. vltima, in fine, C. commun. vtriusque iud.* & Iurisconsulto, *in l. si pater, 77. §. dulcissimis, 20. ff. de legatis 2.*) iusti † benignique patres prouideant qui- 43
dem filijs, prouideant autem & filiabus, cogitantes, quoniam omnes sunt liberi, imitantes legem faciant successionum deuisiones

 ex æquo,

ex æquo, nec nimium depauperent fœminas erubescentes legem, vt admonet idem Imperator Iustinianus *in Nou. 22. c. vlt.* vbi Angelus notat, non debere patrem alios quidem liberos suos, alios vero priuignos facere. Boni autem & salutarium legum conditores, respici-
44 entes ad Imperatorum constitutiones, † ita successionum leges scribere studeant, vt æqualiter inter filios & filias bona parentum partiantur, *per l. inter filios 11. C famil. ercisc. d l. vlt. C. comm. vtriusque iud. d. l. maximum vitium, C. de lib. prater. d. l. pen. C. de legit. h[illegible] ed. d. l. cum oportet, 6. § non autem, 2. C. de bon. qua lib. Nou. 18. § neque ille, &c. ibi* ita nos eandem vtriusque æqualitatem conseruemus, &c. *Nou. 115. c. 3. Nou. 118. c. 1. 2. & sequentib.*

Æquitatem Prætorum sectantes, mares simul atque fœminas parentum aliorumque hæreditatibus dignas iudicate iudices, *per l. 1. & tot. tit. ff. & C. vnde liberi, l. 2. §. 1. ff. l. 2. 3. & vlt. C. vnde legitimi, cum similibus.*

Deniq; de iure qui respondent, veterum ICtorum vestigijs insistentes, in interpretatione legum & vltimarum voluntatum ad tuē-
45 dam † æqualitatem semper sensus suos dirigere cogitent *per authen. qua tertia, C. de collat.* Substitutiones inter liberos æquali modo factas interpretentur, *per l. nam hoc iure, l. Lucius, ff. de vulg. & pup. l. in testamento, C. de milit. testament. l. 2. & l. quamuis, C. de Reipub & aliis substitut. &c.*

Testatorum dispositiones propter æqualitatem modo restringere, modo ampliare non vereantur, *per l. cum pater 77. §. euictis 8. & §. dulcissimis. 20. ff. de leg. 2. l. Quintus Mutius*, ibi, nec tamen semper, &c. *ff. de ann. leg. l. quidam cum filium, 43. §. vlt. ibi.* Imperator noster motus & æqualitate rei, &c. *ff. de leg. 2. l. quidam ex testamento 30. ff. eod. cum similibus.* Vt æqualitas seruetur, in legatum interdum, quod alias non veniret, imputare non erubescant, *per l. quæsitum, §. sed & ipse ff. de fund. instruct.* Priuilegia inter liberos testantibus, *in l. vlt. C. fam. ercisc. l. hac consultissima, §. ex imperfecto, C. de testam.* concessa, aliter non competere, quam si pater omnibus æqualiter liberis prospiciat à Romano, *in consil. 179. vol. 5. vers. 2.* discant. Quæ sua natura confereeda alias iure non sunt, conferenda tamen inæqualitatis euitandæ causa cum gloss. & Doct. *in l. illud, per illum textum, C. de colla.* iudicare non dubitent. Proinde semper indubio eam prẹferant opinionem per quam liberi reducuntur ad æqualitatem, per notata Socini

cini, *in repet. l. cum auus, vel l. 20. ff. de condit. & demonstrat. Corne. in consi. 309. lib. 1. & ea quæ in hanc sententiam tradidit. Tyraq. in tract. de primogen. q. 4. in princ.*

Nunquam † vero separent a filiatione hæreditatem, sed semper cum D. Paulo ratiocinantes, Filius: ergo hæres, concludant.

CAPVT XVIII.

Deinde etiam eo has differentias ciuili æquitati aduersari contenditur: quod ex his familiæ in Repub. opulentissimæ simulatque potentissimæ euaderent. Nimiam vero subditorum opulentiam atque potentiam trifariam Rebuspub. nocere, ac primo quidem nimias per se diuitias, atrociores ac deteriores hominum mores reddere: tum publicam tranquillitatem nimiam opulentiam plerunque turbare: nimiam vero subditorum potentiam, magistratibus ac præcipue Regibus & principibus valde exititiosam esse ostenditur.

Atque his non imbecillibus imbellis sexus pro successionum æqualitate pugnat armis.

SVMMARIA.

1 *Diuitiarum affluentia & amplitudo (quæ ex sexus differentijs nascitur trifariam Reipublicæ nocet.*
2 *Diuitiæ hominum mores corrumpunt.*
3 *Quo quis ditior, eo auarior.*
4 *Nullus diues sine macula, aut iniquus aut iniqui hæres.*
5 *Crates Thebanus propter studium Philosophiæ contempsit diuitias.*
6 *Indignus est amore hominis ingenui, nummus.*

7 *Diuitiarum incommoda.*
8 *Magna quorundam ciuium potentia, est publicæ tranquillitati noxia propter inæqualitatem.*
9 *Doctrina Aristotelis.*
10 *Subditorum potentia principibus & magistratibus inimica.*
11 *Plerumq; eadem ad tyrannidem spectat.*
12 *Exemplũ Hannonis qui Carthaginensium tyrannidem adfectauit.*
13 *Eodem Lacedæmone moliebatur potens Pausanias.*
14 *Similis Comitis Beruicensis aduersus Angliæ Regem conatus.*
15 *Difficile est æqua commoda mente pati.*
16 *Mores diuitum & felicium hominum ab Aristotele descripti.*
17 *Nihil turpius quam amare diuitias: nihil honestius, quam iisdem, si habeas ad beneficentiam vti. Cicero.*
18 *Diuitiæ felix amentia.*
19 *Præstat sapientem esse quam diuitem.*
20 *Atheniensium Ostracismus ad coercendam nimiam ciuium potentiam inductus.*
21 *Argonautas Herculem propter roboris excellentiam reliquisse narratur.*
22 *Consilium Thrasibuli, ad obtinendũ imperium in Repub. saluum, viros eminentes potentia esse deprimendos.*
23 *Idem Aristotelis consilium.*
24 *Satius putat Aristoteles ita ab initio Rempublicam ordinari, ne possint aliqui præ cæteris nimium potentes euadere, quam postquã iam euaserint, mederi & quomodo.*
25 *Omnium optima mediocris fortunarum possessio.*
26 *Vere diues est, qui modica, non qui multa possidet. Valer.*
27 *Paupertas homines probos & obsequentes facit.*
28 *Vnde interdum etiam sub pallio sordido sapientia Cæcilij latet.*
29 *Exempla.*
30 *Olim paupertas in magno honore fuit habita, & ei apud Gades ara exædificata.*
31 *Beati pauperes.*
32 *Breuissima ad diuitias via per diuitiarum contemptum.*
33 *Machiauelli dogma, esse coercendos inopia subditos.*
34 *Idem Comminæi.*
35 *Practicatum ab Hispaniæ Philippo Rege.*

36 Con-

36 *Concluditur male familiarum nobilium amplitudinem & potentiam conseruari & augeri.*

POstremo differentias sexus in successionibus exæquare ciuilis æquitas etiam alia ratione suadet. Nimirũ stantibus eiusmodi & vigentibus statutis, quibus masculi solum ad hęreditates vocantur, fœminæ vero modica saltem dote esse contentæ coguntur; ipsarũ familiarũ facultates in immensum sæpe crescunt & adaugentur, ac proinde dum digniores, altiores & antiquiores præcipue familiæ amplissimis diuitijs affluunt, potentissimæ illæ simul euadũt.

At vero † trifariam diuitiarũ affluentia in Republica nocet, mores ciuium corrumpit, publicam tranquillitatem turbare solet, & ijs qui summam Reipublicæ tenent, Regibus videlicet ac Principibus valde est inimica. 1

Primum † enim videmus, plerumq; homines cum affluunt diuitijs cor eis apponere (*Psal.61.*) ac in pecuniæ thesauris potissimum confidere: negligere & spernere Deum, adeoq; paulatim crescente diuitiarum spe, hanc omni pietate & religione tempta, rempublicã omni inter homines exinaniri fide conspicimus. Nam: 2

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit:

hinc vero omnium vitiorum mater, auaritia, pessima hominis & † Reipublicæ pestis enascitur, quæ omne in Republica quantumuis sanctissimum officium violare audet. Felix, felix illa anima prædicatur, quæ pro viribus renunciare rebus hisce transitorijs contendit; beatus ille diues, † qui sine macula moritur, sed quis aut vbi talis est mortuus vnquam? laudabimus eum. Diuus aut iniquus est aut iniqui hæres. Falco satur non agnoscit Dominũ suũ: Filius prodigus cũ videret se diuitẽ, reliquit domum patris sui & a Deo se separauit. 3 4

Est † igitur omni studio obseranda via, qua ad Thesauros & auri argentiq; aceruos est aditus. Crates Thebanus magnus fuit diuitiarum contemptor, existimans eas impedimento Philosophiæ esse, & tu deditus scilicet Deo, forsitan etiã dãdam his operam putas. Sperne bona hæc corruptibilia, si sapis, vt maiora & vberrima, æterna videlicet acquiras: en admonet naturę lumen, ne ames tantoq; desiderio colas nummũ: Est † enim tanti precij amor, vt non nisi eiusdem monetę recõpẽsatione redamãri debeatur. At insanũ est amorẽ mutuũ ex metallo sperare, expectare autẽ (huius amoris verũ ꝙ est meritũ) molestias, incõmoda, mala plurima, id vero nõ est rationi contrari- 5 6 7

trarium. Nam † solicitum quidem & inquietum animum, sæpe etiam insidias & pericula magna diuitię parant: vt Palingenius in Tauro his versibus exprimit.

Lætitia, mœrore, metus, spe, fluctuat æstu
Continuo, veluti ventorum flatibus æquor,
Diues, sollicitet quicquid contingere rebus
Posse mali credit, quas possidet; excruciatur
Si perit inde aliquid, quod sæpe necesse est.
Assiduo motu rotat hunc fortunæ colubri:
Agmina curarum sunt, quæ præcordia rodunt.
Quid memorem, subeat quam crebra pericula ponto.
Ac terris, censum cupiens augere paternum?
Sic ergo fallit crassi dementia vulgi
Et nescit, quanti lateant sub floribus hydri.
Quotq; rosas inter spinæ nascantur acutæ.

Sed ad animi virtutem diuitiæ nihil conferunt; imo potius obsunt. Serpentes & scorpiones in sinu ferunt diuites, qui postquam eos calore suo confouerint, veneno eos interficiunt.

Quare recollige te parum vt recognoscas obesse magis, quas tu prodesse putas, ita demum non amans diuitias, nullum in his aceruandis studium collocans, diues satis eris; Princeps & legislator nimiam subditorum amplitudinem comprimens, saluabis tuam & authoritatem & potestatem firmabis: alias tam difficulter ad salutē, quam per foramen acus Camelus, transibis: *Matth.19.* Lege de vanitate & contemptu diuitiarum, Fridericum Didacum Stellam Hispanum in libris de contemnendis mundi vanitatibus: ille te quid in bonis hisce transitorijs homini confidendum pie edocebit.

8 Publicam † tranquillitatem disturbat quandoq; nimia quorundam ex ciuibus opulentia, propter emergentem inde inter ciues inæqualitatem, quæ tam in opibus & bonis, quam dignitatibus ad cōmouendas seditiones est efficacissima; non in populari tantum ciuitate (*Aristot.lib.5.Polit.c.4.* & 8.) optimatum (*idem lib.5. c.7.*) & paucorum potentia, (*d.c.8.in fi.*) sed etiam in omni Reipublica statu *d.l.5.c.1.*

9 Quare † & ipse Aristoteles (*in d.c.8.in fi.*) fatetur, commodum esse, vt hæreditates non donatione, sed iure cognationis tradantur, atque ad eundem vna tantum, non plures hæreditates perueniant: sic

ſic enim æqualia conſeruari patrimonia magis, & plures ex pauperibus locupletes fieri poſſe: ſed de inæqualitatis incommodis plura diximus ſupra.

Potentię † vero & excellentiæ ſubditorum in facultatibus & di- 10
uitijs, quam etiam publicæ paci ſint inſidioſę, magiſtratibus & ſuperioribus infeſtæ, atque in vniuerſum omni Reipublicæ noxiæ, idem Philoſophus pluribus locis demonſtrat. *In lib. 5. polit. cap. 3. poſt prin.* Ob excellentiam, *inquit*, ſeditio exiſtit cum aliquis maiorem habet potentiam, ſiue ſit vnus ſiue plures, quam pro ratione ciuitatis & virium & Reipublicæ: vt ſi quis vnus aut pauci aliquot potentia & opibus ipſam ciuitatem & Rempublicam æquipolleant vel exſuperent. Hinc enim tyrannis plerumque vel dynaſtia, qui peſſimus eſt paucorum potentiæ ſtatus, exoriri ſolet. Idem *cap. 6. lib. eod. in pr.* ſcribit: ſæpe a diuitibus priuatas ſeditiones naſci indignantibus nimirum, non etiam ſibi Rempublicam communicari, ſed forte perpaucorum tantum arbitratu regi atque moderari.

Præterea † cum quis magnus & potens in ciuitate, habeatque fa- 11
cultatem augeſcendi, eum plerumque imperio ſolum potiri cupere idem *cap. 7. lib. eod.* tradit. Quare etiam, *in cap. ſequen.* grauiter admonet, paulatim ac primum omnium magna cura legibus eſſe prouidendum, ne quis magnopere vel clientelis vel opibus præſtantior fiat, & ſi quis contra eas leges feciſſet, in eam exilij pœnam ſtatuendam eſſe.

Id quod accidiſſe ſæpius non tantum antiquitatis, ſed etiam recentiora quædam exempla commonſtrant.

Sic enim † cum Hanno ſuis opibus Reipublicæ Carthaginenſis 12
viros ſuperaret, ſenatum concidere & occupare regnum conatus eſt. Sed re comperta, in vincula coniectus, virgiſque cæſus & effoſſis oculis & manibus cruribuſque fractis in conſpectu populi occiſus eſt.

Idem fere † Lacedæmonæ moliebatur Pauſanias, qui cum deui- 13
ctis pulſiſq; Græcia Perſis, exercitus a Lcedæmonijs, cauſa vlciſcendi Perſas & fines eorum iterum depopulandi, collecti dux erat conſtitutus, pro ducatu Græciæ regnum affectauit, & cum Xerxe tum Perſarum rege proditionis præmium, nuptias eius filiæ pactus eſt; Verum hic quoq; non multo poſt accuſatus, ſententiam paſſus eſt, vtriuſq; meminit *Ariſt. lib. 5. Pol. t. 7.*

Q Sed

14 Sed quid ante annos circiter centum & triginta Angliæ Regi Eduardo IV. a Comite Beruicensi, vasallo ac beneficiario suo, inter proceres ipsius potentissimo obtigit? Cœpit is forte dissidere a Rege, quid inde? multis Angliæ proceribus trucidatis etiam ipsum Regem armata vi tandem aggredi, in potestatem suam redigere, captũ aliquandiu detinere, nec ante dimittere, quam Rex fortuito elapsus, rebus omnibus necessarijs destitutus, fugam veluti salutis anchoram petere coactus fuit, vt Comminæus, *lib. 4. comm. de rebus gestis Ludouici prodit.*

15 Neque † vero mirum hoc cuiquam videri debet, ea est enim hominum conditio, vt vix quisquam æqua commoda mente pati, secundamque fortunam perferre possit: sed corrumpuntur omnes, nec aliter natura bonos res secunda superbos insolentesq; reddunt: quam vt mare natura sua tranquillum, vis ventorum turbare agitareq; solet. Testatur hoc idem Aristoteles non tantum, *d. cap. 8. lib. 5. Polit.* sed etiam in Rhetoricis, *lib. 2. cap. 31.* vbi ita diuitum mores de-
16 scribit, vt non melius Apelles eos depingere potuisset. Primum, † inquit, sunt contumeliosi, impotentes, elati: ipsa demum abundantia copiarum laborantes & putidi.

17 Nihil enim est (vt notanter Cicero 1. *offic.* scribit) tam angusti, parui & abiecti animi, quam amare diuitias, quemadmndum e contra nihil tam honestum atq; magnificum quam pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam & liberalitatẽ conuertere. Deinde (inquit Aristoteles) delicisi sunt, supini atque molles: tum iactatores, omnia sibi quæ sumunt & arrogant. Denique putant se dignissimos esse Principatu, dum omnia adesse sibi necessaria & auxilia arbitrantur, quorum causa præesse & imperare cæte-
18 ris debeant. Et † vt plura in pauca conferam, diuitiæ nihil fere aliud sunt, quam felix amentia, vt ita merito Simonides ab Hieronis in-
19 terrogatus vxore, vtrum † præstaret, diuitem esse, an sapientem? illi respondit; videre se, sapientes diuitum liminibus obseruari.

20 Hac † porro de causa cum olim etiam Athenienses animaduerterent, singulorum in sua republica, tum populari, communi bono & tranquillitati quam infensa sit diuitiarum præpotentia atque eminentia, hoc lege sanciuerunt, vt qui opibus vel clientelis, gratia aut alia ciuili facultate nimium alios præcellerent, illi ciuitate pellerentur & in exilium ad decennium ire cogerentur: non quidem tan-

quam

quam fortunæ suæ pœnam quam non meruissent, luentes, sed propter bonum publicum & ne quid inde mali in Republica oriretur, expulsi. Quod quidē genus exilij Ostracismū vocarunt, a fragmentis fictilium, quibus nomen eius quem in exilium mittebant, inscribere solebant. Ostracon enim Græce Latine testa est, (*Aristot. 3. Polit. c. 9.*

Quod † si vero etiam fabulas in exemplum trahere fas est, similis eademque causa Argonautarum fabulæ fecisse locum videtur, a quibus idcirco Herculem relictum esse narrant, quod nollent eum in naui Argo cum cæteris vehi, vt qui nauigantibus reliquis multum excelleret. (*Arist. d. loco.*) 21

Idem † plane innuebat Thrasybulus Mileti Tyrannus, cum a Periandro Corinthi tyranno consultus, quomodo imperium saluum & populum sibi obsequentissimum continere posset? nihil quidem caduceatori, per quem scilicet Periander consilium eius exquirebat, respondit: sed ducto eo ad segetem, eminentibus sublatis spicis segetem exæquauit: arguens similiter tollendos esse viros, illos qui in communione excellerent. Cuius facti meminit Herodot. in Terpsichore. Atq; † idem consilium etiam Aristotelem comprobare video non tantum in tyrannide & paucorum potentia statuq; populari, sed etiam in optimatum & iusto vnius imperio, *lib. 3. Polit. c. 9.* Quamuis † tamen latius putet, ab initio sic a legislatore rempublicam ordinari, ne tantopere eminere aliqui possint, quam postquam iam eminuerint, demum mederi *lib. 5. capit. 3.* Quomodo autem? nimirum ab initio lege cauendo, ne quis magnopere vel opibus vel clientelis potentior reliquis ciuibus euaderet, exilij pœna in eum constituta, ita qui euasisset, (*d. lib. 5. cap. 8.*) itemque sanciendo vt hæreditates non donationibus & testamentis, sed iure cognationis traderentur, nec ad eundem plures hæreditates peruenirent, atque ita magis æqualia extare tum ciuium patrimonia & ex pauperibus plures fieri ditioribus similes posse, *d. c. 8. in fine.* 22 23 24

Iam vero ex contrario constat quam longe propensior sit ad Reipublicæ statum tranquillum & superioris tolerantior, simplex & proba paupertas, vel saltem mediocris fortunarum possessio (quam omnium optimam & facilime rationi parentem idem Philosophus *libro quarto, Polit. capitulo vndecimo*, asserit: cui etiam subscribit Valerius, diuitis esse existimans, non multa possidere sed modica 25

lib.4.)quam magna multarum rerum opumue affluentia: hæc videlicet ad imperandi ſtudia prona; illa vero lubenti parente animo; hæc otioſa rixas & ſeditiones in Republica excitante: illa vero agrorum cultura alijſque laboribus occupata ad ciendas diſſenſiones non vacante, tranquilla quietaque ſemper manente. Vnde Poeta 2.*Georgicor.*

O fortunatos nimium bona ſi ſua norint
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fudit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

27 Siquidem † paupertas homines etiam malos plerunque efficit bonos, probos atque pios, dum aufert ocium puluinar Sathanæ; cohibet luxuriam, aliaſq; omnes libidines prauas. Atq; hinc nimirum ſæpius pauperes quam diuites præclaris virtutibus pollent: & non
28 raro ſub † pallliolo etiã ſordido (vt inquit Cice. *lib.3. Tuſcul. quaſt.*)
29 ſapientia † Cæcilij latet. Sic Q. Cincinnatus, M. Regulus, Paulus Æmylius etſi pauperrimi, res tamen maximas in Republica geſſerunt.

Et † Sabinus Iuriſconſultus, in equeſtri ordine iam grandis natu, & iam fere annorum quinquaginta in eum receptus, tandem vt populo ſibi reſpondere liceret a Tiberio Cæſare conſecutus eſt; nec tamen amplas iſte facultates habuit, ſed vt plurimum ab auditoribus ſuis ſuſtentatus fuit, vt Pomponius, *in l.2.§.Ergo Sabino, ff. de orig. iur.* teſtatur.

30 Poteſt † enim ex caſa quoque vir magnus exire; poteſt & ex deformi humiliq; corpuſculo formoſus animus atque magnus naſci: vt Seneca, *lib.9. Epiſt.67.* ſcribit. Quid quod paupertas in magno olim honore fuit habita? cui etiam aras apud Gades erectas fuiſſe Ælianus tradit in libro de prouidentia, itemq; Philoſtratus in vita Apollonij, *lib.5.*

31 Quid † quod ipſe etiam Chriſtus beatos prædicat pauperes, quod ipſorum inprimis, tanquam legis & pietatis ſtudioſiſſimorum, ſit
32 regnum cœlorum. *Matth. 6. Luc.6.* Iterum † ergo cum Seneca authore grauiſſimo ſtatuamus: breuiſſimam viam ad veras diuitias per diuitiarum contemptum eſſe: *lib.8. Epiſt.61.*

33 Ex quibus † omnibus illud Machiauelli dogma, quamuis multis ſuſpectum, haud tamen improbandum videtur: poſſe nimirum ſubditos, ſi inopia cohibeãtur, in pace, concordia & fide facilius retineri,

&

& à motu & rebellione contineri, *lib.3.disput.cap.25.in princ.* Quam in sententiam etiam Comminæus † noster alicubi scribit: semper esse multitudinem aliqua necessitate & Imperio continendam, (*lib.3. comm.de reb.gest.Lud.*) Cuius quidem præcepti clarum exemplum nuper Hispania vidit. Cum † Ferdinandus Hispaniarum Rex Philippi Regis proauus, Gonsalum, inuitus quidem, sed propter eandem causam & videlicet illius præpotētiæ periculum coactus, sibi regnoque cauens depressit ac extenuauit, vt refert Genesius Sepulueda, Arist.interp. *lib.3. Polit.c.9.*

34 35

36 Cæterum ad finem † plane contrarium, nimirum ad familiarum Illustriorum nobilitatem, dignitatem, amplitudinem, potentiam, has tanquam præcipuas, quibus Reipublicæ incolumitas sustineatur, columnas conseruandas; imo corroborandas atque magis confirmandas, omnia illa siue statuta siue pacta quibus à successionibus eliminantur fœminæ & solummodo masculis ad eas datur aditus, tēdunt. Male ergo inducta hæc atque à vetustate repetita, eorumque vsus tolerantia & obseruantia diuturnior, magnos aliquando tumultus, maxima bella atque pericula minari videntur. Nam durantibus his in dies magis magisque ingrauescentibus, metuendum omnino videtur, ne nobiliores familiæ, quando tandem ad summum potentiæ culmen adscenderunt, tum altiores etiam ac pedetentim altissimum quoq; dignitatis gradum affectent, & summi Magistratus auctoritatem arrogare sibi atque imperare audacius contendant, nec acquiescant prius, quam vel superiores de Principatus subsellio præcipitarint, vel etiam leuioribus resistente fortuna conatibus ipsos se armorum inquietudine consumpserint, quemadmodum in Italia, ijsque locis vbi talia iura vigent, factitatum nuper vidimus.

Ergo postquam iam multis prælijs fœminæ congressæ sunt cum viris, & tamen victoriam hactenus spe sæpe inclinantem integram obtinere nullam potuerunt: sed omnem suum apparatum virorum copijs esse sustinere facile, nec pili quidem spacio vrgeri illas ad cedendum posse vident, tandem prope exhaustæ viribus, tanquam extremum adijcientes subsidium, minis prosiliunt, atque his instant denuo, viri relinquant iura, omittant ea statuta nec amplius interponant exigantue à se pacta, quibus veluti nulla suadente æquitate, nulla vrgente necessitate sexum suum à successionibus, quin etiam Reipublicæ muneribus, inique repellant: restituāt suam Iustinianeis

 consti-

constitutionibus autoritatem & posteritatem, quibus summa commotus æquitate atq; fœminarum iniuriæ commiseratione sacratissimus Imperator vtrique sexui æquabilitatem in hæreditatibus communicauit. Hoc nisi fecerint, similem Italorum, aliorumque iniquitatis vindictam in hocce futurum comminantes malum, vt aliquando etiam in Imperio Germano Romano celsiores potentioresque domus, gentes ac familiæ pro sceptro & Principatu bellis intestinis dimicantes, inuicem se consumant & mactent, innumeris belli calamitatibus subditum exagitent populum, ipsum Imperium labefactent, extenuent atque euertant: Denique cogantur masculi vel inuiti quæ iura fœminis inique eripuerunt, nec restituere rogati pacifice voluerunt, tum ea offerre vltro cum pudore deprecantes iniuriam, & concordiam perennem pollicentes promittentesque fœminis.



Certa-

ACIES VIRILIS.

CAPVT I.

Muliebris sexus virilem in prærogatiuarum suarum in successionibus, & alijs iuris articulis, possessione, tam naturalibus quam ciuilibus rationibus firmissime munitum, imbellibus suis telis inani victoriæ spe ne interturbet, cessione & obsequio potius illi se submittat admonetur, & quæ hactenus pro eo argumenta allata sunt summarie repetuntur & refelluntur.

SVMMARIA.

1 *Mulier à mollitie dictã.*
2 *Natura validiores, imbecilioribus, h.e. viri fæminis imperãtes, & superiores habentur.*
3. *Viros supra mulieres omnes Oratorum, Poetarum, Philosophorum, & ICtorum maximi extollunt.*
4 *Sexui masculino etiam Imperator Romanus magis fauet.*
5 *Plato de tribus sibi gratulari solitus, 1. quod natus, tunc quod homo, denique quod mas. non fæmina.*
6 *Magis fæminarum patronos accusare naturam, quod non omnes homines fæminas vel non has quoque viros procrearit, quam virorum.*
7. *Non quia fœmina aliqua nata est, ea a successione per masculos excluditur, sed quia ita Reipublica salus exigit.*
8. *Publica salus in distributione bonorum, singulorum meritis est præferenda.*
9 *In generatione hominis præstantior est opera viri non mulieris.*
10 *In omnibus animi & corporis dotibus longe inferior fœmina viro.*
11 *Vir virtutis domicilium.*

12 *Non*

12 ***Non tanta incommoda quæ vel ex inæqualitate inter masculos & fœminas in successionibus, vel etiam ex familiarum amplitudine & potentia fœminarum patroni comminãtur, quam ea sunt, quæ ex familiarum in Republica interitu sequuntur.***

SEd nunc Palinodiam cano, & in te stylum conuerto misella ac vere misella fœmina. O imbecillis natura, quid dementibus ausis tam potenti naturæ resistis? elumbis, virile an te posse putas conuincere robur ? At nunquam, tibi sancte iuro, ni credis, vinces: insanis nimium tuæ fragilitati confidens, fallis atque falleris opinione longissime. Recollige te parum, quæso, & fragile creaturæ tuæ vasculum agnosce; contemplare, à qua mulieris nomen habes, mollitiem
1 tuam & † artuum tuorum exilitatem perpende: proba tandem, si amas periculum, & confere cum hoste vires tuas ; experire quantæ qualesue sint, haud dubie duplo plus infirmiores vigore masculeo. Inanem futilemque præclaræ virtutis de te gloriam iactas, quam in sexu tuo temetipsam velut naturæ miraculum suspicere video. Quid ergo felis instar cum leone adeo vnguibus impar cõgredi audes? desine, si sapis, impugnare furentius, quem tibi dominantem, tanquam
2 validiorem † natura præposuit, imbellia tua depone arma, plumbeo pugnas gladio. Occurre vt viuas, nec morare, & te fer obuiam magnanimo & heroico sexui; ad arma, in prælium pro eminentia, & imperio satis insolenter hostem quem prouocasti mitiga: iamiam imminenti propius, & victoriam cum magna tui strage petenti vltro te victam dede; inermem siste ; flexanimas preces funde, nam nimium forsan offendisti: insolentiæ tuæ veniam per infirmitatem & vix humanam naturam tuam supplica, ad pedes prostrata, capite velato, ceruicem demitte: Sed & minas linque, patendi potius voluntatem debitamque viro obedientiam promitte. Mitte etiam faciem proteruam austeramque vocem comprime : sed flebilem & lugubrem omnino ac velut angustis peccati dolere præcordijs, ingemiscẽtem, suspirium in suspirium trahens, compone. Sic demum viro quidem mihi, at tuæ calamitatis propter naturæ fragilitatem commiseranti, crede mulier, muliebrem petulantiam, petulantemq; temeritatem & temerariam stultitiam tuam, sic stultam audaciam, audacem confidentiam, confidẽtem astutiam, astutam improbitatem, improbam insolentiam, insolentemque superbiam denique ignosci tibi à sexu hostili impetrare, euitare rebellionis pœnam & gratiam pristinam recupe-

recuperare facillime; tutiſſime atque fœliciſſime ſub viri degere atque viuere imperio poteris. Denuo itaque fideli etiam contrarij ſexus monitu (ni potius contundi ab eo plane mauelis) deſiſte à furenti pertinacia tua: quicquid es quid aliud es, quã mollis mulier, creatura plane infirma ac debilis ſexu, conditione naturæ fragilis & miſera? Nulla ſunt omnia tua tela, & longe leuiori in viros emiſſa ſagitta, quam vt è ſui iuris poſſeſſione eos expellere queant. Fruſtra victoriam expectas, ne tibi pollicere triumphi palmam; certe certe cauſa cades, aut iam, ſi credis, cecidiſti. Ergo rumpe moram & prorumpe uti iam, moxque omni in te vi irruenti hoſti te dede atque ſubmitte.

Non eſt quod amplius tuarum virium copiarumue buccinatorẽ magnum iſtum Platonem expectes, aut in eo audentius adhuc confidas, vacillat illius laudum tuarum buccina, ſonum eius ſuperat atq; ſuffocat † clariſſima virilis gloriæ tuba, quam vehementiſſime atque 3
ſtrenue vno omnes ſpiritu oratorum, Poetarum, Philoſophorum & Iuriſconſultorum maximi inflant.

Nec eſt porro quod glorieris, in Imperatoris Romani auxiliari potentia magna & ſumma Maieſtate; iam dudum enim hic quoque à tuis partibus deſciuit; atque etiam hodie viris pro auctoritate ſua
& † Imperiali poteſtate, digna nobiliori ſexui & virtute magis de 4
Republica promerito, vetuſtatis priuilegia in ſucceſſionibus impartitur.

Noli vero dum dico, & tu verum vides mulier, excandeſcere protinus, aut ilico bilem hoc tibi mouere, non ſine; ne accuſa Imperatoriæ Maieſtatis propenſam in ſui ſexus ſimiles clementiam; ſacrilegij loco eſt, in dubium vocare ius & poteſtatem Principis.

Non te † cauſæ æquitas, ſi male habes, ſed inuidia premit; pungit 5
& ſtimulat animum, te creatum quidem, creatumque animal, ſed & creatũ hominem; non vero cum Platone gloriari te poſſe, creatum etiam maſculum, ſed tantum mulierem.

Modo † accuſaſti marem; naturæ accuſatorem, ſuper eo hanc vi- 6
delicet accuſantem, quod non te quoque omneſque tecum fœminas in maſculino genere procrearit, vt ex quibus maſculi naſcerentur, non fierent: iniuria ſane: à ſucceſſione quidem te repellit maſculus propter publicam vtilitatem (*d.§.item vetuſtas*) priuato commodo ſemper & vbique præferendam; at inſuper benefacti naturã laudat,

R

dat eique gratias agit, quod fœminas, ex quibus nascerentur masculi, fecerit: sed & masculos fœminis præstantiores & sexu digniores, bono humani generis consilio ediderit, *d.l.1.de Senatorib.* Tu vero ipsa (vt iam sentio) naturam accusas impia, quod non omnes homines vel fœminas, aut te quoque masculum ea crearit, vt qui vel generarent, essent nulli, vel tu quoque genitorum numero genitus esses. Quorsum enim liuor tuus? nisi alium esse masculum, teq; fœminam, quo minus possis vna cum illo alicui succedere.

7 Deinde vero, † quo iure aggrauari te vitio paterno conquereris mulier? ab omni eo masculus ipse te purgat opinor, tuæq; indignioris natiuitatis innocentiam confirmat. Iniquo animo indignaris; nō enim propter vllum vitium vel à te, vel à patre, vel à natura in generatione commissum, tua in successionibus deterior iuris conditio: sed talis communi exigente Reipublicæ & naturæ necessitate etiam nolente volente masculo effecta est. Propter quam eandem tanquam potiorem ipsam etiam talionis legem hic quandoque legislator præterit.

8 Tum † vero, an distributione bonorum in Republica singulorū merita magis circa generis humani cōseruationem respicienda putas, an vero communem populi salutē? merita tu quidem dicis; proinde propter æqualem & æque necessariam tuam atque viri operā in generis humani conseruatione & propagatione, etiam æqualia cum viris in bonis tibi concedenda iura concludis. At interim primæ legis, quæ habet, salus populi, prima lex esto: meminisse pro proprio commodo tibi non licuit, vt & potius salutem populi spectandam diceres. Magis autem expedit Reipublicæ, potiora viris in bonis iura dari quam fœminis. Insuper tamen similem aut potiorē mu-

9 lieris operam in † generatione hominis me tibi largiri, ipsam te fallis, si putas; nam hoc quoque nego.

10 Amplius † dum adspirare mulierem ad summam & altiorē quam viros, dignitatis & virtutis gloriam video: cum tamen vix eius mediocritatem, vt taceam æqualitatem à natura sexus humilitate & fragilitate depressa attingere possit: miror simulque doleo, miserabilis sexus sensuum crassitiem, effrenatam natura impudentiam, peculiarem audaciam & insolentiam, summamque in conando leuitatem. Propriam videtur allegare turpitudinem homo, cum se mulierem dicit: quid ergo si etiam tam fragilis & contemptibilis massa, supra

virum,

virum, veræ virtutis domicilium extollere & affectare in viros imperium causa fuerit? *iuxta §. iucundum, & ibi notata DD. in auth. C. de nupt.* an iniquum existimas, hanc viris de crimine læsæ maiestatis accusantibus, eam condemnari. 11

Denique † nec inter vtrumque sexum (quæ nascitur ex successionum differentijs inæqualitas, neque etiam conseruandarum facultatum studium in familijs tanta continent, & Reipublicæ minantur pericula, quanta vel æqualitas vel facultatum in familijs diminutio afferre possent. Imo multifariam Reipublicæ vtroque casu optime consuli infra docebitur. 12

Quare nihil omnino est, quo sexui masculino de suo iure & prærogatiuis in successionibus aliquid derogare posset. Magno hic robore & animo quæcunque à fœminis obijciuntur excipit, scite diluit, strenue retorquet, nec segniter suos quoque globulos mittit, suamque causam bellissime defendit. Quomodo autem & quibus rationibus & argumentis proxime videbimus, atque simul, quæ supra pro muliebri sexu allata sunt latius refutabimus.

CAPVT II.

Reassumitur primum Impe. Iustiniani argumẽtum sup. in acie cont. c. 1. allatum, ac primo quidem in ipsum Iustinianum, quod & ipse in pluribus sexus differentias & quidẽ meliorem fere semper fœminarum quam masculorum in iure conditionem constituerit, retorquetur. Deinde vero ab eodem Imp. Iustiniano differẽtiarum sexus in successionibus inuentores, accusatores naturę tam inique, quam iniquos accusat, accusari ostenditur.

SVMMARIA.

1 *Differentiis sexus in successionib. si accusatur natura, autore Iustiniano, etiam accusatur per differẽtias in aliis articulis iuris, ab eodem Iustin. & aliis introductas.*

 2 Non

2 *Non in successionibus tantum, sed etiam in multis aliis iuris articulis deterior est conditio fœminarum quam masculorum.*

3 *A dignitatibus remouentur.*

4 *Non possunt iudicare vel arbitrari.*

5 *Nec postulare.*

6 *A tutelis & curatelis excluduntur.*

7 *Docere non possunt in Ecclesia.*

8 *In sanciendis legibus non opus consilio mulierum.*

9 *Matres non habent in potestate liberos.*

10 *Si per differentias sexus quibus deterior in iure fœminarum conditio & constituta natura accusatur: accusator etiam quibus deterior marium & melior fœminarum effecta est.*

11 *Inuita in iudicium mulier non rapitur.*

12 *Cicatricem in facie iure æstimat.*

13 *Natura leges ineptiores mulieres ad munia publica indicant, nec naturam accusant.*

14 *Parcēdū est imbecilli naturæ, ne oneribus grauioribus supprimatur.*

15 *Propter vtilitatem publicam non minus differentiæ in successionibus quam in aliis quibuscunque iuris articulis sunt introducta.*

PRimum autem conqueritur Iustinianus Imperator, *in d. l. maximum vitium, & simil. b.* legislatorem, qui masculos in successionibus vt potiores fœminis præfert, accusare naturam; accuset: quamobrem accusat? quod non omnes homines masculos crearit; tacite, an expresse? expresse constāter nego; probas? taces. An igitur tacite? quod quidem in facto legislatorem committere præsumis, quando deteriorem in successionibus conditionem efficit. Nam eo ipso digniores (inquis) iudicat masculos, indigniores fœminas: animum suum prodit existimantem, naturam nō bene fœminas produxisse, satius fore, si omnes in masculino genere creasset. Valde mihi, multis de causis suspecta est hæc, è legislatoris collata in masculos successionis prærogatiua corrasa suspicio: haud dubie à muliere (nam hoc muliebre iudicium arguit) in aurem insusurrata, & ab Imperatore non tam rationis vigore, quam fauore vxorio audita, approbata & in constitutionem relata.

1 Sed ecce †concedo reprehendi & incusari naturam quibuscunq; sexus in iure differētijs: probo vel maxime in successionibus easdem Imperatorem exæquasse, at insuper si vere his offenditur natura,

omnes

omnes quoque reliquas inter vtrumque sexum in iure differentias tolli desidero. Namque † non in successionibus tantum, sed etiam 2
in multis alijs iuris articulis deterior fœminarum, quam masculorum effecta conditio est, *d. l. in multis, ff. de stat. hom.*

Adhibeamus † ergo in quibuscunque officijs ciuilibus siue pub- 3
licis indistincte mares atque fœminas, ad dignitatem quascunque sinamus promiscue omnes adspirare (*contra l. fœmina, 2. ff. de reg. iur. iunct. l. 1 §. & generaliter, ff. de leg. præstan. l. 3. §. inter corporalia, ff. de muneribus, & honor. Decius & Cagno. in d. l. 2. Neuizan. in sylua nupt. lib. 1. n. 9.*) contra antiquos mores, legibus nostris vallatos, (*d. l. 2. cũ prætor, §. non autem, ff. de iud. c. mulierem, 35. q. 3. Spec. in tit. de off. deleg. §. vlt. nu. 10.*) iurisdictioni & imperio † etiam mulieres præficia- 4
mus. Arbitratrices quoque constituamus (*cont. l. vlt. & ibi scribentes Bart. Bald. Salic. & DD. C. de arbitr. Spec. tit. de arbitr. §. 1. n. 1. Dec. in d. l 2. nu. 17.*) postulare illis † concedamus (*contra l. 1. §. sexum & ibi* 5
Paul. de Castr. n. 3. ff. de postul.) & procuratoris quoque partes deferamus (*contra, l. neq; fœmina, ff. & leg. alienam, C. & vtrobiq; DD. de procuratoribus, §. pen. Inst. de except.*) Quin † etiam tutelas his atq; 6
curatelas imponamus, (*contra l. tutela, & l. vlt. ff. de tutel §. vlt. Inst. de legit. agnat. tut. l. scire oportet, ff. de tut. & curat. dat. ab his, &c. Dec. in d. l. 2. n. 22.*)

In † Ecclesia deniq; docendi munus ijsdem offeramus, (*contra, c.* 7
mulier, dist. 23. c. mulierum 33. q. 5. Tyraquell. in l. connub. 10. n. 32.) & in summa in omnibus alijs iuris articulis vtrique sexui ius indifferens, authoritatem & potestatem per omnia æqualem tribuamus.

Sed † etsi tam inique fit, differentias sexus in iure constitui, si hoc 8
naturam est accusare: cur non etiam fœminarum in his sanciendis vtimur consilio, *contra quam Bart. n. 1. & 6. Castr. n. 4. Ias. n. 13. in l. 1. ff. de legib. per illum textum tradidere?* Cur non similem patribus atq; matribus auis & auiabus in filios atq; nepotes potestatem, (*cont. §. fœmina Inst. de adop.*) & † in omnibus eorum hæreditatibus liberis 9
suitatis ius concedimus (*cont. §. cæteri Inst. de hæred. qual. & diff.*) Cur non adhuc in multis alijs causis & negocijs tam inter vivos quã circa vltimas voluntates vtrumque sexum exæquamus, nec exæquamus solum in ijs, in quibus fœminarum, sed & in quibus masculorum deterior est conditio & melior fœminarum? Cur non, inquam, in his † quoq; non vtriusque sexus causam æquiparamus, si hoc est

in naturam peccare, potiori iure alterum quam alterum in legibus
11 dignari? Inuitam in iudicium rapere & exhibere mulierem, (*cap. mulieris, de iud. lib.6.*) neque regulariter in carcerem eam detrudere licet (*auth. sed hodie & ibi Bart. C. de off. diuers. iud. auth. hodie, Cod. de cust. reor.*)
12 Cicatricem quoq; in hac æstimamus [*l. fin. ff. de his, qui deiecet,*] eius intercessiones annullamus, [*to. ti. ff. & C. de S. C. Velleiano*] multis insuper condonatam priuilegijs videmus, quæ omnia non æque competunt viris, de quibus omnibus & singulis late scripsit Prugmannus, *in tract. de differentijs sexus, ad d. l. in multis, ff. de stat. hom.*

Denuo itaque repeto, si dum constituimus sexus differentias in successionibus, naturam accusamus, eiq; infirmiorem sexum deteriori in eum constituto iure exprobamus, negare mihi non potes, quin idem aliarum quoque inter vtrumque sexum differentiarum vsu & obseruatione committamus. At in omnibus illis nihil te exprobrare naturæ ipse fateris, imo, inquis, exigit hoc ipsa natura dictitat vsus, pblica necessitas desiderat, vt eas differentias obseruemus & custodiamus, quibus sine nec diu salua hominum communio consistere possit.

13 Sic † enim cum natura sexui fœmineo, verecundiam præcipue implantarit, fragile atque debile consilium ei dederit, discretionem perfectam negarit, animi lubricitate commacularit, proinde etiam ita natura requirit, sic natura constituit, vt quæcunque ad populi, ciuitatis iniustitiæ salutare regimen spectare munia videntur, ea masculis cum primis, veluti præstantioribus deferrentur: mulieres vero obsequium præstarent, vt late & copiose hoc explicat Tyraquellus, *in l. connub. 1. n. 9. cum seqq. Bart. Socin. inter consilia Bruni, cons. 10. num. 6.* & ego infra solidis & ex imis naturę visceribus repetitis rationibus euidentius reddam.

14 Similiter † atque vicissim natura sæpe requirit, & ita natura constituit, parcere, imbecilli naturæ, ne oneribus humeris suis inæqualibus supprimatur. Est enim propter infirmitatem miserabilis, *vt dicit Imp. in l. vn. vbi Bartol. n. 4. C. quando impetr. int. pup. & vid. &c. Gail. 1. obs. 1. n. 40.*

Siquidem ergo ad huc differentias sexus in successionibus tanquam naturæ accusatrices cum Iustiniano accusauerit aliquis, vicissim ipsum tanquam naturæ accusatorem accusare ego non verbe-
ror

ror; vtpote non æque alias quoque sexus differentias condemnare auferit, quæ non minus muliebrem sexum longe quam virilem indigniorem præ se ferunt: & has quidem etiam tueri, & tanquam Reipublicæ salutares & necessarias defendere cogatur.

Quasi † vero non hæ quoque in successionibus differentiæ suas 15
commoditates haberent, & sine magna aliqua & vrgenti necessitate leui virorum ausu inductæ essent? Certe, hoc si sentis, fers iudicium de vetustate satis iniquum. Fatetur & testatur ipse Iustinianus cōmodius illi visum fuisse, ita iura constitui, vt defunctorum bona ad masculos magis quam ad fœminas confluerent, *d. §. item vetustas, & d. §. cæterum, Inst. de agnat. succes.*

Quicunque ergo sub Iustinianeo vxorio hic velitaris Marte, me dum accusatorem naturæ accusas, temetipsum quoque eodem nomine vna mecum accusas, propria confessione te iudicatum, proprioque iugulandum gladio sistis.

CAPVT III.

Vetustatis opinio commodius scilicet ad masculos quam fœminas defunctorum bona deuolui, naturali atque ciuili æquitate & necessitate niti proponitur. Inde vero fœminam, quod imbecilliori indigniorique sexu, fœmina scilicet nata sit, puniri, (vt supra in acie muliebri ca. 2. propositum est) minime conceditur. Imo hanc marium in successionibus prærogatiuam valde salutarem fœminis, summaq; æquitate inductã esse proponitur.

Summaria.

1 *Differentiæ sexus in successionibus ciuili & naturali suadente equitate & necessitate inductæ sunt.*

2 *Non pœna vel iniuria fœminis, sed ipsarum commodum est a suc-*

successionibus excludi, quod tamen mulliebris auaritia æquo animo ferre non potest.

3 *Singulorum salus ab vniuersitatis siue populi salute pendet.*

4 *Prima & extrema in omni bene constituta Republica salus populi lex sit oportet.*

SEd nunc tuæ diutius hærere causæ mihi tutum non est, discedo & ipsum memet vel istum quem defendo legislatorem naturam accusare constanter nego: id vero non segnius modo quam ante vrgeo, rectius ita vetustatis opinione & commodius iura constitui, vt ad masculos hæreditates plerunque deuoluantur, eademque sic esse
1 constituenda, naturalem simul atq; ciuilem æquitatem, † vna cum naturali pariter atque ciuili necessitate suadere, imo magis atq; magis in dies hęc postulare, id quod euidentissimis argumentis post hac probabitur, atque ita fortassis probabitur, vt vel inuitus demum in hanc quoq; mecum pedibus ire sententiam cogaris.

Sed hic quandam innocentiæ tuæ quæstionem moues, quam primum declinabo. Conquereris nimirum missellam mulierem innocentem, nulliusque vel naturalis vel paterni vitij in generatione sua vitiosa (si modo ea vitiosa sit) consciam, ream aut participem puniri, ea dum velut indignior a masculis in successionibus, vt plurimum in excluditur. At erras, tuaq; te decipit (si hoc putas) opinio. Non in-
2 firmæ † mulieri pœna est, a successionibus illam extantibus masculis arceri: non (inquam) pœnalis hæc illi sed saluberrima lex est: multum hæc illi exclusio expedit, si modo æquo animo illam, commune populi suo peculiari commodo præferri, perferre muliebris auaritia patitur.

3 Singulorum † namque fortuna & omnis salus, nisi vniuersitatis quoque salute sit comminuta, ea non durare diutius, quam ipsa vniuersitas potest, ac non secus atq; domus, destructo fundaméto cor-
4 ruat necesse est. In † omni ergo politia rite recteque instituenda, primo legibus consulendum populo, primaq; & extrema salus populi, lex sit oportet: tum vero & iuxta hanc, nec vltra quam publica salus patitur, leges etiam salubres pro singulis atque priuatis ferre conuenit.

At vero commodius esse & Reipublicæ salutare magis, ita successionum leges scribi, vt ad eas masculi priore ordine vocentur, tum his non extantibus fœminæ, sæpius iam inculcaui & inculco denuo, idemque

idemq; infra euidentissimis rationibus clarissime probabo: tibi vero homini muliebri seu masculofœmello, iniquitatis fuco obducit animi sensus ingrata inæqualitas: hæc est quæ tibi falso huius rei indignitatem persuadet: sed paululum quæso, te contine, mox huius inæqualitatis, quæ te tam vehementer stimulat, in meridianum solem summa exponetur æquitas.

CAPVT IIII.

Contra quam supra acie muliebri a cap. 5. vsque ad caput decimum septimum deductũ est, sexum masculinum natura omnibus corporis & animi partibus prǫstantiorẽ esse atque digniorem, fœminino imbecilli, abiecto & vix humano existente, multis scriptorum authoritatibus & sacrę scripturæ testimonijs contrarijs refutatis confirmatur; ac proinde iniquam masculorum & fœminarum inæqualem in successionibus conditionem non esse, imo æquissimam, infertur. Insuper qui mulierem de genere humano tollunt, eamque hominem esse plane negant, refutantur: nec minus mulierem quam virum hominem esse licet indigniorem, probatur.

SVMMARIA.

1 *Maior est in ipso sexu virili dignitas, teste I.C. Vlpiano.*
2 *Ælianus etiam in brutis masculum prefert digniorem.*
3 *Præstat vnicus vir multis fœminarum millibus. Seneca*
4 *In omnibus imbecillior est fœmina. Plato & Aristoteles.*

5 *Obiectio: Deus vtrumque sexum æque creauit, & vtrique æqualem rerum vsum concessit, post lapsum vtrumque redimi & saluari voluit.*

6 *Nullæ sunt differentiæ sexus a Deo constitutæ in hæreditate cœlesti, multo minus ergo tales differentias in terrena ferre debemus.*

7 *Solutio obiectionis.*

8 *Mulierem infirmius vasculum vocat D. Petrus.*

9 *Vir est imago & gloria Dei, mulier autem est gloria viri.*

10 *Ex viro mulier propter virum: non contra.*

11 *Mulier in adiutorium viri, adeoq; ancilla eius creata est.*

12 *Asperrima contumelia mulieres prosequuntur, qui eas homines negant, & n. 23.*

13 *Mulier homini tantum similis, non homo, & n. 22.*

14 *Mulier non homo, sed humana virago tantum.*

15 *Mulier post hominem dignissimum animal.*

16 *Mulier est Vasculum ad generis humani propagationem naturæ necessarium.*

17 *Homo vel vir principaliter creatus est vt seruiret Deo. Mulier autem principaliter creata est vt seruiret homini vel viro.*

18 *Mulier honorat Deum, tanquam Domini sui hominis videlicet Dominum.*

19 *Quod ex alicuius occasione profectum est, id ad eum reuerti æquum est.*

20 *Mulier non magis est homo, quam homo Deus.*

21 *Ratione similitudinis, qua mulier est homini similis creata, tantu ab homine dissidet, quantum homo a Deo.*

24 *Eminentior atq; dignior homo quam mulier vir est.*

25 *Nullibi in scriptura dicitur, mulierem hominem non esse.*

26 *Cum dicit Paulus, quod vir sit imago & gloria Dei, mulier a gloria viri: hanc quoq; imaginem & gloriam esse non negat.*

27 *Non vir ex muliere est: sed mulier ex viro.*

28 *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.*

29 *Mulier debet esse velata.*

30 *Neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro.*

31 *Sicut mulier de viro ita vir per mulierem.*

32 *Arctius est carnis vinculum inter coniuges, quam inter parentes & liberos.*

33 *Homo debet relinquere patrem & matrem & adhærere vxori suæ.*

34 *Non debent liberorum matrimonia honesta propter parentum dissensum, impediri, constringi, aut dissolui.*
35 *Qui mulierem ab homine distinguunt, quod Deus coniunxit separant.*
36 *Sicut filius propter sanguinis necessitudinem, de patris natura genere & familia habetur: ita multo magis vxor de mariti genere &c. haberi debet.*
37 *Iure ciuili mulier nupta in familiam viri transit.*
38 *Incongruum est bestiis sui generis fœminas habere, non autem homines.*
39 *Deum etiam homini sui generis socium dedisse probatur.*
40 *Mulier homo probatur, quia de homine sumpta est.*
41 *Mulier, quia de viro sumpta, virissa dicta.*
42 *Mulierem esse hominem, testimonio Moysis probatur.*
43 *Bis insulsi videntur, qui mulierem hominem esse negant.*
44 *Incommoda sententia, mulierem non esse hominem.*
45 *Mulari non debet, quod certam interpretationem semper habuit.*
46 *Ab authore in gratiam mulierum refutata sententia, eas homines non esse & esse probata.*

CReatus est, dicis, homo masculus & fœmina, quod modo fateor, at insuper æquali vtrumq; natum dignitate, non sexum sexu sui natura præstare, hoc vero principio tantum pernego.

Differt masculus † a fœmina sexu, sed & naturæ dignitate hanc 1 ille superat. Nega, si audes, non mihi, non IC. Vlpianæ, sed naturæ vel ipsi potius vtriusque sexus in omni animali creatori Deo: [maiorem in ipso sexu virili dignitatē esse, quam in fœmina.] Obmutescit? an vero silentio tandem, quod verum inficiari non potes, probas? certe, velis, nolis, garrulæ tuæ linguæ nunc ipsa necessitas frænum inijcit.

Vides quam aduersus sexum mulieris insurgant magni grauissimi testes, eius imbecillitatem, fragilitatem, naturam abiectam & vix humanam multis firmissimis rationibus demonstrantes.

Audis † quid Ælianus insignis naturæ scrutator, (*lib.* 11 *de nat. ani-* 2 *mal. capit.* 6.) dicat? Sexus, inquit, masculus etiam inter bruta videtur a natura præferri; siquidem Draco mas, insignis est crista & barba hirsutus: gallinaceus est ipse hirsutus, paleas insuper veluti barbā gerit: Ceruus Cornutus, Leo iubatus, cicada mas canorus est.

Audis experientia quid deponat] Tragicorum prudentissimus in Iphigenia.

3 Præstat † vnicus vir (inquit) estque lucis huius munere dignior, quam multa sane fœminarum millia, quos ex nostris refert Tyraquellus, *in LL.connub.l.9.gl.1.part.1.n.49.*

4 His † attestantur summi Philosophorum principes breuiter, sed grauiter, ita Plato: in omnibus imbecillior est fœmina, *lib.5. de Repub. post princ.* Et ita Aristoteles. Mas cum fœmina comparatus melior est, hæc autem deterior, *1.Pol.t.3.*

5 Sed † quid Ethnicorum testimonijs nos demoramur? quibus tu forte homini renato atq; Christiano fidem hic dare non fas esse dicis. Deum vtrumque sexum pariter creasse: vtriq; cæterarum creaturarum par dominium & vsum æqualem concessisse obijcis: imo amplius proprio peccato deperditum vtrumque precioso filij sui sanguine redemptum pristina gratia dignum iudicasse instas: quam diuinam ipsius creatoris primam ordinationem impie nos respuamus, quodque iudicium sacrosanctum in hæreditate æterna immarcescibili & incontaminata in cælis nobis per resurrectionem Christi reseruata, *vt 1.Pet.1.habetur*, in caduca & terrena sequi conscele-
6 to sane pudore nos erubescamus. Solos rerum dominos mares, fœminas vero prope seruas natura existimantes; hæreditatis paternæ iustos hæredes solum filios non æque etiam filias iudicantes.

Iterum quidem recte & laudabiliter muliercula mones, maiorem tribuamus authoritatem & fidem testimonijs sacris quam profanis: At quod mones, cur non ipsa etiam præstas? cur non idem ex-
7 emplo, quod verbis, probas impudens? [Ecce infirmius vasculum] te
8 spiritus sanctus vocat: *1. Pet.3*. Cur ei, qui mentiri nescit, non credis? nimirum infirmitatem tuam quominus agnoscere possis, ipsa intel-
9 ligendi vis animo tuo deficit. Iterum: virum imaginem & gloriam Dei, gloriam autem viri esse mulierem ipsa testatur sancta Dei veritas (1.*Corinth*.11.) fide amplectuntur Canones, *c.hæc imago, c.mulier 33.q.5.* credunt magni DD. *Vant.tract.nullit. Rubr.de nullit.sent. ex defect.iurisdict.deleg.n.71.Mozz. in tractat.de contract.tit. de nupt.n. 3.Prugmannus, in tr.de differ.sexus, 1.par.prin.memb.3.atr.* 2.at tu ne-
10 gando hoc instes, peculiaris naturæ tuæ leuitas te hortatur. Iterum mulierem ex viro, non virum ex muliere primum prodijsse, nec virum ex muliere primum prodijsse, nec virum propter mulierem, sed mulierem

mulierem propter virum creatam esse, *d.c.11.* sanctissimum Dei organum intonat. Sed heus tu ancilla viri, quo auertis nūc aurem? magnum illum in fide & veritate gentium Doctorem (vt vocatur *1. Timoth. 2.*) audi, qui in adiutorium viri, viro tanquam Domino, vt ancillares, te creatam esse dicit. Audi & crede tandem Domino Deo & Creatori tuo, quando dixit: Non est bouum hominem esse solum: 11
faciamus ei adiutorium (certe firmum hoc verbum, mulierem velut in iustissimam viri seruitutem detrudendi adiutorium) simile sibi.

Quapropter ad testimonia sacra dum prouocas, mulier, insipiens certe proprijs te constrictam vinculis sistis, ac prope iustæ te mancipandam seruitudi dedis: vel saltem, vt mitius dicam, in gratiam viri, scilicet vt esses illi in laborib. adiutorio, in generatione hominis cooperatrix, præcipue te creatam esse agnoscis. Siquidem non alia quā hæc ipsa quoque viri ad te conuincendum, suoque iusto maritaliq; imperio regendum proferunt. His pręcipue tanquam diuinis, adeoque immotis & irrefragabilibus testimonijs, digniorem, præstantiorem & gloriosiorem Dei creaturam, marem quam fœminam probant: his te, caput se esse tuum, vel des inuita cogunt.

Atque hactenus in sexus muliebris exinanitione, quoad naturam ipsius humanam ego subsisto: nec tamen iniquius aut durius quicquam eidem sexui obtrudi, vel illi etiam de suo honore atque dignitate aliquid contra scripturam & rationem detrahi admitto.

Nam alias † non me latet, quam quidam, forte non tam veritatis, 12
salutisque publicæ, quam nouitate captandæ alicuius gloriolæ studio, mulieres asperrima contumelia prosequantur: ac nimirum eas ab hominum genere & natura plane segregare, suoque peculiari animalis in indiuiduo, quod mulieres scilicet, non hominis appellatione notetur, constituere audeant.

O infelix, afflicta & miseranda mulier, quam es abiecta, quam cōtemptibilis. Sed certe sunt in te vehementiores durioresque, fateor, sunt iniquiores, sunt iniurij verbis, tibi & scripturæ vim faciunt, qui ne hominis quidem nomine te dignatam, neque natura eius atque dignitate præditam, frigida sane ratione, adstruunt. Creatam enim
te † adiutorium hominis homini simile tantum, non vero ipsa sub- 13
stantia hominem contendunt. Masculam, hoc est, humanam viraginem tantum te esse, è viri, hoc est, è hominis costa desumptam, & ad 14

eius similitudinem tantum formatam, non etiam hominis natura, dignitate & nomine donatã atq; adornatam iuxta se agnoscunt: animal videlicet, non hominem te, sed animal homini simillimum, propter hominem in hominis diuinam formam & nobilissimum humani generis propagandi vsum, vnicum tale conditum, & post hominem dignissimum atq; beatissimum animal creatum asserentes.

15 Sed nec amplius † creatam propter te, nec tui causa creatum esse quicquam: sed te & omnia quæcunque creata sunt, ea propter hominem, hoc est masculum solum creata esse autumant. Porro & tu

16 quidem obijciunt mulier † tanquam vasculum ad humani generis propagationem natura necessarium, idemq; similiter necessitante natura (quæ semper tendit ad procreandum sibi simile) homini simili creatum es. Omnes vero creaturæ aliæ, ad alios necessarios hominis vsus creatæ sunt. (*Gen.1.2.* In quo autem tu cæteris creaturis es creatura dignior, & post hominem nobilissimum atque beatissimum animal, mulier videlicet creata es, hoc solum est, quod ad nobilissimum vsum, scilicet ad generationem hominis, tum homini similima consilio & lingua & oculis & auribus & excogitandi corde prædita & disciplina intellectus repleta (*vt inquit Ecclesiastic.* 17.) denique in adiutorium homini & perpetua vitæ socia creata es.

17 Quemadmodum igitur vir, (inferunt) vel homo gloria Dei, propter Deum Deo similis & rationalis creatus, vt maiestatem eius diuinam atque sanctam, altissimam ac profundissimam, immensam ac infinitam, ab æterno in æternum experté principio & sine fine durabilem contemplaretur, admiraretur, glorificaret eam, seruiret ei atque obediret: ita tu quoq; mulier es gloria viri siue hominis, propter hominem ex eius costa & similis ei a Deo formata, viuificata, Spiritu & ratione prædita, vt nimirum eum suspiceres: vsui ei & adiutorio, nec non tanquam Domino subdita ancilla esses; ei ad generationem hominis veluti præcipuum ad hanc conditum vasculum inseruires, tanquam capiti illi te subijceres & in omni necessitate

18 subsidium ferres. Iuxtim † vero non minus atq; homo Deum creatorem, tuum ac Domini tui Dominum vtpote qui creare te præ cæteris creaturis ad nobiliorem vsum & animal homini conforme simul ac rationale dignarit, agnoscas atque celebres.

Ita nimirum fit, vt non tantum homo, Deum qui creare ipsum digna-

dignatus est, colere dignetur vicissim; eius se reddat honori, cui scit se esse amori, ei se voueat, quem se fouere agnoscit: sed etiam mulier viro, quod ex eius occasione creata sit, vicissim ei aliquem honorem tribuat: quo nostri nihil æquius putant: quam scilicet vt quod ex alterius occasione profectum est, † id ad eum quatenus potest, reuertatur, §. *primo Institut. per quas personas nobilit. acquiritur.*

Sic ergo ex horum sententia consequitur, primo, masculum solum principaliter creatum propter Deum ad gloriam Dei, deinde 19
solum creatum hominem, & tum Deo solum simillimum.

Mulierem vero † e contra, principaliter creatam tantum esse 20
propter hominem, ad gloriam hominis: deinde homini similem tantum, vix hominem: nec hominem prope magis, quam homo Deus est, Deo similis creatus: tertio eundem Deo mediate & per comparationem hominis aliquatenus esse similem; hominem immediate & per comparationem nullius: quantum vero ad naturam & similitudinem hominis accedit mulier, non minorem eam quam hominem Deo cultum & reuerentiam debere, cum propter dominum suum veluti virum, tum etiam propter sanctissimam Creatoris sui maiestatem.

Quarto mulierem creatam esse ex costa hominis siue viri: esseque os ex ossibus viri, & carnem de carne viri, quare etiam viraginis nomen illi primus Protoplastes indiderit: quia de vero primum desumpta est, *Gen.2.*

Quinto hinc colligunt, mulierem potissimum creatam esse in vsum hominis & tanquam vasculum quo illa ad propagandum genus suum vteretur: atq; hinc sexto, quatenus homini similis sit mulier, vt id acceptum ferre homini quoque debeat, cuius natura sui simile vasculum desiderauit. Septimo adsunt etiam creatam illam adiutricem hominis siue viri, cui velut ancilla seruiret & obediret: ille vero ipsi imperaret tanquam Dominus.

Deniq; † plura vt in pauca conferam, dicere non verentur mulie- 21
rem; homini licet similem, ab homine tamen sui similitudine tantũ distare, quantum homo similis Deo ab ipso Deo dissidet.

Atque hæc quidem ita illi inferunt: sed quo iure, quibusue rationibus & argumentis sententiam nouiter a se inuentam defendant: quo inter homines bono eam inducant, spargant atque per-

persuadeant; qua laude materno hominum generi illudant; quo denique pietatis prætextu velare possint, quod spiritui sancto refragantur, ipsi viderint. Nam mea quidem opinione, mulierem hominem creatam non esse, primum nulla firma ratione nititur: deinde vero hanc sententiam non tantum bonis contrariam moribus, sed etiam scandalum hominibus inculcare, adeoq; tam in Repub. quam in Ecclesia, suis cum auctoribus explodendam esse, existimo.

22 Hominis † adiutorium homini simile, adeoque in gratiam hominis primi siue viri à Deo mulierem cõditam, siue (vt cum Moyse loquar *Gen. 2. verſ. 22.*) ædificatam esse: & hinc quoque viri gloriam ab Apostolo (*in d. c. 11. ad Corinth. 1*) appellari concedo: sed neq; infirmi-

23 nus vasculum eam vere dici inficior (*d. c. 3. Pet. 1.*) Attamen † propterea hominem mulierem non esse, aut ad Dei similitudinem siue imaginem minus quam virum esse creatam, non etiam humanis partib. solumque forma hominem repræsentare, nõ humanis dotibus quoque decoratam, nec nomine hominis insignitam esse, id vero constanter pernego.

24 Eminentior † quidem atque dignior sexu in suo, id est, humano genere vir est: quod autem in eodem genere, scilicet humano, non etiam mulier sit creata, quemadmodum in omni reliquo genere animalium, sui generis cuique mari coniuncta atque data est fœmina

25 id verum est † minime: Neque vllibi in scriptura dicitur. Virum qui-

26 dem esse imaginem & gloriam Dei, itemq; mulierem esse gloriam viri Apostolus dicit (*d. c. 11.*) quod autem mulier, iuxta quod est gloria viri, non etiam sit gloria & imago Dei, id non adijcit. Sed neq: hoc exprimit quod mulier sit imago viri; sed tantum dicit, quod sit gloria viri, de quo iam inter nos non est contentio. Nam (vt idem Aposto-

27 lus † subdit) non vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non

28 est creatus † vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Atq; hinc mulier gloria viri est, vtpote in viri gratiam, vt haberet eam vitæ consortem coram se, creata, (*d. c. 2. Gen. verſ. 18.* & 20. Vnde etiã mu-

29 lier debet habere velamen † supra caput suum & propter Angelos, (*d. c.* 11.)

30 Porro niueo notandum fœminis est lapillo, quod amplius idem Apost (*d. c.* 11.) subiungit: [neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierẽ:

31 omnia autem ex Deo.] Quibus verbis arguit † Apostolus, ex viro & muliere

muliere vnito demum genere humano, id perfectum integrum incorruptum & durabile factum esse, quod sine mulieribus solis existentibus viris, aut sine viris solis existentibus mulieribus, imperfectum atque mutilatum tantum nec durabile fuisset, aut esse posset; siquidem omnis mulier de viro, vir autem omnis per mulierem.

Quamuis igitur mulier sit hominis causa primum creata, quia nõ videbatur bonum nostro creatori humanum genus consistere in solo sexu virili: ita tamen est mulier cum viro vnita conglutinata & arctissime coniuncta, vt in vna eademque carne (siquidem & fœmina est de carne viri) consistentes, in vnam † carnem arctius coaluerint, 32
quam filius vna cum patre persona censetur. Vnde & vnicuique relinquere patrem † suum atque matrem suam, & adhærere vxori suæ 33
præcipitur. (*d. c. 2. Gen. vers. 24. & ibi.* Lutherus *Math. 19. Ephes. 5. 1. Corinth. 6*) Quod præceptum negligentes vt peccant plurimum ex Lutheri † sententia parentes, qui filiorum suorum coniugia hone- 34
sta non sinunt esse libera, sed perinde illos obstrictos sibi tenent, ac si elocati non essent: atq; ita copulam coniugalem impediunt, vel si qua cœpit, eam dirimunt: in quam sententiam pie etiam atq; probe cæteri Ecclesiastici & Canonici interpretes, non tam de necessitate quam honestate in nuptijs liberorum requiri consensum docentes, transeunt; quia iam copulatus magis debet conuigi, quam parentibus: ita quoque non minus qui mulierem à viro, quem illi arctissimo coniugij vinculo Deus coniunxit, separant, & hominem non nisi marem agnoscunt, peccant.

Quid enim aliud agunt, quam quod Deus coniunxit, illi separant 35
dum marem & fœminam adeoque omnes coniuges diuerso animalis genere distinguunt, & hanc quidem mulierem, illum vero solum hominem vocant? Voluit enim Deus vnam esse carnem vtriusque, vnam formam, vnam rationem, vnam consuetudinem, vnum consortium, vnam & æqualem omnium rerum in vita comm unionem.

Iam vero † cum arctius vinculum fuerit inter Adam & Heuam i- 36
temque sit inter omnes coniuges, quam vel inter patrem & filium: filius autem eiusdem generis, eiusdem nominis, eiusdem dignitatis suæ coniunctionis & eiusdem sanguinis & carnis cum patre ratione habeatur; sola excepta maioritate & reuerentia, quæ patri debetur: quanto magis fœminam eiusdem cum viro generis, & nominis iudicare & hominis appellatione non minus quam ipsum virum con-

dignari: huicque præcipuum nihil, nisi imperium tanquam capilli, tribuere debemus. Primis autem parentibus vtrisque in humano genere existentibus, ac hominibus scilicet creatis factis & vnitis, cõsequenter etiam omne ex his descendens & prognatum genus, siue id masculinum siue id fœmininum fuerit, humanum erit. Cuius vin-
37 culi ratione etiam leges nostræ vxorem, statim atque viro ea iuncta est, ad familiam viri referunt: adeo vt maritalis dignitatis radijs ipsa quoque corruscat, fiatque ex ignobili nobilis: sicut & econtra ignobilitate viri cotaminatur; & si ille sit ignobilis, ipsa licet natalibus suis nobilis fuerit ignobilis, efficitur *arg. l. ingenua, C. de marileg. lib. 11.* ita Bart. *in l. quicunque per illum text. C. de milit. lib. 12. & idem* Bart. *in l. vlt. num. 3. & ibidem* Castrens. *numero 2.* Iason *numero 17. C. de verbor. significat.* Bald. *in l. 1. num. C. de in ius vocan.* Chassan. *in consuetud. Burgund. tit. 9. §. 7. num. 5. & late* Tiraquell. *in legibus connubialib. gl. 2. num. 53.*

38 Et certe incongruum esset rationi, in omni quidem animantium genere eiusdem generis masculum & fœminam perpetuo Deum creatorem produxisse, vt constat *Gen. 2. & 6.* In genere autem humano omnium dignissimo ac super omnia dominante non eiusdem generis sociam etiam homini à Deo attributam atque coniunctam
39 esse. Imo † etiam huic non minus quam cæteris animalibus, de suo genere, hoc est, similē sibi, (vt cum scriptura loquar) consortem vitæ datam ipse textus sacer innuit, quando inquit. [Indidit itaque homo nomina cuique iumento & volatili cœli, omnique bestiæ agri.

Adæ vero non inuenit adiutorium, quod esset coram se.] Postquam igitur humani generis excellentia apparuit, vt nullum ex animalibus cunctis facta disquisitione reperiri potuerit, quod Adæ cõsuetudine atque consortio dignum fuisset aptarique commode illi potuisset: neque tamen ex omnibus animalibus solum hominem, atque solum omnium animalium dignissimum & ad ipsius Dei creatoris imaginem conditum, solum & vnum sine generis sui societate manere, ipsi creatori bonum, siue (vt Chaldæus exponit & interpretatur Paulus Fagius, *ad d. c. 2. Gen. vers. 18.* congruum aut conueniens videbatur, inquienti, [Non est bonum hominem esse solum] sicut cæteris omnibus animantibus ita etiam huic dixit, [Faciamus adiutorium simile sibi,] *d. c. 2. vers. 18.* Itaque vt cunctis animantibus alijs

ante

ante Adam creatis, in vnoquoque genere similis sibi & eiusdem generis fœminas maribus coniunxit, quod neque naturę erat adfinitas, vt ex alio atque alio genere siue ex alia atque alia specie quædam cõiungerentur: ita etiam non nisi humani generis sociam homini congruere cum appareret, in humani generis creatione etiam ad fœminei sexus creationem Deus in opere suo progressus est. [Cadere igitur, inquit text. *d.c.2. Gen. vers. 21.* fecit Iehoua Deus soporem super Adam, & dormiuit & tulit vnam de costis e us & repleuit carnẽ pro ea.] Ex quo iã rursum cõstat, vel maxime in humano † genere fœminam æque atque marem creatam esse hominem: quia omnia cætera animalia cuiuscunque speciei fœminina, non ex sui generis maribus producta, vel ex eorum ipsorum lateribus aut corporibus desumpta atque formata sunt: mulier autem ex viri costa ædificata est. Nam inquit textus *in d.c.2. Gen. vers. 22.* [Et ędificauit Iehoua Deum costam quam tulerat ex Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Quid porro quod etiam statim agnouit Adam ex similitudine genus suum, imo quod à Deo adducta ad se mulier, fuerit os ex ossibus & caro de carne sua, in qua se velut alterum complectatur, recognouit & collaudauit. [Dixitque hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea:] *d.c.2. Gen. vers. 22.* His accedit, † quod postquam iam intellexit viditque Adam mulierem sibi datam coniunctamque sociam, sibi, hoc est, homini, non similem tantum, sed etiam ex se, hoc est, ex homine desumptam esse, adeoque ex forma & materia, nec non anima atque corpore virum repræsentare, neque in vllo nisi solo sexu & auctoritate à se differre, mox etiam eam æque atque seipsum hominem agnouit, proprioque eam nomine appellare dignatus est; & vt ipse vir voeabatur, sic ille eam [viraginem vel virissam] vocabat, sola sexus nota adiecta, per quam etiam in humano genere sicut in cæteris animantibus, mas à fœmina secerni atque distingui posset. Sic enim subijcit *in d. vers. 23.* [Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumapta est illa.]

40 (margin, beside "ea.] Ex quo iã rursum cõstat…")
41 (margin, beside "mea:] d.c.2. Gen. vers. 22. His accedit…")

42 Quod † si forte omnia hæc, mulierem æque atque virum hominem esse, licet indigniorem infirmioremque, nondum satis alicui fecerint: denique is audiat eodem nomine Moysen hanc appellantem, & tam sancto testimonio tribuet, si fidelis est, quam debet fidem, lubensque in humanum genus etiam mulierem recipiet.

Inquit autem vates, [Creauit itaque hominem ad imaginem suã; ad imaginam Dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos.] *Gen.c.1.vers.27.* Postquam igitur Moyses de creatione hominis ad imaginem Dei facta nos edocuit: certe non sine emphasi quadam & magno spiritu subdidit, [masculum & fœminam creauit eos,] vt videlicet intelligeremus non masculum tantum, sed etiam fœminam hominem ad imaginem Dei creatam, neque ab ea dignitate exclusam fuisse, qua homo siue mas fuit prædicus, vt eum interpretes intelligunt.

43 Ex quibus † omnibus iam bis insulsi mihi videntur, qui mulierem hominem negant; quamuis ipsi alijs omnibus in disceptatione hac suo ingenio acriores & intelligentiores esse velint, suaque de sententia tanquam noua & ab ipsis demum iam veluti verissima, cum tamen sit falsissima, quasi glorientur. Qui si etiam suæ nouitatis euidentes mihi demonstrarent rationes, lubens ipsis accederem: harum vero dum nullas hactenus, quæ momentum habeant, animad-
44 uertam: comperiam autem nouam hanc sententiam, si radices agere pateremur, non parum turbare publicam tranquillitatem posse: ac nimirum bonos corrumpere mores, mutuam inter coniuges reuerentiam diminuere, fidem tollere; vxores prope in maritorum seruitutem inique & contra honestatem detrudere, varijsque modis in imbecilliorem naturam satis afflictam, magis sæuiendi occasionem præbere: in ipso Moysis testimonio acquiesco: & iterum atque iterum repeto; quod creauit Deus hominem ad imaginẽ suam; & masculum & fœminam creauit eos, *d.cap.1.Gen.vers.29.* quo omnes ibi interpretes hanc sententiam probant.

45 Quod † igitur certam interpretationem semper habuit; id satius est retinere, quam mutare: *l.minime, ff. de legibus*, quod forte etiam sine peccato & incommodo publico mutari non potest. Quare videant illi qui tam acerbam, contemptibilem & odiosam de muliebri sexu sententiam ferunt, ne vna cum nouitate sua eiusque Auctore, exulatum ire quandoque iubeantur & solum vertere cogantur.

46 Impartemur † autem suum quoque mulieribus honorem, tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, *prima Petr. 3.* in quarum gratiam memet ipsum quoque hæc, rationi & scripturæ (quantum sentio) consentanea, hic inculcare iuuabat, ne forte si quan-

doque

doque durior ipſe verbis fuerim, is etiam præſenti ſerioque animo fuiſſe videar.

Placuit enim in hoc iucundo certamine iocoſeria quandoque immiſcere & lectoris animum veluti ſale quapiam recreare. Quod autem maiorem in ipſo ſexu virili quam muliebri dignitatem aſſerui: ad id nunc perſequendum redeo: & ad ea, quæ ex iure ciuili a muliebri acie in virilem tela adhuc emittuntur, excipienda & replicanda progredior.

CAPVT V.

Maiorem in ſexu virili dignitatem eſſe ex legibus & Iuriſconſultorum reſponſis probatur, ac præcipue an mulierem pro homine Iuriſconſulti vt Iuriſconſulti agnoſcant? diſcutitur.

SVMMARIA.

1 *Alia obiectio ex authoritate iuris, quod vtrumque ſexum æque hominem agnoſcit.*

2 *Sub maſculi appellatione in iure continetur etiam fœmina, non contra.*

3 *Sub fœmina contineri etiam marem exemplo peſſimum eſt.*

4 *Vxor coruſcat dignitatis radijs mariti, non contra.*

5 *Mulier nobilis, ignobili viro nubens, ipſa quoque ignobilis efficitur.*

6 *Vir vxoris caput, vxor vero mariti corpus.*

7 *Cuiacius mulierem ne quidem in legibus pro homine a ICtis agnoſci docet.*

8 *Plato dubitauit vtro in genere, hominum an brutorum mulierem poneret.*

9 *Intellectus, l. ſi quis aliquid, 38. §. qui abortionis ſuper verbis, mulier aut homo, ff. de pœnis varij.*

10 *Authoris conciliatio.*

11 *Hominis appellatione in iure continetur etiam fœmina non ſermonis proprietate, ſed vſu iuris.*

12 *Fœmina sub masculo sermonis proprietate non continetur.*

AMplius ergo non tantum impie nos sacræ scripturæ quæ alias magnam apud omnes authoritatem obtinuit contemnere, sed iniqne etiam nos despicere eorum responsa contendis mulier, qui boni & æqui notitiam & se iuris sacerdotes, ipsi quoq; veram non simulatam Philosophiam affectantes, (*l.1.ff.de iust. & iur.*) profitentur. Quia namque Deus corpore
1 & anima rationali (ex quibus homo constat) non minus mulierem quam virum conflauit, etiam prudentissimos iuris (inquis) sui generis & nominis, hominis videlicet dignitatem tibi communicare non grauatos videri, *l.1. & l. hominis, 152.ff.de V.S. & vtrobique ex nostris,* Alciat. Brechæus & Gœddæus Bald. *in l. quod dicitur, n.2. & ibi.* Alex. *n.2.ff.de lib. & posthum.* Gomez. *lib.8.var.resolut. c.3.n.1.in fin.* Rol. a Valle. *cons. 14.n. 25.vol.3. per text. in c. in quadam, §. sed aduersus ex. de celebr. miss.*

Sed certe simili impudentia ab æquissima iuris ciuilis censura quæ ab authoritate sacrorum elogiorum nos deficere dicis, ac modo quibus de iure permissum est respondere, causæ cognitionem dum deuoluis, mox earundem sententias & opiniones, quia aduersari tibi magis videntur, iterum reijcis, easque vel iniquas dicis, aut callida interpretatione interuertere tentas. Verum quicquid ais, meras nugas agis, & ventos (quod dicitur) colligis. Clariora namque quam vt quibusuis obduci nebulis, fortiora quam vt vllis contrarijs superari viribus possint, sunt prudentum responsa: quibus virilis sexus maior naturæ dignitas & eminentia innixa hęret, estque suffulta. Maiorem esse dignitatem in ipso sexu virili ad literam Vlpianus scripsit, *in sæpe d.l.1.ff.de senatoribus.*

2 Et eandem † hanc non obscure præsupponunt, quando masculi quidem appellatione etiam fœminam contineri respondent idem Vlpianus, *in l. pronunciatio 195.ff.de verbor.signif.* Modestinus, *in l. seruis, 81.pr.de leg.3.* Paulus *3.sent. 6.§.69.* Iulian. *in l. qui duos, 62.ff.de leg.3.* Pomponius, *in l. si ita scriptum 45.pr.de leg.2.*

3 Cæterum † fœminino vocabulo etiam masculos contineri, exemplo pessimum iudicant: idem Pompon. *in d.l. si ita scriptum in fi. princ.* Modestin. *in d.l. seruis, 81.§. quibus 4.* Iulianus, *in d.l. qui duos,* quos ex nostris sequuntur. Decius *in l.2.n.90. & seqq.ff.de reg. iur.* Iacobus Aretinus, Cynus & Alberic. *in d. l. si ita scriptum,* qua de re vide

de nouissime eleganter differentem Goeddæum, *in l. prima, de verb. signif.*

Quid † vero quod ipsa quidem vxor dignitatis mariti corruscat 4
vir autẽ e diuerso radijs vxoris nihil omnino splendescit: imo ignobilitate viri ipsa quoque vxor contaminatur, & ex nobili ignobilis 5
efficitur, ex sententia Bartoli & Castr. *nu. 3.* Ias. *n. 17. in l. vlt. Cod. de verb. signif.* Bald. *in. l. 1. num. 2. C. in ius voc.* Iasonis, *in l. diuortio, nu. 11. ff. solut. matrim.* Baldi Nouelli, *in tract. de priuileg. dotis, p. 10. priuileg. 20. num. 9.* Chassan, in consuetud. Burgund. *tit. 9. §. 7. num. 3.* Tyraquel. *in LL. connub. gl. 2. num. 53. arg. l. ingenua, C. de murileg. lib. 11.* de quo etiam in cap. præced. dictum est.

Sane neque hoc præeminentiæ masculeæ apud Iurisprudentes 6
obscurum argumentum est: quod nimirum ex viro tanquam capite magis reliquo corpore instillari, quam e diuerso putant, vtique non inconuenienter siue ad naturam, siue ad rationem hoc examines. Vir enim vxoris caput est, vxor vero mariti corpus, *vt rtaditur in cap. manifestum, & c. cum caput, 33. quæst. 5. & latius supra dictum est.* Ex quo mulieri melius esse non nubere, quam sibi indigno nubere Baldus concludit, *in l. cum ita n. 2. ff. de condit. & demonstrat. & Castr. in l. sed si hoc, §. cum vir, numero quinto, per illum text. ff. eod. vt* refert Prugmannus *in d. tract. de diff. sexus, part. 1. prim. membr. 3. artic. 9. num. 2.*

Quanto vero longius his illi abijciunt muliebre genus, qui mu- 7
lierem in iure, ne hominem quidem agnoscunt, vt nuper eam rarissimæ eruditionis & subtilissimi ingenij Antecessor Dn. Iacobus Cuiacius in hominum genere Iurisconsulto vt Iurisconsulto non habendam ex professo docuit, *lib. 6. obs. c. 21.*

Subrides an subringeris mulier, aut quisquis es muliebri delinitus melle? Contine risum, remitte calorem; non cauillor aut iocor tecum serio loquor, neque etiam molesta nouitate aliqua afflicto sexui afflictionem addere cupierim, aut Cuiacium in fæminei sexus 8
odium aliquid excogitasse crediderim. Dubitauit iam aute multa secula Plato, vtro in genere hominum an brutorum rectius poneret mulierem. & ab hominum genere iam olim separauit eam expresse Iulius Paulus magni ingenij ICtus *in l si quis aliquid 28. §. qui abortionis, verbis,* Mulier aut homo, *ff. de pænis.*

Et secundum eum etiam ante Cuiacium ex hominum albo

de-

deleuisse eum videntur Iohan Faber, *in §. masculis, n. 3. Instit. de nupt.* Alb. de Gand. *in tractat. de malefic. tit. de quæst. & tort. n. 11.* Guido de Suzar. *in tract. de indic. & tort. nu. 11.* Ias. *in l. ex facto, n. 49. ff. de vulg. & pupill. &c.*

9 Quamuis † autem his sese opponant affirmantes iniuria ex sententia Pauli mulierem ab homine separari: in d. §. qui abortionis: alij quidem quod in eo Paulus per hominem fœtum in vtero potius quam marem intelligat. Prugman. *in d. tract. de diff. sexus, 1. part. prin. memb. 2. art. 1. in fi.* alij vero hanc Pauli mentem esse autumēt, quod si vel mulier abortionis poculo, vel homo cuiuscunque sexus amatorio (de quibus in illo §. agit Paulus,) perijsset, tum is qui dedisset summo supplicio affici deberet, ac proinde nullius differentiæ causa inter hominem & mulierem distinctiuam particulam, *aut* ICtus interposuit. Gœdd, *in d. lib. 1. n. 44. ff. de verb. significat.*

Imo potius (vt & ego aliquid addam) omnem inter hominem & mulierem differentiam eo sustulisse Paulus videtur, quod vtrumque sexum æquali ab iniuria hominum protectione dignum existimauit, & tam propter mulierum quam hominum abortionis vel amatorio poculo, interemptam & interemptum capitalem pœnam in eum qui præbuisset, constituit.

Nam si hominem non æque mulierem atque virum iudicasset vtique eandem atque similem in vtriusque necem non iure pœnam sanciuisset. Quanto enim dignior est persona in quam peccatur, tanto grauius est delictum, *vt notatur in c. 1. de calumniat.* glos. & Panorm. *in c. cum illorum per illum tex. ex de sent. excomm. & f. §. atrox. Inst. de iniur.*

Quemadmodum igitur aliter punitur, qui quid in dominum parentemue ausus est, quam qui in extraneum; item qui in magistratum, quam qui in priuatum, *tex. in l. aut facta, §. persona, ff. de pœnis:* & grauius qui quid in Deum quam qui in quemcunq; hominem commisit. *l. Manichæos, prin. 4. de hæret. & Manich. c. cum secundum leges, eod. in 6. c. vergentes in senium, ex eod. de hæret.* Ita quoque grauius haud dubie animaduertisset Paulus in eum qui hominis, quam in eum, qui mulieris mortem præparasset, si hominem non etiam mulierem reputasset.

Nam pœnam conuenit iudici delicto condignam statuere, ac vt eleganter Martianus respondit, *in l. prospiciendum, 11. in prin. ff. de pœnis.*

de pœnis. Proſpiciendum eſt iudicanti, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur quam cauſa depoſcit: nec enim aut ſeueritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed propenſo iudicio, prout quæq; res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Et in leuioribus cauſis proniores ad lenitatem iudices eſſe debent; in grauioribus vero cauſis ſeueritatem legum cum temperamento benignitatis ſubſequi. Quam igitur illi inter hominem & mulierem diſtinctionem, tanquam falſo ex Pauli mente perſuaſam, acriter impugnarunt, modo etiam nos manifeſti erroris conuincere videmur.

Attamen † non tantidem forte hęc omnia ſunt, quanti vnica particula diſtinctiua AVT. in d. Pauli loco, cuius hæc peculiaris vis eſt, 10
vt alterum ab altero diſiungat aut ſeparet, *l. hac verba, ille aut ille 124. ff. de verbor. ſignificat.* Verum hic me tanquam mediatorem interponam, & an diſtinctionis fœdere conciliari poſſit, mulierem in iure eſſe hominem, & non hominem tentabo.

Fœtum per hominem non intellexit Paulus, primum quia de eius internecione tractat, cui poculum abortionis vel amatorium datum eſt; Matri autem geſtanti in vtero fœtum poculum tale dari tantum non fœtui poteſt. Deinde intellecto fœtu, non comprehenderetur ſub eius §. 1. diſpoſitione etiam maſculus extra vterum & iam natus qui non minus amatorio, quam mulier poculo perimi poteſt. Et quid porro opus eſt hominis appellationem referre ad poculum amatorium, quod hoc vterque ſexus; ille vero abortionis ſcilicet ſola mulier necari ſoleat, quaſi dixerit Paulus, ſi vel mulier poculo abortionis vel cuiuſcunq; ſexus homo, ſiue ſcilicet mas, ſiue fœmina fuerit, amatorio perierit, &c. Non enim ita diſtinctim aut reſtrictim Paulus loquitur, nec minus puto, ſi abortionis poculo homo fœtus ſcilicet peremptus fuerit, in porrigentem ſummi ſupplicij pœnam ipſum conſtituiſſe.

Quod autem ab æquali pœna, æqualiter etiam hominem mulierem iuxta virum arguis, reſpondeo: eandem in eum qui abortionis & eum qui amatorium poculum præbuiſſet, pœnam eſſe conſtitutam propter fœtum: non vero propter matrem mulierem, & quod ea etiam hominum genere ſit habenda, imo propter virum cuius pars eſt vxor. Quare nec dum Paulus fallere Cuiacium eiuſq; aſſeclas videtur.

Nihilominus autem etiam mulier homo eſt, inquis, quicquid

ſibi tandem velit disiunctiua mulieris atque hominis copulatio Pauli, *in d §. qui abortionis.* Nam hominis appellatione tam fœminam quam maſculum contineri expreſſim non dubitauit Terentius Clemens qui ad L. Iuliam & Papiam ſcripſit, *d. l. hominis, de verb. ſignif.* atque idem Paulus ſub verbo [ſi quis,] tam fœminas, quam maſculos complecti, lib. 1. ad edictum notauit, *l. 1. ff. de verbor. ſignificat.* & plerunque maſculi appellationem & ad fœminam porrigi Vlpianus, *in d. l. pronunciatio 195 ff. eod. tit.* reſpondit.

11 Equidem † lubens largior hominis appellatione in iure ſæpe etiam venire mulierem, æque atque appellatione maſculi fœmina plerumque venit. Verum vt inde fœmina proprie maſculus non eſt aut dici poteſt, ita quoque nec mulier inde homo, ſed vſu tantum iuris & quibus caſibus idem ius maſculus & fœmina, & mulier cum homine habet, etiam fœmina maſculi & mulier hominis appellatione extenſiuæ interpretationis beneficio, non vero ſermonis proprietate condigna reputatur, vt communiter fere omnes affirmant poſt gl. *in d. l. ſeruis 81 de leg. 3.* Bartolus & Alexander *in d. l. 1. de verbor. ſignificat.* Iaſon *in l. qui filiabus, numer. 18. & 21. ff. de legat. 1.* Cuia. *d. cap. 21.* & alij plures quos refert Gœddæus, *in d. l. 1. nu. 39. de verborum ſignif.*

Qua in re argumēto ſunt vel ipſi textus legum quibus ſub hominis vel maſculi nomine etiam mulierē vel fœminam denotari edocemur. Siquidem hoc documento ſi proprie hominem etiam mulierem ICtus agnouiſſet, opus non fuiſſet.

12 Quemadmodum itaque fœmina ſub maſculo ſermonis proprietate non continetur, vt probatur expreſſe per *dict. leg. pronunciatio* verbis plerunque porrigitur, quicquid alij ſubtiliter opponant: ita nec mulier, ſub appellatione hominis proprie, ſed extenſiue in indifferentibus tantum. In cuius rei confirmationem etiam multi textus adduci poſſunt, quibus ſemper diſpoſita de hominibus ſiue maſculis tum modo extenduntur, etiam ad fœminas: ocioſe ſane, niſi mulierem ſub homine vel fœminam ſub maſculo ſermonis proprietate non comprehendi dicamus, *l. cum in adoptiuis, §. quæ in filio, Cod. de adopt. l. penult. in fin. C. de præpoſ. ſacr. cubic. libro duodecimo, verſ. hæc omnia, l. ſed etſi quis, in prin. & verſ. qui quaue ff. de inſtitut. act. leg. 2. §. primo. ff. de adopt. leg. 4. §. primo, Digeſt. de in ius voc. leg. quoties, verſ. aliquis vel aliqua, Cod. de ſuis, & legit. l. ſi quis 7. Cod.*

ad

ad S.C. Tertyl. cum similibus.

Proinde non tam futile est, quam plerique opinantur Iulium Paulum mulierem minus quam marem in hominum genere habuisse. Possent in vtramque partem argumenta plura congeri & latissime hæc res disputari; sed sufficiat nobis vel per hanc disputationem demonstrasse quam suspecta sit etiam Iurisconsultis, sexus muliebris dignitas, vel potius quam despicata eius sit vilitas & contemptibilis apud omnes opinio.

Quocirca eo iustiorem antiquitas venerationem meruisse videtur, quod non solum publica vtilitate, sed etiam sexus virilis dignitate, nobilitate atq; præstantia compulsa viros nonnullis in iure prærogatiuis, maxime in successionibus condignandos esse, suo exemplo posteritatem erudiuerit.

Quod autem alias & extra ius ciuile mulier homo quoq; creata a Deo sit, in præced. cap. dictum est.

CAPVT VI.

Tertio maior maris dignitas & æquior hic causa a potiori fœminæ in præuaricationis lapsu peccato; & quarto ab ordine quoque creationis deducitur.

Summaria.

1 *Mulierem in Ecclesia non vult docere Paulus.*

2 *Non Adam sed Eua in præuaricatione est seducta.*

3 *Mulieres Diaboli ianua, prohibitæ arboris resignatrix, diuinæ legis desertrix, Diabolo audacior. Tertullianus.*

4 *Primus formatus & creatus est a DEO Adam, post Eua.*

TAceo nunc quam sit etiam aduersus mulierem Diuus Paulus in Spiritu vehemens: non tantum primas dignitatis in sexu illi præripit, sed etiam naturales & arrogantes ipsius sexus dominandi libidines elatos imperandi spiritus deprimit: de tribunali imbecillem illius naturam præcipitat, ac in eo naturæ potentiã

collocat. Neque enim docere vult mulierem in Ecclesia, multo minus in virum eandem dominari, ratione certe grauissima & digna: propter quam fastidiosa mulier lubens imperio viri se subijcere, & ad omnem eius nutum paratissima esse deberet.

Vnde enim viro vel homini prima sui lapsus causa? quis est, cuius culpa primum homo in amœnissimo paradiso perpetuæ gloriç & summæ felicitatis domicilio collocatus ex eius possessione deturbatus primum, & in tam ærumnosam casam detrusus, in tam profundas iræ diuinæ angustias, densissimas tenebras & æternæ mortis cauam cum omni suo genere est abiectus: Ex qua non nisi immolati immaculati agni Dei pretiosissimo sanguine redimi, non pristinam creatoris sui gratiam, nisi filio eius vnico homine nato, atque hoc solo sine peccato, pro omni humano genere reo, passo & crucifixo intercedente mediatore, reconciliatore, non recuperare vitam beatam & æternam, nisi per viam mortis, acerbissima Christi morte patefactam potuit? Tanti nimirum ac tam profundissimi lapsus causa,
2 Apostolo teste 1. Epist. ad Timoth. 2. a muliere promanat. Nam † Adam (inquit) non est seductus, seducta autem mulier in præuari-
3 catione. Vnde † Tertullianus in lib. de muliebri habitu post prin. ita in mulierem aspere inuehitur. Tu es (inquit) Diaboli ianua, tuq; es diuinæ legis desertrix, tu es, quæ ei persuasisti, quem Diabolus aggredi non valuit. Qua de causa indignius ac lubricosum opinor mulieris Imperium Apostolus suspicatur, hominis autem dignius atq; constantius.

Sed & alio argumento, quod hactenus præterij, idem Apostolus in mulierem inuehitur; ac nimirum ab ordine creationis maris excellentiam imperijque dignitatem & præeminentiam demonstrat.
4 Nam primus (inquit) Adam † formatus est, post Eua. Omnes ergo tam viri quam mulieres ex vno viro prodeunt, qui ergo fieret vt non dignior haberetur, etiã inter vtrumq; sexum masculus: vt pote qui in omni genere animantium naturę & virtutis est principium: quod modo non sacram tantũ Apostoli, sed etiam non contemnendam Pythagoræ & Alberti, lib. 18. de animal. capit. 2. ad fin. magnorum Physiologorum authoritatem habet teste Tyraquello nostro, *in d. l. connub. 9. n. 95. in fine.*

CAPVT

CAPVT VII.

Quintò nobilior mas quam fœmina etiã ex ordine naturę in homiuis generatione quodammodo apparet. Nam primo mas est agens & fœmina patiens tantũ. Deinde præcipuum in ea semen maris est, idque solum, nõ mulieris prolificum : adeoq; non idem vtriusq; sexus (vt sup. in acie muliebri c. 3. ex authoritate Iustiniani traditum est.) in generatione hominis officium, sed principale maris, fæminæ saltem administrum.

SVMMARIA.

1 *In generatione nobilior est qui agit, quam qui patitur.*
2 *Vir agit in generatione.*
3 *Mas virtute actiua in generatione hominis præstantior fœmina.*
4 *In generatione hominis præcipuum munus viri est.*
5 *In conceptione efficientis causa vices viri semen, non mulieris supplet.*
6 *Muliebre semen in generatione causa est sine qua non.*
7 *Semen maris causa est efficiens: mulieris autem materialis in generatione.*
8 *Gallinæ per se habent facultatem gignendi oua.*
9 *Maris semen prolificum.*

INsuper autem non tantum primi lapsus causa & ordo creationis primorum parentum muliebre genus in hoc certamine extenuant; sed etiam ordo naturæ & muneris præstantia in hominis generatione sua adminicula conferunt, quibus eius vtilitatem magis extenuant, masculam autem dignitatem aggrauant atque confirmant.

Primum † enim naturæ dictamine est in opere generationis nobilior is, qui agit, quam qui patitur; quis enim ipsum artificem ipso 1

quo vtitur instrumento in opere potiorem non iudicaret; vtiq; non malleus per se indurat ferrum, sed percutientis vis, opinor; non penna sed manus format literam: donantis liberalitas, non accipientis voluntas donationem efficit, *l. donari. ff. de regul. iur.* & proinde semper ab agente tanquam digniori res suum nomen accipit: seruitus à prædio seruiente rustico vel vrbano, rustica vel vrbana dicitur, *l. 1. ff. de seru. rust. præd. l. si quis binas. ff. de vsufruct.* nam & fortior in agente causa est, quam in patiente, *l. 2. & vlt. C. ad Tertullian. l. 2. §. obijcitur, ff. eo*, quam in rem plura congessit noster Tiraquellus *in d. l. connub. 9. num. 96.*

2 At † vero in generatione hominis quantum ad virtutem in agendo, fœminam præcellere virum, & hunc obtinere vicem agentis, illam patientis, experientiæ vsum Aristotelis auctoritatem, *libro 1. de generatione animal. cap. 20.* & ex nostris quoque Baldi *in l. vltima, C. de seru. fugitiu.* Signoroli Homod. *cons. 167. hoc capite vol. 3. versic. nunc perueniamus, &c.* & Tiraquelli suffragium habet.

3 Est † igitur virtute actiua sexus virilis præstantior atque dignior: ex qua virtute etiam corpus vt nomen illi robustius attributum est.

Iam vero quamuis Iustinianus Imperator *in d. l. maximum vitium, C. de lib. præter. d. l. pen. C. de legit. hæred. & similibus*, contendat, vtramque personam, & marem & fœminam in humani generis procreatione & propagatione plane simili atque eodem, nec alteram digniori officio fungi, tamen hoc quoq; negare illi ausim; atque ita statuere, in hominis generatione, vt mas, tanquam agens præstantior est, sic quoque munus ipsius præcipuum atque dignius esse.

4 Nam † ex Physiologis & huius, similiumque naturalium rerum maxime peritis (quibus in sua arte credendum est, *l. 7. mense, 12. de statu hom. cum simili b.*) didici; virum in ipsa conceptione primum suo semine efficientis causæ vices implere, nō vero mulierem. Quæ quidem sententia quibus mihi causis persuasa sit, egoque veriorem existimem Physiologi vt deducant, paucis secundum naturæ ordinem, operæ precium est, deducere.

5 Fit nimirum † generatio & conceptio proprie, quando à matrice facultas generatrix exsuscitatur, quod quidem sine instrumento fieri non potest.

Instrumentum autem commune est calor, non igneus corrumpens,

pens, sed proportione correspondens virtuti cœlesti, (nam ipsa vis generatrix, quæ ab Aristotele Plastica dicitur, & est virtus diuina benedictione animatis insita; deinde semini proprio gignentium instrumento communicata, vt illa impressa motione, sine qua semen potentia tantum est, simile animatum gignat & producat, hæc inquam vis & actio generatrix dispensatur & promouetur vi cœlestium corporum, à quibus depēdent generationes rerum naturalium: vnde illud Aristotelis (Sol & homo, generant hominem) consistens nimirum in tenuiori seminis virilis portione, vnde spiritus ducitur, à quo prima operatio, quæ ebullitio & conceptio vocatur. Hęc porro vis si consisteret in semine mulieris, nihil prohiberet, quo minus hanc alterationem ac proinde conceptionem ex seipsa efficere posset. Quare humor ille qui è testibus fœminæ defluit, góny per se proprie non est, nec eodem modo semen dicitur, vt est maris.

Nam necesse est primum aut vtrumque semen in conceptione efficientis rationem habere, aut alterum tantum. Vtrumque probabile non est, neque enim aliud à virili semine, aliud à muliebre seorsim constituitur, cum vnum vitæ principium sit & omnia in vno consistant, neque ab vtroque primum commixto & contemperato & ad communem formam redacto, vis generandi primum oritur. Nam illa mutua contemperatione noua generandi facultas non excitatur, nec ex duabus vna oritur, sed potius materia præparatur & idonea actioni vnius generatricis principalis in semine efficitur.

Quemadmodum enim (auctore Galeno *libro secundo, de natur. fac. capite* 3.) Phidias ante facultates artis habuit, quam materiam attigit, vsus autem est ipsis in materia; nam sine materia competenti omnis facultas otiosa est. Ita maris semen facultates in seipso possidet; actionem vero non didicit à materia, sed circa hāc obijt, si competens sit, vt nec plus nec minus, quam indiget, affluat.

Quare consentaneum videtur in ipsa conceptione primum maris semen efficientis causæ vices implere: quod vero in fœminis semen dicitur, vna cum menstruo sanguine (qui ab Aristotele imperfectum quoque semen vocatur) materiæ magis rationem habere, & causæ sine qua non. 6

Peculiariter tamen, largior inseruire semen fœmineum non solum ad recipiendum & distribuendum semen virile in vterum: sed etiam vt cum semine maris fœtum constituat: & quia natura humidus & frigidus est, vt sit quasi quoddam alimentum virili semini crassiori & calidiori accommodatum, ac reduntantem calorem seminis viril s contemperet, quemadmodum *Galen. 2. de sem. cap. 4.* statuit. Nam vbi fit conceptus, semen fœminæ cum voluptate & magna vehementia emittitur, licet ob impuritatem matricis non semper sentiatur, vt cum semine maris permisceatur, nec alterutrum corrumpatur: cum alterum sine altero non subsistat nec efficax sit, & maris scintillæ, fœminæ fomitis rationem habeant.

7 In conceptione † ergo maris semen efficientis vices implet, & fœmina materiam præcipue suppeditat. Sed & in compositione & formatione partium fœmina fœmineumque semen actione sua nõnihil confert, & semen maris aliquam materiæ rationem habet.

8 Nam † vt gallinę per se facultatem habent gignendi oua subuentanea; ita fæmina facultatem producendi formas inferiores, alteri subordinatas & subseruientes, nimirum mixti alicuius similaris vel dissimilaris. Atque hæc efficacia in ijs animalibus maxime elucet, quæ ex specierum diversarum commixtione oriuntur. Deinde ingreditur semen maris fœtus constitutionem, impressiuum motus principium à quo auctore Aristotele *2. de gen. anim. cap. 18.* anima sensitiua per quam animal, sed producto fœtu non euanescit, licet plasticam vim non exerat, verum vtilissima eius pars in spiritus dissoluta materiæ embrionis commiscetur, omnibusque fœtus partibus innascitur, reliquum præter id quod vi caloris in auras euanescit, cum fœmineo semine alijs vsibus destinatur, & partium constitutionem ingreditur; sed magis virtute quam mole.

9 Conceptus † ergo fit (vt testatur Aristoteles *10. de histor. animal. cap. 7. & 9. & libro 2. de gen. animal. cap. 4.* (quando vtrumque semen prolificum maris & fœminæ in vnum locum emissum mixtumque in vterum attrahitur, retinetur & fouetur: cui quidem causam efficientem præbet semen virile: materiam autem & causam sine qua non fœmineum; quamuis idem etiam in compositione & formatione partium aliquid iuuet, & huius quoque aliquam rationem maris semen habeat. Præstantissimam autem esse causam efficientem cum in omni opere, tũ maxime in generatione hominis, nemo mihi nega-

negauerit facile ſcio. Quare & præcipuum & longe dignius eſſe viri in generatione hominis quam fœminæ officium, contra Iuſtinianum concludo.

CAPVT VIII.

Sexto marem hominem natura perfectum & integrum, fœminam autem hominem imperfectum ſeu marem mutilatum tantũ eſſe ea ratione oſtẽditur, quod videlicet ſemper natura ad opus perfectũ, veluti maſculum, in generatione tendat, idque exemplis quibus fœminæ in mares quandoque mutatæ ſunt, declaratur.

SVMMARIA.

1 *Natura ſemper ad meliora & perfectiora tendit.*
2 *Fœmina non naſcitur, niſi quando naturæ facultates ad generãdum maſculum deficiunt.*
3 *Fœmina mas eſt imperfectus & mutilatus.*
4 *Contingit interdum fœminas in mares mutari.*
5 *Qua ratione & quomodo fiat fœminas in mares mutari.*
6 *Exempla fœminarum, quæ mutatæ ſunt in viros.*
7 *Maſculi in fœminas nunquam, neque natura mutari poſſunt.*
8 *Quomodo & qua ratione hermaphroditi fiant.*

POrro conſtat, & quoque ſecundum naturalium rerum indagatores ſolertiſſimos. (Ariſto. *8 de hiſt. anim c. 2. & lib. 2. de generat. animal. c. 3. 4. & alibi.* Galen. *lib. de vtil. part. 14. c. 6. & lib. 2. de ſemine* Plin. *lib. 7. nat. hiſtor. ca. 4.* quos ex noſtris præcipue refert Tiraquellus *in d. l. connub. 9. nu. 99.*) expeditum eſt; Naturam omnium veluti rerum parentem atque altricem ſemper ad meliora perfectioraque niti.

Cæterum † in generatione hominis quandocũque natura hoſce 1
ſuos conatus perfecte & plene aſſequitur, gignentibus ſcilicet ſufficientes ad tam perfectum opus producendum facultates ſuppeditãtibus: tum marem progignit hominem, in ſuo genere ſcilicet homi-

nis perfectum. Vnde è contrario vbi fœmina nascitur, ibi natura (de-
2 ficientibus scilicet gignentium facultatibus.) manca atque minus vegeta optimum perfectumque fœtum, marem scilicet producere non potuit; quẽ haud dubie protulisset, si perfecta ea atque in integra fuisset: fœminam ergo tum hominem minus perfectum seu ma-
3 rem mutilatum & ocasionatum (vt Aristot. eum vocat, et refert Benedict. *in c. Raynuntius. verb. duas habens filias n. 124. ex. de testamen.*) produci longe indigniorem perfecto intelligis.

Atque † hanc perpetuam naturæ inclinationem in generatione animalis, ad generandum præcipue masculum fœtum tanquam di-
4 gniorem, comprobat id, quod contingit interdum fœminas in mares mutari; nunquam vero viri mutentur in fœminas: repugnante scilicet natura, quæ semper expetit dignius & indigniori resistit.

Nam quod dicituur fœminas quandoque mutari in mares, id sane (crede mihi) fabulosum non est, sed verissimum rationibus satis firmis & exemplis multis à fide dignis scriptoribus relatis, subnixum.

5 Est † enim clarissima & vera Hyppocratis & Galeni sententia, habere etiam mulieres suos testiculos & genitalia, æque atque viros, atque ob id non minus etiam quam viros castrari posse: quemadmodum eas in Lydia castrari affirmat Alciat. *in l. spadonum, ff. de verb. signif. & lib. 4. antiq lect. cap. 10. & lib. 20. cap. 14.* Et certe si fœmina testes non haberet, nec coitum illa (ex Galeni sententia *lib. 2. de sem.*) appeteret: quod vel porcarum exemplo probari potest, quæ castratæ, venereum congressum negligunt. Eodem ergo modo genitalia membra in fœminis gignuntur atque in maribus, quamuis in maribus propter caliditatem expellautur; in fœminis vero propter frigiditatem intus retineantur.

In fœminarum autem genitalibus quædam particula reperitur, quæ materia, ligamentis, neruis, venis, arterijs, musculis, præputio & glande virili priapo respondet, à recentioribus Anatomistis obseruata, & ab antiquis bene cognita, cum Auicenna eam sub nomine Albatharæ descripserit, quam Græci, Myrton, & Latini Nympham, appellarunt; hinc Poetarum Nymphæ, quas Salaces Satyros per vmbrosa nemora insequi & in abditis recessibus inuestigare cecinerunt.

Hæc

Hæc mollis carnis particula à quibuſdam fœminis in progreſſu temporis valde incaleſcentibus foris expellitur, & maxime initio menſtruæ purgationis, aut primo concubitu, cum feruet opus, & virtus magis incaleſcit, tunc enim ex idoneo & prædiſpoſito ſubiecto priapus omnibus numeris abſolutus in lucem prodit, & propter menſtruorum ſuppreſſionem & virilis ſexus ſucceſſionem corpus etiam robuſtius & hirſutius redditur: Et hoc modo fœminæ in mares verti dicuntur: quemadmodum & plures ita conuerſas legimus.

Hyppocrates † ſcribit, Phætuſam Pythæi vxorem in marem fuiſſe conuerſam, barbam, hirſutum corpus & vocem aſperam habuiſſe: idemque Namyſiæ Georgippi vxori in Thaſo accidiſſe, Plinius *lib.7.nat.hiſtor.cap.4.* inquit, Licinio Craſſo & Caio Caſſio Longino Coſſ. ex virgine puerum effectum Caſſinum appellatum, quod etiam confirmat Gellius *libro 9.Noct. Attic. cap.4.* Liuius *libro 4. ſecundi belli Punici* Qu. Fabio Maximo & M. Claudio Marcello Coſſ. ait: Spoleti virum ex muliere factum fuiſſe. Licinus Murianus prodit, Argis vidiſſe Areſcuſam mulierem maſculum Ariſcontem appellatum euaſiſſe, barbam emiſiſſe, ac vxorem duxiſſe. Et Smyrnæ ſimilem puerum agnouiſſe. Et in Africa nuptiarum die Lucium Coſſorium, ciuem Tisdritanum ex fœmina in marem fuiſſe verſum. Amatus Luſitanus medicus *cenſura 2. curatione 39.* ſcribit: in Luſitania in oppido Eſueica Martam Pacchecam primorum menſtruorum loco priapum emiſiſſe, & ſic in marem verſam, virilem togam ſumpſiſſe, Emanuelem appellatum, qui ad Indos profectus, poſtea diues & clarus in patriam reuerſus vxorem duxit. Baptiſta Fulgoſius in libro rerum memorabilium ſcribit, Neapoli Ferdinandi Regis tempore Ludouicum Guernam ciuem Salernitanum quinque habuiſſe filias, quarum primas Franciſcam & Carolam, cum ad decimum quintum annum perueniſſent, virilia emiſiſſe, vnde mutato habitu Franciſcum & Carolum fuiſſe appellatos, & pro maribus tractatos.

Et idem Fulgoſius dicit: ſub eodem Rege puellam prima nocte, qua cum viro ſuo concubuit, genitalia membra protuliſſe, domumque reuerſam in iudicio dotem ſuam repetijſſe, & exinde marem fuiſſe habitam.

Sic Anno 1469. mulier quædam Æmylia nomine, nupſit cui-

dam Ebulano ciui,& post 12. annos matrimonij mutata est in virum, & deinceps Æmylius dicta fuit,& viris conuersata, artes viriles exercuit; vxoremq; propriam restituta dote, iussu Ferdinandi Siciliarum Regis duxit, vt referunt Palmerius & post eum Georg. Nigrinus in inquisitione & aureo vellere Ecclesiæ Pontificalis Romanæ, sub Papa Alexandro *6. lib. 6.* & nouissime Dn. Iohan. Wolfius P.M. adfinis meus, in lectionum suarum memorabilium & reconditarum centenario 15. sub d. anno 1496. Et de alijs fœminis in mares hoc modo conuersis scribit etiam Marcellus Donat. li. 6. de medica historia mirabili: vt testatur Io. Benedict. *in tract. de fur. §. animo lucrandi, n. 207.*

7 Contra autem homines in fœminas verti, vt Ausonius Poeta, cuidam puero Beneuenti accidisse scribit, & Cœnidi à Neptuno in marem, moxque in fœminam mutatæ. Virg. *6. Æneid.*

It Comes & iuuenis quondam, nunc fœmina Caneus
Rursus & in veterem fato reuoluta figuram.

hæc sunt Poetarum figmenta & vigilantium somnia, contra Philosophorum ac medicorum præcepta: cum natura moueatur versus dignius, non indignius: expellat, non reprimat: addat non demat, vt idem Bonifac: d. loco tradit.

8 Quando autem (vt hoc quoque addam) ob caloris defectum, nō adeo à fœminis genitalia expelluntur, vt absolute mares dici possint; sed vtriusque sexus videantur, vbi tum hermaphroditi appellantur, in quibus si virilia præualent, viri: si muliebria, mulieres censentur, *l. quaritur, ff. de statu hom.*

Quantum ergo sexus virilis muliebrē excellat, denuo ex hac quoque naturæ ad generandum masculum tanquam nobilius, propensione relucet.

CAPVT IX.

Demum ex præcedentibus sex rationibus infertur, natura digniorem & superiorem esse fœmina marē: proinde lubens viro fœmina cedat, cum in successionibus, tum in Imperio admonetur.

SVMMARIA.

1 *Vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ.*

2 Vir

2 *Vir deserat patrem & matrem & adhæreat vxori, eamq́3 diligat tanquam seipsum.*
3 *Mulier obediens viro gratiosa.*
4 *Mulier per filiorum generationem fit hæres regni cœlestis.*

VAna est igitur atque inanis omnis tua gloria fœmina, quæ te etiam supra virum adeo fastidiose ipsamet extollis: quocirca recollige mentem, cessa insanire diutius, agnosce creatorem tuum, creaturam tuam cognosce: præstantioris atq; dignioris (maris scilicet) æquo fer animo imperium, cui vt pareres, te natura debiliorem fecit, vt esses subdita, illi te Deus coniunxit. Adiutorium † 1
hominis fidele te præsta; seruire ne detrectare cuius ancilla effecta es submitte te viro sicut hero, quia caput tuum est: similiter atq; Christus caput est Ecclesiæ: Nam quemadmodum Christo subiecta est Ecclesia, sic tu quoque subiecta es viro in omnibus. *Ephes.6.1. Corinth.11.Colos.3.1. Pet.3.* Sic tandem ad sacra, tu quoque iuste prouocabis elogia, vt & tuum tibi a viro præstetur debitum postulabis: deserat † nimirum patrem tuum atque matrem suam, tibi vero adhæ- 2
reat. *Gen.2.Matth.10.* diligat te tanquam corpus suum, honoret, nutriat atque foueat. *Ephes 5 1.Pet.3.*

Sic † denique veram virtutis laudem mereberis & gratiosa ma- 3
gnam inuenies gloriam. *Prouerb.11.* Inimica † superbiæ euitabis con- 4
tumeliam & humili spiritu eris sapiens. Sic perseuerans in fide & dilectione, in obedientia & sanctificatione permanens cum sobrietate relictis his corruptibilibus & transitorijs hæreditatibus, in hæreditate cœlesti & æterna æqualiter cum fratribus tuis in Christo per filiorum generationem succedes. *1.Timoth.2.1.Pet.3.*

CAPVT X.

Porro probato maris præcipuo in generatione homiuis officio, ad diluendam inæqualitatis prætensam iniquitatem secundo infertur, quod si æquum sit, æquo vtrumque sexum iure in successionibus potiri, quia vterq; simili in generatione hominis officio fungi videtur (qua Imp. Iustiniani super d.c.

 3.in

3. in acie muliebri relata ratio est) vtiq; nec iniquũ esse, si mulier viro in hoc opere ancilletur tantum, potiori virum in successionibus iure gaudere. Deinde vero partus periculum mulieris momentaneum, oppositis viri laboribus & periculis continuis atq; maximis obliteratur.

SVMMARIA.

1 *Non improbat Imperator Iustinianus, magis eum in successionibus honorari, qui dignius in generatione hominis officium præstat.*

2 *Præcipuum mulieris munus est concipere, & conceptum tueri.*

3 *Maiora & plura sunt viri pericula, quam momentaneum partus periculum.*

HOc vt assequi tibi per auaram naturam tuam (quam infra demonstrabo) sit possibilius; mihi vero abs te impetrare facilius: restat nunc, vt etiam vna atque altera ratione demonstrem, quare propter hanc sexus tui tam abiectam opinionem naturæ & ex Creatoris tui, sapientum spiritu & natura productam, in huius mundi successionibus te cedere viris æquum omnino videatur. Quæ quidem rationes longe mihi petendæ non sunt; nam tuus Iustinianus ipse has mihi suppeditat. In d. l. maximum vitium, & similibus iuribus allegatis, fatetur; atq; ita probat, iniquum esse dispari, & quidem deteriori iure fœminas quam mares in successionibus potiri, quod videlicet vtraq; persona & mas & fœmina simili naturæ officio in generatione hominis fungatur.

1 Probat ergo † Iustinianus, in tanto negocio & in generis humani societate conseruenda maximo (quippe quo ipsa humana soboles propagatur) munus & officium æque dignum, æquali etiam successionum iure non immerito honorari, quod si ergo alterutrius siue maris siue fœminæ dignus & præstantius fuerit, etiam eum iure
2 magis honorari non opinor improbat. Atqui modo conuicta es mulier, esse te solum vasculum naturæ, in quo pater filios generet, tu concipias, & conceptos tuearis, ex quo etiam hoc præcipuum munus, videlicet concipere & conceptum tueri, tibi in legibus ciuili-

bus

bus adſcribitur, *l. quæritur 14. §. 1. ff. de ædil. edict. l. ambiguitatis, verſ.* cum enim mulieres natura ad hoc progenuerit, vt partus edant, *C de edict. viduit. &c.* quod etiam Claudian. *lib. 1. in Etrop.* exprimit, quando ait:

Naſcitur ad fructum mulier prolemq; futuram. 3

Neq; eſt quod hic momentaneum puerperij in periculũ tantum exagites; longe enim hoc vincunt, quæ te domi cum liberis alendi cauſa vir foris multa, maxima eaque continua ſubire incommoda atque pericula cogitur.

Nunquam a labore reclinat ocium
Vrget diem nox, & dies noctem: neq; eſt,
Leuare tanta ſpiritu præcordia.

vt inquit Horatius.

Denuo itaque tibimet ipſi contrariaris, quando vel propter præſtantiam officij tui in generatione, vel propter puerperij periculum legiſlatorem culpare præſumis quod non vel meliorem tuam quam maſculorum, vel ſaltem non inęqualem in ſucceſſionibus conditionem effecerit. Nam ſi tu te propter officium tuum aliquo dignam honore putes, ſolum quod vaſculum generandi viro tua cum voluptate ſuppeditas, paterisque in te generandi vires exerere atque effundere, vel etiam parum ipſam generationem iuuas ad quod natura creata es, nec alias creata eſſes, quanto maiori dicam honore dignum ipſum virum, qui nobiliſſimus agens eſt, & princeps in generatione.

Quia igitur tam vrges in generatioee hominis prętantioris officij præmium; eo libentius ſpero hoc viro concedes, primo quidem quia & ipſe Iuſtinianus tuus anteſignanus idem ſentire videtur, vt ſi æquale ſit maris & fœminę munus in generatione hominis, etiam in ſucceſſionibus æqualiter, ſin inæquale, inæqualiter honorentur.

CAPVT XI.

Tertio ſine iuſta inæqualitatis reprehẽſione maſculos in ſucceſſionibus præferri cõſtat, quia ſe, minora minus, veluti fœminis, maiora magis, veluti viris, de Repub. meritis,

ritis, siue vt Augustinus dicit, maioribus & minora minoribus debentur. Vnde tum idem fœminis in masculorum, quod masculis in fœminarum hæreditatibus ius nõ dari, talionis legi, vt Iustin. sup. in acie muliebri, c. 4. voluit, contrarium non esse, imo ab ea recedere publicam necessitatem suadere demonstratur.

SVMMARIA.

1 *Maiora maioribus, minora minoribus Deus donat.*

2 *Lex talionis qualis.*

3 *Differentias sexus legi talionis non contrarias esse, probatur.*

4 *Mulier summam voluptatem a viro accipit.*

5 *Vir, mulierem ab æterna ira Dei, simulq; cum illa ac per illam omnes homines ac fœminas in eam delapsos, delapsasq; liberauit.*

6 *Mulierum ingratitudo erga viros.*

7 *Mulier tanta ab homine accepit beneficia, quanta post Deum a nemine.*

8 *Sunt ad magnas possessiones regendas ratione mulieres insufficientes.*

9 *Differentiæ sexus in successionibus non magis sunt contra talionis legem, quam in alijs iuris articulis, in quibus vel masculorum, vel fœminarum deterior est conditio.*

10 *Publica vtilitas omnem legem etiam talionis restringit.*

1 SEcundo vero propter venerandam Diui Augustini authoritatem qui maiora maioribus, minora minoribus deberi, eius exemplo confirmat, qui solus congruentem suis temporibus generi humano nouit impartiri medicinam, & dat atque donat minora minoribus, & maiora maioribus Homil. *sub c. 5. Matth.*

Quod etiam sequuntur canones in distribuendis portionibus, in quibus similiter maiores minoribus potiores haberi Pontifices volunt, *c. statuimus de maior. & obed. c. fi. de constit. f. tex. in c. consuluit 7. dist. 74. cap. multa ad finem ex de praben. c. pen. 1. q. 2. qua de re tradit plura*, Felin. *in rub. de maior. & obed. vol. 3.* & Domin. *in c. 1. dist. 1.* & quædam Vasquius *in præfat. illustr. controuers. n. 18. vbi vide.*

Atque

Atq; hanc eandem causam non minimam esse existimo, propter quam legislatores hic a talionis lege recedere, nec idem ius in successionibus masculorum fœminis, quam in fœminarum masculis (quod valde iniquum Iustiniano videbatur) tribuere, sed sexus differentias in successionibus præcipue inducere, licere sibi præsumpserint. Nam lex talionis hoc tantum caput habet: [vt præstare alijs 2
idem, tibi quod fieri velis:] sis iustus erga iustum, gratus erga gratum & benemeritum.

Erga mulierem vero, quæ ex omnibus creaturis iustior, æquior, gratior viris, de muliere quis melius magisue meritus quam vir est? Aliud † certe non vllum animal ne proprij quidem generis mulier; 3
ac nec mulierē ipsam huic præponere potes, ac etsi virum de te optime meritum profiteri inuidia quodammodo cohibere velit, veritas tamen hoc tibi extorquet.

A quo † enim summam voluptatem percipis, vir est: qui iucun- 4
dissimam tibi sobolem dat, vir est: qui te maxime honorat, amat, diligit, defendit, regit, nutrit, fouet & alit, estq; pro te magis quam pro seipso solicitus, vir est. Quin etiam cuius gratia & ex cuius occasione excogitata, homini similis & homo formata, viuificata, ratione prædita, mulierq; facta es, vir est. Amplius † qui te e sinu gratię Dei 5
in iram æternam delapsam, simulque tecum ac per te delapsum omne genus humanum & fœmineum, denuo erexit atque incolumitati æternæ restituit, ille quoque (sed sine peccato) homo & vir est. In summa tanta sunt generis humani sexus virilis erga muliebre genus benemerita, quanta omnes omnibus exhaustis suis viribus æquiparare mulieres nunquam possunt.

Et † tamen omnium horum immemores tam ingratæ, tam impu- 6
dentes sunt erga viros, siue mares, vt quam propter illa omnia legislator his prærogatiuam tanquam dignioribus in ciuili societate indulserit, hanc ipsis inuideant. Estne hoc talionis legem obseruare mulier; cuius tu summam æquitatem tam vehementer vrges? Ita ne collata in te beneficia recompensas friuola, vt etiam quem ipsa natura te perfectiorem, maiorem atque digniorem ediderit, conditionis melioris in omnibus quam te effecerit, ac proinde naturæ æmulatione legislator etiam in ciuilibus, præsertim successionum causis potiori dignandum iure existimauerit; hoc tu illi resistens & contraueniens naturę eripere cupias, & tamen de naturæ lege (quam ta-

lionis vocant) tam friuole gloriari, & te quidem illius strenuam sectatricem, eandem dum insectaris iactare, eam vero qui solicite admodum imitantur, veluti eiusdem contemptores redarguere audeas?

7 Magna † est certe impudentia & admirabilis audacia tua; Benefacta beneficiis remuneranda sunt, hoc talionis caput, ipsa fateris: tu vero quamuis ab homine mare per hominem marem, & propter hominem marem tanta acceperis beneficia, quanta post Deum in rerum natura a nemine, tamen adeo ipsum marem inuidia, tanto liuore insequeris, vt non tantum, quatenus cum natura te potiorem atque digniorem fecit, hoc te pungat in oculis, in animo stimulet, imo de præeminentia sua per naturam præcipitari eundem posse si crederes, etiam hoc non segniter tentares; verum etiam in eo iure, quod in successionibus præcipuum ipsi propter maiorem sexus dignitatem naturalis ratio addicit, propter præcipua quæ pro communi salute munia & onera subit, ipsa æquitas attribuit, & hanc vtramque secutus legislator illi confirmauit, tu perturbes.

8 Magnas † insuper possessiones auara nimis expetis; quas tamen ratio tua non capere, non regere tui sexus imbecillitas potest, non permittit publica salus amplissimas eas possidere: quæ vel sola quoque satis homini seu legislatori causæ est, vt iure & sine vllius reprehensione possit a d. talionis lege desciscere: quemadmodum ob eandem
9 dem sæpius leges nostras deficere videmus. Si vero iniquum est, publicam salutem, tuo priuato commodo præferri mulier: eodem † iure tunc redde nobis beneficium S. C. Velleiani, restitue priuilegia dotis, & in integrum restitutionis, omnesque alias meliores quam virorum conditiones publicæ salutis causa tibi indultas, & deteriores remittemus.

Quam vero id tibi cum per proprium, tum etiam commune Reipublicæ bonum, integrum non est, tam est impossibile tibi iuris vllius siue talionis siue alicuius cuiuscunque legis aut æquitatis prætextu e successionum prærogatiuis mares expellere.

10 Adeo † nimirum omnem legem etiam talionis publica vtilitas, quatenus ei aduersatur, restringit. Publica igitur vtilitas, publica necessitas, cui ipsa naturalis subuenit æquitas differentias sexus in successionibus introduxit.

At

At forsitan audire expectas tandem, ac vt proferam instas, quæ nam, qualis & quanta ista reipublicæ necessitas atque vtilitas sit, in quam dictarum differentiarum fundamentum iam sæpius reiecerim? Denuo eam tibi multiplicem promitto: sed explicare commode non possum, quam prius tui, hoc est muliebris sexus naturam, qualitates, affectiones, corporis & animi vires, vel dirum ipsius virus penitus disquisierim; & ex ipsis naturæ visceribus aliter te, quàm tu de te ipsa satis magnifice sentis, edocuerim. De his itaque proxime dicendum est.

CAPVT XII.

Quarto ne quis etiā ex æquali vtriusq; sexus prętensa naturali conditione atque dignitate, ciuili in successionibus inæqualitati aliquam obtrudere iniquitatem valeat, deinceps vtriusque sexus corporis & animi dotes, cuiusque item virtutes & vitia opponuntur, & in quibus vere sit alterius conditio natura melior vel deterior dispicitur.

Hoc vero capite tantum qui pulchritudine, alterum præcellat? & quidem maiori virilem cum dignitate, muliebrem autem maiori cum venustate coniunctam esse ostenditūr.

SVMMARIA.

1 *Mulieres credentes ad cœlos mitti.*

2 *Mulieres non medias numero dotes, quas viri; ac ne unicam quidem virorum minime comparandam habent.*

3 *Mulieres in genere quales.*

4 *Precipuum mulieris est naturæ donum in corpore pulchritudo.*

 5 Ma-

5 *Maior in mulieribus pulchritudo videtur, at non est.*
6 *Pulchras viderunt hominum filias, etiam filij Israel.*
7 *Pulchritudo quale donum.*
8 *Minimum ex omnibus.*
9 *Vanum est.*
10 *Plus nocet quam prodest.*
11 *Quare Deus formosiores plerasq; effecerit fœminas.*
12 *Mares pulchriores fœminis: fœminæ autem pulchriores maribus videntur.*
13 *Viri pulchritudinis dignitate & præstantia præcellunt fœminas.*
14 *Exempla.*

1 ET primo † quidem animam mulieris credentem licet solam in prævaricatione seductam, si perseuerauerit in fide, dilectione & sanctificatione cum sobrietate, per filiorum generationem cum D. Paulo *1. Thim.* 2. ad cœlos mitto, eamque animæ virilis pariter credentes cœlestium bonorum cohæredem cum D. Petro 1.3. renuncio.

2 Cæterum † omnes ipsius corporis & animi loculos exquirens non medias numero dotes ac virtutes, ac ne vnicam quidem quæ
3 cum minima viri comparari possit inuenio. Ac † in vniuersum atq; omnes in genere mulieres alias dicere non possum, quam corpore quidem deformes, putidas, venenosas, fastidiosas, molles, imbecilles, debiles, contemptibiles: animo vero indiscretas, stultas, elatas, insolentes, superbas, fragiles, leues, lubricas, fallaces, perfidas, impudentes, lasciuas, luxuriosas, inertes, pigras, loquaculas, garrulas, audaciusculas, timidas, auaras, prodigas, inuidas, abominabiles, atq; ad omne scelus procliues, ad quamcunque virtutem desides atque ineptas: sicque vulgari opinione, mulierem quasi ex omni vitiorum putredine conflatam massam sine sexus iniuria aliquis dixerit, vt Tyraquellus scribit.

4 Primum † autem in corpore naturæ donum in quo fœminæ ad modum sese efferunt, quodque fere præcipuum habent, maximeque in ijs resplendet, est plerunque excellens corporis pulchritudo, venustas & partium conuentio; splendidior vultus, liberalior facies, concinna statura, aptior figura membrorum, cum quodam coloris suauitate, adeoque omnium partium corporis maior adornata cum lepore in fœminis, quam in viris consonantia.

Est

Est quidem ita (vt verum fatear, nec si quam habent etiam fœminæ laudem hanc eis iniuria præripiam) esse aliquam in fœminis formæ elegantiam, sermonis, gestuum, morumque quandam festiuita- 5
tem atque comitatem, eamque in his pręcipuam nec æqualem in viris videri, autem, inquam, non esse.

Easdem † pulchras etiam viderunt filij Israel, atque idcirco earum 6
consuetudinem amicabilem expetiuerunt & delegerunt ex eis vxores sibi quas voluerunt. *Gen. 12.* & formosiores has quam mares, sed hos robustiores scripsit Xenephon *in Oecom:*

Verum est hæc eiusmodi † naturæ dos, quæ forte minima ex o- 7
mnibus æstimanda, adeoque in minima naturæ dote plurimum fortasse fœmina excellit. Nam † vana est pulchritudo dicit sapiens, *Pro-* 8
uerb. 31. At omnis † nihili ducenda vanitas: ergo merito etiam nihili 9
ipsam pulchritudinem; hanc vero magnifacientes vanissimos dixeris, quare nihil in pulchritudine confidendum, quæ paruo aliquo morbo insurgente euanescit. Currunt dies, velociter transit iuuentus, & tu quoque transis, si non ad senectutem, tamen ad mortem.

Deinde tale † donum est pulchritudo, quod generi humano vix 10
est vt tantum prosit, quantum nocet; magis quam ignis adurit; ignis in propinquo tãtum, pulchritudo etiam in longinquo nocet. Et sub hac depicta & marcescibili figura, lasciui simul atque nociui illius amoris mater terrena Venus abscondita latet, quæ animum excæcat, à recta ratione ingenium flectit, ingrossat, imo plane memoria priuat, temere facultates dissipat; corporis vires eneruat; cum castitate fidem, famam honestatemque omnem in periculum adducit. Iuuẽtutis hostis, Ilias senectutis, omnium vitiorum mater. Nam vt inquit Poeta:

iter nunquam ingreditur honoris,
Lasciua addictus qui nimis est Veneri.

Seducit eadem à via virtutis eximia forma, exsurgunt ex ea tentationes, ex tentationibus pericula, ex periculis dedecus & infamia. Nõ est itaque muliebris pulchritudo tale donum, quod Reipublicę singularem aliquam vtilitatem afferat, aut propter quod fœminæ viris nobiliores atque digniores sint prædicandæ: Sed † pulchras Deus 11
præcipue creauit fœminas, vt earum amore homines ad sui generis procreationem & propagationem incitaret, quemadmodum filios Israel incitatos modo diximus. Aut forte (quod non minus verum

videtur) ita natura comparatum est, vt in omni animantium genere
12 mares quidem fœminis, fœminę autem viris pulchriores videantur: idque propter naturalem vtriusq; sexus mutuum amorem. Nam videmus æque fœminas in viris, atq; viros in fœminis delectum aliquē habere, alius magis quam alius amorem expetere. Vnde ne viris quidem suam deesse pulchritudinis laudem, quam maxime fœminę cōmendant, constat: Estque vtrique sexui sua peculiaris pulchritudinis species, quæ se inuicem respiciunt. Vtrius vero maris an fœminæ hic præferemus? vtique illam opinor potiorem censebis in qua maior dignitas inest: illa vero est maris. Nam vt eleganter Cicero in officijs scribit: pulchritudinis duo genera sunt, quorum in altero venustas est, in altero dignitas; venustatem muliebrem dicere debemus; di-
13 gnitatem virilem. Et igitur ipsa pulchritudinis dignitate quoque vir præcellit mulierem.

14 Atque eiusmodi formæ dignitas fuit in Dauide, Salomone *1. Reg. 9.* talis etiam fuit in Absolom, sed ei capilli fuerunt instrumēta mortis, *2. Reg. 18.* Ita quoq; Hercules & Achilles, Theseus, Hector, Vlysses, Agamemnon, Æneas, Paterculus ac cæteri robustissimi quiq; ab Homero, Virgilio alijsque antiquis scriptoribus formę dignitate insigniti sunt. Quare etiam hac parte cadit inani sua pulcritudinis gloria mulier, ac vincitur à viro digniori suæ formæ decore, & suæ pulchritudinis dignitate superant Dauides, Salomones, Hectores, Hercules & cæteri similes fortes simul atque formosi Heroes Lucretias, Saras, Susannas, aliasque venustate tantum sine dignitate celebres virgines atque matronas.

CAPVT XIII.

De cæteris muliebris sexus dotibus, quę scilicet peculiares illi naturæ maiori cū damno quam bono, & maiori cum contemptu quā laude, tribuuntur. Insuper corporis robore viros lōge fœminas supprimere traducitur.

SVMMARIA.

1 *Extenuantur reliquæ veluti peculiares mulierum dotes supra ipsis adscriptæ.*

2 Cor-

2 *Corporis robore præstantior vir est.*
3 *Margaretham Austriacorum & Burgundionum Ducissam, adulatorium libellum de præstantia & nobilitate sexus muliebris offerenti auctori, ad exemplum Macedonum Regis quid respondere decuisset.*
4 *Issedonum mulieres æque fortes atque viros esse Herodotus scribit.*
5 *In vniuersum omne genus muliebre infirmius est masculo.*
6 *Testimonia sacra.*
7 *Vir à virtute, mulier à mollitie.*
8 *Testimonia Philosophorum.*
9 *Testimonia Iurisconsultorum & Imperatorum.*
10 *Cum vtriusque sexus gemelli nascuntur, in dubio masculus tanquã robustior prior editus censetur.*
11 *Cum mas & fœmina eodem casu intereunt, vir vt robustior diutius viuere præsumitur.*
12 *Mulier eiusdem criminis cum viro rea, tanquam imbecillior prior torquenda.*
13 *Propter naturalem fragilitatem mulieres à feudorum successione arcentur, quia non possunt seruire.*
14 *Mulieribus quarum rerum conueniens tractatio, iuxta Ouid.*
15 *Virgilius.*
16 *Homerus.*
17 *Mars quare dictus à mare.*
18 *Maior est quem omnes maiorem existimant.*
19 *Maiorem omnes in omnibus rebus iudicant, qui viribus & potentia præualet.*
20 *Concluditur in omnibus potiores habendos esse viros.*

AD alias peculiares mulieris naturæ dotes quod attinet, nullæ earum tantæ sunt, vt singularem aliquam laudem sexui afferre possint.

Præterea † quædam ex ijs admodũ raræ sunt, nonnullæ valde suspectæ, aliæ vitio magis & contaminationi sexui vertendæ, quã laudi videntur: cuiusmodi sunt impurissimæ atque venenosæ illę emissiones menstruæ; nimium putidæ fastidiosæ, quam vt per eas tam impurum sexum ac æque prope humi ac sublimem putrescentem, laudare conueniat. 1

Porro

Porro ſexui fœmineo etiam corporis quoddam robur idque virili non inęquale homo quidam inſigniter animo muliebris (cuius ſupra mentionem fecimus,) tribuere non erubuit. Sed aperte adulantem nemo non videt, niſi admodum ſit excors. Marem enim corpo-
2 ris † præcipue viribus & membrorum fortitudine longiſſime fœminam ſuperare, tam clarũ eſt, vt de eo ſi quis forte dubitet, illi necesse ſit, tam obfuſcatos eſſe mentis oculos, quam corporis obfuſcati ſunt ei, cui in meridiano Sole ipſam conſiſtentem fœminam vide-
3 re eſt impoſſibile. Si † ergo Euripidis Iphigenia fuiſſet, cui ille ſuum de nobilitate & præſtantia ſexus fœminei opuſculum obtulit, recte illi adulatoriũ libellum ſuum exprobaſſet, repetens illud, quod modo etiam allegauimus.

Præſtat vnicus vir, eſtque lucis huius munere
Dignior, quam multa ſane fœminarum millia.

Quemadmodum Antigonus Macedonum Rex Philoſopho cuidam librum de iuſtitia offerenti eum tanquam adulatorium exprobauit, porrigenti ei, reſpondens: Fruſtra cum eo de iuſtitia diſſeris, quem ciuitates bello infeſtare vides Innuens reſponſo, nolle ſe tyrannidem ſuam mentita virtutis ſpecie protegi, vt Plutarchus *in Apophteg.* refert.

4 Vnam † omnium gentium eſſe, Iſſedones ſcilicet, quibus fœminæ peręque fortes ſint atque viri, Herodotus in Melpomene ſcribit. At in vniuerſum omne genus muliebre infirmius ac imbecillius eſſe maſculo, niſi aut muliebris gratiæ aucupium cum cæteris hominib. Iuſtinianeis ad iniquum iudicium te eliciat; aut blanditijs mulierum iam delinitus atq; corruptus, ad voluptatem magis quam veritatem loqui tibi arrideat; aut denique ineptus refractoriolus ſis, non potes inficias ire, ac nimirum aliter ſentire, quam vox Dei & ſanctorum in-
5 tonat, quam naturales Philoſophorum hiſtoriæ habent, quam Iuriſprudentum reſponſa atque Imperatorum reſcripta edocent, quam denique experientia rerum magiſtra probat, res ipſa loquitur, & cõmuni receptum eſt ſuffragio.

6 Moyſes Propheta *Deut. 28.* Tenera, inquit, mulier, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem in vno tantum loco, D. Pet. *1. 3* fragile vaſculum vocauit mulierem, Dominus ipſe adiutorium hominis creauit & appellauit, quin etiam hominis imperio tanquam infirmiorem, ſubiecit eam. *Gen. 1. & 2.*

& 2. Quid quod ab ipsis viribus ac virtute masculei sexus homo viri nomen habet, à mollitie vero mulier dicta est. Varro, Lactantius & Alciat. *in l. mulieris 13 pr. n. 2. ff. de verb. sign.* quod fallere non potest, plerumque enim ex seipsa res quæque nomen accipit, §. *tutores autem, Instit. de tutelis, cum similib.*

Addam † tamen in hoc conflictu etiam vota Philosophorum. 8 Plato *lib. 5. de Republic.* scribit: Omnium quidem munerum natura particeps est fœmina, omnium etiam vir; in omnibus autem imbecillior viro fœmina. Arist. *lib. 4. de generat. animal. cap. 6.* fœminas sua natura debiliores esse quam mares, ait. Plinius *lib. 11. histor. nat. c. 49.* & Ælianus *in lib. de histor. animal.* conueniunt, ac generaliter in omni genere animantium fortiores & animosiores esse fœminas quã masculos arbitrantur. Atque hinc citius etiam crescere, pubescere ac senescere fœminas scribit Albertus *lib. 12. de animal. ca. vlt. ad fin.* Et plura similia in hanc rem passim ex Philosophorum scriptis excerpsit & consignauit noster Tiraquellus *in d. l. 1. connub. n. 55. & seq.* Nobis in re clara properare ad alia magis videtur expedire.

Nunc † ad eandem probandam sententiam & masculei roboris 9 pręstantiã confirmandam turmatim insurgunt etiam in suis responsis, votis, notis & constitutionibus Iurisconsulti & Imperatores Roni. Tantam sexus muliebris fragilitatem, hi quoque, tam in corpore quam in animo statuerunt, vt propter hanc in plerisque negotijs nõ cõgruentem mulieris humeris curarum laborumque sarcinam existimarint, ita Vlpianus *in l. 2. de reg. iur.* Gaius *in l. tutela, 16. pr. de tute.* Impp. Diocletianus & Maximianus *in l. alienam, 18. Cod. de procurat.* Imper. Alexander *in l. 1. C. quando mul. tut. &c.* & ex nostris præcipue Bald. *in l. vlt. nu. 7. C. de suis & legit.* Dec. & Cagnol. *in d. l. 2. n. 3. & 8. ff. de reg. iur.* alijque plures & præsertim Feudistæ *in §. hoc autem notandum, c. vn. de his qui feud. dare poss. in vsib. feud.*

Atque † hinc cum non vnius sexus gemelli, masculus scilicet & 10 fœmella simul nascuntur, in dubio primo masculus tanquam robustior natus præsumitur, *arg. l. si fuerit. 10. in fin. ff. de rebus dub. vbi tradunt* Bart. Socin. & Castr. & idem Bart. *in l. si extraneus, n. 3. ff. de condict. caus. dat. cau. non sec.* Guido Papa *in tract. de præsumpt. nu. 5. in fin.* Dec. *in d. l. 2. nu. 44. ff. de reg. iur.* Tiraquell. *in tract. de primogen. quæst. 17. opin. 7. & 8. nu. 1.* Mascard. *de probat. conclus. 1087. nu. 1. & ibi plures allegati.*

11 Et similiter † quando mas & fœmina eodem casu simul, naufragio forte, incendio, peste, incursione hostium perierunt, sexus coniectura vir tanquam robustior postremus vixisse, mulier autem prima posuisse spiritum censetur, si non expresse superstes viro hæc fuisse probetur, *l. qui duos 9. §. si masculus, 24. ff. de don. inter vir. & uxo. l. si possessor 32. §. si eodem momento, & ibi gloss. ff. de relig. & sumpt. fun.* Guid. Pap. *in tract. de præsumpt. nu. 57. ve. s. præsumitur uxorem*, Bart. *in l. quod de pariter, ff. de reb. dub.* Crem. *sing. 52.* Alciat. *in tractat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 49. num. 2.* Sais *in consuetud. Turonens. titul. de success. plebeiorum. in fine.* Dec. *in d. l. 2. num. 44.* Tiraquell. *in d. l. connub. 1. nu. 58. in fin.* Prugmann. *in tractat. de different. sexus, p.* 1. *memb. 4. art. 35.*

12 Præterea efficit hæc eadem fœminei sexus naturalis imbecillitas, quod cum eiusdem cum viro criminis rea mulier accusatur, estque torturæ examen necessarium, primum mulieri, ceu debilissimæ ac ferendo cruciatui maxime impari tormenta infliguntur. Bartol. *in l. 1. princ. ff. de quæst.* Angel. *in tr. de malef. in gloss. in verbo, fama publica versicul. nunc videamus de tortura.* Tiraquell. *in l. connub. 9. num. 134.* Damhoud. *in prax. crim. ca. 37. n. 14. vbi allegant plures, & ad contraria respondent.*

13 Atque hæc eadem corporis muliebris fragilitas, vna ex principalibus causa est, propter quas mulieres à feudorum successione regulariter arcentur; adeo quidem vt etiamsi expresse feudum pro hæredibus masculis & fœminis fuerit concessum, nihilo magis extantib. masculis: sed his omnibus demum deficientibus legitimæ feudi hæredes fiant, *c. 1. §. & quia vidimus, vbi* Bald. *n. 9. & 14.* Aluar. *n. 8.* Præpos. *n. 6.* Isern. *n. 17.* Afflict. *n.* 1. *& DD. de his qui feud. dar. poss. tex. in c. 1. §. filia vero ibi,* Bald. *n.* 1. Afflict. *n. 1. de success. feud. text. in c.* 1. *in pr. & ibi* Aluar. *n. 3. de grad. succed. in feud.* Euerhard. *in top. in loco à feud. ad Emphyt. n. 45.* Dec. *in d. l. 2. n. 54.* Tiraquell. *in repet. l. si vnquam, verb. donatione largitus, n. 340. C. de reuoc. donat.* Iul. Clar. *in §. feudum, qu. 73. n.* 1. Rol. à Valle, *cons. 67. n. 6. cons.* 8. 2. *n. 8.* Bursat. *cons. 80. n. 14. cons. 46. n. 30. vol. 1.* Mynſ. *cons. 92. n. 3. idem* Mynſ. *cent. 6. obs. 100. n. 9.* Sensbec. *p. 9. n. 111.* Menoch. *cons. 65. n. 20. & seq. vol.* 1. Duen. *reg. 368.* Diaz. *reg. 281.*

Nam clari & indubitati iuris est, feuda ob seruitia militaria dari ac vt Vasallus Dominum in prælio armatus adiuuet, *c.* 1. *de non. for. feud.*

c. 1. de

c.1.de mil.vasallo,qui arma bell.depos. cuiusmodi onera mulier subire non potest *gloss.in §.hoc quoque notandum,verb.a successione,d.c.1.qui feud.dar.poss.* Iacob.*in verb.Mansio.nu.4.* Borc.*in tr.de feud.c.1.num.10.* Zas.*de feud.part.8.nu.36.* Sonsbec.*p.9.nu.120.* Curt.*p.3.nu.9.* Hartman.Pistor,*lib.2.quæst.34.num.3.* Vult.*lib.1.de feud.cap.4.num.3.& ibi plures.*

Quamobrem primitiua feudorum origo mascula est & militaris, lanceamque concernit, non colos fusosque, quorum tractatio ad mulieres spectat,iuxta illud Ouid.*Metamorph.12.* 14

Columque
I cape cum calathis & stamina pollice torque:
Bella relinque viris.

Cui admodum concinit etiam Virgilius. 15

Cura tibi diuum effegies & templa tueri:
Bella viri,pacemque gerant.

quæ ex nostris referunt Coras.*lib.2.miscell.cap.vlt.num.7.* Tiraquell. *in l.connub.1.nu.62.* Purgman.*in tract.de diff.sexus,p.1.memb.3.artic.10.num.2.* & nouissime Andr.Knichen,*in tractat.de inuestit.part.ca.3.in princ.*

Quod ipsum Homerus quoq;,quem Iustinianus in constitutione *Omnem ff.* præfixa,omnis virtutis patrem appellat,*& in §.sed ius quidem ciuile,Inst.de iur.nat.gent.& ciuil.* egregium vocat, asserit *lib.6.Iliados*,vbi tradit: Telam & colum,& ancillarum curam, esse mulierum propria: bella autem virorum. 16

Atque hinc Varro *lib.4.de lingua Lat.* Marte dictum tradit,quod maribus in bello præsit:& Plato in Cratylo,arin,hoc est,Martem dictum putat apò tu àrrenos,hoc est à mare,quasi bella viris peculiariter conueniant,non fœminis: vt ex nostris refert Borch. *in tract.feu.c.1.nu.19.* 17

Ex his autem omnibus demum constat, quãto omnium opinione mulier debilior corpore, seu robore inferior viro habeatur.

Quanto vero viribus hæc minor,tanto vir dignitate maior habẽdus est. Maior enim dignior atque excellentior iure is dicitur,quem generaliter omnes maiorem ac digniorem existimant, *text.in l.Athletas,in pr.vers.Cels.ff.de his qui not.infam.* tradit in specie Boer. *decis.286.num.9.* Ioann. de Selua de benefic.*p.1.q.2.* & in simili est decisio Rotæ *451,verbis*: ego vero dicebam super hac maioritate seu principalitate

cipalitate recurrendum est ad consuetudinem generalem, vox enim populi vox Dei est, secundum Dominicum Scotum *de inst. & iur. li. 5. q. 1. art. 6.* vt refert Vasquius *in præfat. illustr. controuers. nu. 35.*

19 Quem † vero in omnibus rebus & honoribus digniorem & anteponendum reliquis omnes iudicant, est qui viribus & potentia prævalet: secundum eundem Boer. *d. loco, & in tract. de auctor. magni cõcilij, nu. 133. in addit. 1. vers. & certum est*; estque communis & vera opinio secundum Vasquium *in d. præfat. nu. 32.*

20 Quod † igitur in multis iuris articulis, præsertim vero in successionibus, melior masculorum quam fœminarum cõditio effecta est; & plus honorati sunt mares quam fœminę, communi omnium opinione approbata ratione, rite recteque, prudenter & æque factum est, neque habent mulieres propter sexus sui imbecillitatem ac proinde indignitatẽ, super iniquitate quicquam quod conqueri possint.

Quiescat ergo tandem natura impotens: imperium in domo, in Republica, præeminentiam & locum principem in honoribus, in bonorum successionibus prærogatiuã, potentiori concedat lubens, illi quæ naturæ potentia, potentiæ dignitas, dignitatis excellentia, adeoque ipsa boni & æqui ratio addicit.

CAPVT XIV.

De animi dotibus tractatur, quibus itidem sexus virilis longe pręstantior muliebri probatur.

SVMMARIA.

1. *A particulari ad vniuersale nulla consequentia.*
2. *In animi quoque dotibus quibuscunque præstantior fœmina vir est.*
3. *Fragilitas Euæ.*
4. *Adam ratione virilis animi plus peccauit quam Eua in prævaricatione.*
5. *Muliebris fragilitatis testimonia sacra.*
6. *Philosophorum & Oratorum.*
7. *Aristotelis.*
8. *Platonis.*
9. *Ciceronis.*

10 Pla-

10 *Plutarchi.*
11 *Quamobrem Plutarchus mulieres propinquis nubere prohibuerit.*
12 *Quint'liani.*
13 *Ouidij.*
14 *Testimonia legum.*
15 *Fœminarum consilium plerumq; aduersus propria commoda laborat.*
16 *Mulieres passione non ratione viuunt.*
17 *Mulierum natura habet in principio præsumptionem, in medio stultitiam, in fine verecundiam.*
18 *Viri fortitudo principalis, mulieris administra. Aristot.*
19 *Fert grande fœminæ decus silentium, at non viro. Horat.*
20 *Ignominiosum est viris muliebres vocari.*
21 *Matronis viriles cognominari laus est.*

SEd quid? an adhuc tam effuse petulantem atque procacem te esse video, libidinosa impotentia, vt licet tuæ calamitatis eminus ictus iam plurimos in corpore passa, nec tamen metuas animi quoque viribus confligere, atque ijs etiam quæ animum præcipue concernunt dotibus cum viris in palestram descendere. Non tantas corporis quantas animi dotes æstimandas esse proponis; has potissimũ honores atque præmia, non illas mereri. Facultatibus autem quarumcunque virtutum non minus & forte magis quam vllum virum animum te habere instructum, assumis. Atque hinc porro concludis, non minori tuum, quã virilem sexum honore & iure esse prosequendum. Exemplis & particularibus omnem tuam causam defen- 1 dis, quo ipso non iudicium in te, sed animi morbum prodis. Existimas forte præcipua viris excussa nunc tela, at persuasione falleris, si quam talem concepisti. Hactenus leuis armaturæ tantum excursio quædam fuit, nunc vero, ni cesseris, cominus tecum agent viri, confide.

Non enim † corporis modo, sed multo magis etiam quibusuis animi donis, ornamentis, viribus, virtutibus longe te superiorem esse virum, tam clarum tamque tritum est, vt hic qui dubitet, non literarum modo humaniorum, sed etiam ipsius humanæ conuersationis ille sit expers necessum fuerit. Omnibus ad vnum hoc affirmantibus, luctuosum primæ matris exemplum Heuæ id ipsum confirmat. 2

3 Haud † enim ignarus Sathanas serpens muliebris animi fragilitatis, non virum sed mulierem tentauit primum, atque huic sub saluberrimi fructus specie, æternæ mortis toxicum persuasit, *Genes. 2.*
4 Ex quo etiam D. Thomas, *22. quæst. 169. art. vltim.* (vt Tyraquellus refert, *in dict. l. connub. 9. num. 86.*) autumat, Adam plus peccasse quam Euam, considerata scilicet conditione peccantium, & mulieris quidem expensa animi fragilitate, viri autem firmitate, licet alijs circumstantijs minus hic peccasse intelligatur. Quod etiam Bonauent. voluit, *lib. 2. sent. dist. 22. art. 1. quæst. 3.* Archidiacon. *in c. illud, dist. 40.*

Porro animi virilis præstantiam, muliebris autem exilitatem atq; fragilitatem, vltra si probare necesse est, rursum ea infallibili sacrarum literarum testimonio probari potest.

5 Mulierem † enim infirmius vasculum (quod etsi dictum est sæpe sæpius tamen est repetendum) D. Petrus *1. 3.* vocat. Et propter eandem fragilitatem etiam Deus in Deut. serio præcipit, ne contristemur viduas, sed iuuemus & consolemur eas, simile autem de viris viduis præceptum nusquam extat, vtpote & corporis & animi robore satis præstantibus. Quod quidem robur a sexu cum deriuatur, & ipsi viri efficiuntur mulieres, hoc est, imbecilles ac sine robore homines, vti propheta Ieremias *51.* dixit.

6 Sed † & Philosophi naturalium rerum scrutatores hic magnanimitatem viris, mulieribus autem exilem animi vilitatem tribuunt.

7 Aristoteles † 1. Polit. vlt. consilium mulierum inualidum esse scribit, & ideo non bene mulieres ciuitates regere, *lib. 2. Polit.* admonet.

8 Eadem † est Platonis, eademque Plinij sententia, vt ex supradi-
9 ctis repetere possumus. Quibus † etiam Cicero *in Orat. pro L. Mu-*
10 *rena* subscribit, † *quando inquit*: Mulieres omnes propter infirmita-
11 tem consilij maiores in tutorum potestate esse voluerunt. Et † adstipulatur Plutarchus, *in problem. c. 116.* dum quærit: cur mulieres
12 propinquis † & cognatis non nubant? respondit autem; quoniam mulieres propter imbecillitatem multorum ope & auxilio egentes, mulieres idcirco adiungere se propinquis noluerunt, vt si qua a viris suis iniuria afficerentur, cognati opem ferrent. Cui † fere simile est, quod etiam Quintil. *declam. 168.* scripsit; matrimonia scilicet ab ipsa rerum natura inuenta esse, sicque mares fœminis iungi,

vt

vt imbecillior sexus præsidium ex mutua societateq́ sumat. Imbecilliorem autem idem existimauit fœmineum. Nam declam. 338. imbecilla res est, inquit, fœmina, &c: 13

Quod hisce † versibus Ouidius eleganter exprimit:

Fortius ingenium suspicor esse viris:
Vt corpus teneris, sic mens infirma puellis.

Nunc vero † si etiã iuris nostri textus & interpretum commentaria euoluere placet, legimus ab ijsdem quoque mulieres modo fragiles affirmari: (*l. si mulier, C ad S.C. Velleian. l. si pater, Cod. de sponsal. l. prima, §. penult. Cod de rei vx. act. l. vltim. Cod. de donat. int. virum & vxorem, l. sicut, C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. assiduis, 12. Cod. qui po. in pign. l. quisquis, §. ad filias, C. ad L. Iul. Maiest. §. 1. in fi. Instit. quibus al. lic. vel non. cap. ex parte abbatissæ ex. de priuileg. cap.* Adam *24. quæst. 5.*) modo iterum vocari infirmas, (*l. 2. §. verba, in fin. Digest. S.C. Velleian. l. regula post princip. ff. de iur. & fact. ignor. l. cuius bonis, ff. de curat. furio, leg. deferre, pin. ff. de iure fisci. leg. primo §. ad accusationem, ff. ad S. C. Turpill.* l. 1. *C. de confirm. tut. leg. prima. Cod. quando mul. tut. off. fung. dict. leg. quisquis, §. filias, l. nullus, Cod. de iure fisci, libro decimo, l. nullus solius, C. de decur. lib. decimo, Nouell. 97. capit. tertio. vers. volumus itaque, ibi:* infirmitatem namque muliebris naturæ satis nouimus, & quia facile circumuentiones fiunt aduersus eas, &c.) modo denique appellari imbecilles, (*l. imperiales, Cod. de nupt. dict. leg. 2. §. verba, ff. ad S. C. Velleian.* Imo Imperator Honorius & Theodosius. *in l. si pater, in* 15 *fin. Cod. de sponsal.* fœminarum consilium plerunque aduersus propria commoda laborare rescripserunt.

His correspondent plures Dd. atque interpretes. Baldus *in rubri. Cod. de rer. permut.* vbi hanc in mulieribus fragilitatem naturalem atque immutabilem esse dicit: ac proinde nec eas in consilio esse posse, nec statuta condere, quia inter eas non soleat regnare prudẽtia. *In auth. habita, C. ne filius pro patre, &c.* Bologonetus concludit. Egidius † *in tract.* de regimine principũ, *lib. 2. pr. in sing. vl.* mulieres 16 passione non ratione viuere dicit, atq; in his illud Iuuenalis probat.

Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas.

Adde quod Neuizanus *in sylu. nupt. lib. 1. n. 10.* scribit ex mulieribus tot esse stultissimas, quod earũ simpliciter stultæ videntur esse sapientes: & ex Chron. Ianua: refert: earum naturam esse: in prin- 17 cipio habere præsumptionem, in medio stultitiam, in fine vere-

cundiam. Summatim omnes consentiunt, marem iudicio, consilijs, iussisque prudentibus præpotentem, fortitudine & constantia præstantiorem, omnibus animi viribus & facultatibus validiorem, iuxtim & sermonis grauitate, omnique vigore & decore natura esse fœmina excellentiorem. Accurs. *in d.l.1.C.de confirm.tut. & §.1.Inst. de satisdat.tut.* Bald, *in l.quoties,n.2.C.de suis & legit.* idem Bald. *in ca. significauit,n.1.ex de rescrip.* Feudistæ omnes, *in d.c.1.& quia vidimus & d.§.hoc autem notandum,de his qui feud.da.poss.* Hanneton, *2 feud. 8.* Mozz. *sub tit.de substant.feud. n. 43.* Borch. Vult. & omnes cæteri supra allagati: omnes etiam Canonistæ, *in c.foras,ex de V.S.& DD. in l.filia in orbitate,* præcipue Vasquius, *n.1.C.de inoff.testam.*

Quam enim consultandi facultate infirma sit fœmina, quam animo inconstans, quam meticulosa mente, quam corpore imbecillis, voce leuis, verbis garrula, quantumque omnibus virtutibus viro longe cedat, res ipsa loquitur.

18 Minimeque eadem † mulieris atque viri vel prudentia vel fortitudo vel temperantia, aliaue virtus: sed viri fortitudo principalis
19 mulieris administra cum Aristotele dicenda est, atq; vt de mulieris taciturnitate canit, Horat.

Fert grande fœmina decus silentium:
At non perinde fortis hoc viri decus.

ita quoque in reliquis virtutibus iudicandum est, vt idem Arist. *lib.1. Polit.c.1.3.& 8.& lib.3.c.3.* hoc declarat.

20 Hinc † cum aliquid a viris, minus viriliter ac virtuose, fortiter ac laudabiliter gestum est, id tanquam molliter, muliebriter & effœminate factum eis exprobratur. Ita Cicero, 1. *Offic.* inqnit. [Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem, illaque virgo viri, &c.] Et pro Cæcilio, bellum muliebre quasi minus fortiter gestum; itemq; pro Ennio: muliebrem sententiam, eneruatam vocat. Nam quod viriliter animoque magno fit, id viro dignum & decorum, *in Off.* idem existimat.

Sed & ne quid seruiliter aut muliebriter tanquam per ignominiam virilis sexus faciamus, *in Tuscul.quæstionibus,* & ne quid indecore, effœminate caueamus, *in Offic.* admonet. Et in lib. de senect. hæc fortitudinis præcepta tradit, quæ effœminari virum in doloribus vetant.

21 At † cum a fœminis robore & animo virili quid gestū est, mascula id

la id virtute gestum dicitur. Sic apud Auson. mascula Sapho dicitur. & Valerius Maximus, *lib. 4. c. 6.* de Portia Catonis filia scribit; quod muliebri Spiritu virilem patris exitum imitata sit, atque idem, *lib. 6. cap. 1.* Lucretiam collaudans, inquit: Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus maligno errore fortunę muliebre corpus sortitus est.

Sic Ouidius 1. *Fasto* inquit:

Fertur in exequias animi matrona virilis.

Et Metamorph. 3.

Arma ego fœmineis animum motura virilem
Mercibus inserui.

Et Apuleius, *lib. 6. de charitate*: ærumnas assiduas ingenio masculo sustinebat, dicit.

Sic etiam mulieres virili virtute celebres, ab ea viragines a nonnullis dictæ sunt. Atque ita Iuturnam Virgilius 12. *Æneid.* vocat.

Hoc concussa metu mentem Iuturna virago:

Et Cassandram Seneca in Agamemnone:

Dura virago patiensq; mali.

Et Bellonam Ausonius, 1. *Epigram.* de Augusto.

bella horrida Martis
Otrysij, Thressæq; viraginis arma retractat.

Et denique quicquid fortiter, laudabiliter ac præclare gestum, id nimirum viriliter, quasi minime muliebriter aut sine ingenio, sine consilio, sine animo, sine fortitudine gestum dicitur. Ita enim Tullius *ad Atticum 14.* Acta illa res est, *inquit*, animo virili consilio puerili. Et Valer. Max. *capitulo secundo, de publio Crasso.* Militis huius in aduerso casu tam egregius tamq; virilis animus fuit, &c. & Apul. *lib. 3. Metamorph.* Heu pueri plusquam maribus animis & viribus alacriter dormientes aggrediemur, *& libro sexto*, quin igitur masculum tandem sumis animum, & Terent. animo virili præsentiq; sis para; ac eiusmodi locutiones politicorum scriptorum plures congessit Tyraquellus, *in d. l. connub. 8. num. 89. & seqq.* quibus adde, quod I.C. Tryphoninus, *in l. vlt. §. vlt. ff. qui pet. tut.* quæ viris conueniunt virilis animi facta appellat.

Hinc Sesostris Rex Ægypti cum pimum ex Arabico sinu profectus esset, & in suam potestatem rubri maris accolas quoque redegisset, progressusque longius iam eliam per mare Vadosum, ac pro-

inde non nauigabile ad Ægyptum retrogressus omnes gentes, vt in quamcunque incidebat, subegisset: quascunque earum nanciscebatur feroces & vehementer studiosas libertatis, in earum regionibus Cippos statuebat, inscriptos literis sui nominis & patriæ, & quæ referrent ipsum illos vi subegisse. Quarum vero vrbes nullo prelio nulloque negocio cepisset, his Cippos inscripsit: tum eisdem literas quas scripserat eis gentibus, quæ viriles extiterant: tum muliebria genitalia, planum facere volens, illos haud quaquam viriles, sed muliebres extitisse, vt refert Herodotus Halicarnas. in Euterpe.

CAPVT XV.

De vtriusq; sexus virtutibus & vitijs, in quibus quisque alterum superet? Et primum de constantia & inconstantia, præsertim in fide, & religionis erga Deum pietate, agitur. Illa vero pręcipue viris, hæc mulieribus quasi peculiaris (contra quam sup. in acie contr. c. 8.) adscribitur.

SVMMARIA.

1 *Fœminis Deus pectus instruxit dolis, sed vim negauit.*
2 *Nemo sine vitio: sed plura eaq; maiora in fœminis.*
3 *Optimus qui laborat minimis.*
4 *In fide & religionis erga Deum pietate maiorē promeriti sunt laudem viri, quam fœmina.*
5 *Diuus Paulus mulierem in fide infirmam arguit, & docendi munus illi denegauit.*
6 *Omnes in Israele sacerdotes viri fuerunt.*
7 *Christus Apostolos sibi adiunxit viros.*
8 *Historia Martyrum.*
9 *Micha.*
10 *Vria.*
11 *Ieremia.*
12 *Esaia.*

13 Sy-

13 *Sydrach, Mysach, Abdenago puerorum.*
14 *Danielis.*
15 *Iudaeorum.*
16 *Eleazari.*
17 *Septem fratrum.*
18 *Rasia.*
19 *Iobi.*
20 *Iohannis Baptistæ.*
21 *Saluatoris nostri.*
22 *Apostolorum.*
23 *Iacobi.*
24 *Petri.*
25 *Pauli.*
26 *Andreæ.*
27 *Philippi.*
28 *Bartholomæi.*
29 *Simonis & Iudæ.*
30 *Stephani.*
31 *Euangelistarum.*
32 *Plures sunt venefica, quam venefici, & quare.*
33 *Propter frequentiam lex diuina maleficarum tantū non malefi-corum meminit.*
34 *Mulierum proprium est decipi.*

QVemadmodum autem corporis & animi dotibus earumque excellentia vir muliere multo est nobilior, ac præstãtior: ita ex contrario si de vitiorum quoque pluralitate & præeminentia simile certamen inter vtrumque sexum instituamus: vix est vt mulier viro palmam non præripiat, aut certe in aliquo saltem cedat.

Nam † vt inquit Seneca, *in Octau.* 1

Fœminis Deus pectus instruxit dotis, sed vim negauit.

ac Medea Euripidis de suo ipsa sexu conqueritur: [Nos mulieres, vt sumus ad res bonas ineptissimæ; sic malorum architectrices vaferrimæ.] Sed omnia hæc prosequemur latius, & singulas virtutes, & singula his opposita vitia separatim pertractabimus, & euidentius quanto in virtutibus quidem vir, in vitijs autem mulier præstet, apparebit.

 Quam-

Quamuis enim iuxta Propertium.

Vnicuiq; dedit vitium natura creato:

Et vt dicit Horatius:

nemo ex omni parte beatus.

2 tamen plura eaq; maiora vitia in fœminis; in viris autem plures potioresq; virtutes reperiuntur: vt ita vel hac ratione viri fœminis meliores atque digniores dici sine iniuria fœminarum possint, iuxta alterum illud:

Vitiis nemo sine nascitur, optimus ille,
Qui minimis vrgetur.

3 Nullas non virtutes mulieribus præcipuas aliqui adscribunt, non tam rationibus & argumentis vel probabiliter saltem, quod volunt, concludentibus, quam nonnullarum earumque paucarum mulierum, quæ summam, fateor, in sexu suo pietatis, prudentiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum laudem sunt meritæ, exemplis non bene, & secundum logicorum regulam in argumentum ad vniuersum sexum præcipue pium, prudentem, fortem, ac per omnia virtuosiorem comprobandum adductis. Non enim virtutes magis singularum omni sexui communicare iure, quam vitia possumus. Verum instituta virtutum & vitiorum, in vtroque sexu per exempla collatione; haud dubio multo plures impias, imo extremæ impietatis & securitatis infinitas, reperiemus: prudentioribus ac discretioribus paucis exceptis: reliquas omnes stultas atque fatuas esse intelligemus: fortes raras, audaciusculas frequentiores; timidas vero ac meticulosas vbique plurimas inueniemus. Elatas plerasque, humiles nullas nisi necessitate pressas, auaras in genere omnes, lasciuas, luxuriosas ac omni libidine effrenatissimas, facilius ac vt plurimum in quodcunque vitium prolabi mulieres fateri cogemur.

Commendata iam supra mulierum in Deum religio atque pietas, & in fide constantia est; sed has iuxta neq; virorum promeritas hic virtutis laudes iure tacere possumus.

4 Vincit † in hoc certamine vnius viri probata pietas, multarum mulierum deuotionem maximam, vincuntque semper deuotissimam, viri numero plures æqua in studijs pietatis erga DEVM vigilantia, fide, constantia, omnibusque bonis operibus clariores.

Quod ne tanquam mulierum osor temere alicui asserere videdear:

dear, quibus ego lubens ingenueque cum alijs plurimum me fauere fateor, prætcritis innumeris fœmineæ in fide leuitatis atque impietatis, quæ extant, monumentis, nocentum certe plurimarum non diffundam etiam crimen forte in aliquas paucas innocẽtes: sed parcam his, atque testimonijs sacris rem potius agam, tumque animi virilis in pietatis & religiosis virtutibus firmum atque grauem sensum præclarioribus exemplis quoque illustrabo. Quæ vbi quanto plura quantoque maiori laude digna videbuntur, tanto maiorem etiam virtutis hic praeeminentiam viris, qui modo candida mente iudicabit, concedet.

D. Paulus cum primis mentem mulieris infirmam, & cum D. Petro in fide debilem arguit, quando ei in Ecclesia silentium imponit, discere in subiectione & obedientia præcipit: loqui vero non permittit; bonis operibus exhibere se piam, & submittere viro iuxta legis voluntatem hortatur, 1. *Corinth.* 14. 1. *Timoth.* 2. 1. *Pet.* 2. 5

Nam si mulier in Ecclesia doceret, essetque eadem primatus capax per mentis imbecillitatem à fidei norma facile deficeret, secumque in præceps sæpe ac æternæ salutis naufragium multos homines traduceret, vt Panormitanus *in cap. decernimus, num.* 14. *extr. de iud.* pluribus deducit. Qua de causa etiam canones atque leges concionandi siue docendi in Ecclesia prouinciam tanquam mentis muliebris longe imparem solis viris detulerunt, solumque virile munus hoc iudicarunt, vt videre est *in cap. mulier de consecrat. dist.* 4. *ca. quod Dei timorem, & ibi* Panorm. *nu.* 3. *extra de stat. monach. innst.* *l.* 2. *& ibi* Dec. *nu.* 41. *de reg. iur.* Tiraquell. *in l. connub.* 10. *nu.* 32. *& l.* 12. *n* 5. *& 10.* Similiter † omnes in Israele Sacerdotes atque Principes viros nõ 6
mulieres elegit Deus: & † discipulos omnes masculos sibi Christus 7
adiunxit, quos sciret fortissimos sibi futuros milites, omniaque tormentorum genera facile constantia sua contempturos, quales etiam illi sanctissimi viri fortiter sese præstiterunt, neq; condignas huius temporis passionis ad futuram gloriam iudicarunt, quæ aliquando etiam in nobis reuelabitur, vt inquit D. Paulus *Rom.* 8.

Hi autem sunt, qui præ mulieribus in deuotione sua fidei immortale constantiæ nomen habent; qui læsi, pati tantum offensas & obliuisci non vindicare didicerunt, non diuitias amarunt; non relictarũ rerum damno concuti; non tyrãnorum minis terreri potuerant, sed à vita prius quam à iustitiæ cultu discedere magis elegerant.

8 Tales † præcipue veteris legis martyres Prophetæ fuerunt, ex qui-
9 bus Micheas † in maxillam percutitur, & in carcerem truditur. Vri-
10 as † interficitur, Hieremias carcerem & verbera patitur, in lacum
11 cœni † per ludibrium iactatus lutatur; postremo lapidibus obruitur. *Hierem.20.*

12 Esaias † in duas partes viuus secatur. Dum enim missi à Domino veritatem prædicarent, sæuissimorum Principum vim atque minas pro nihilo habuerunt.

13 Deinde Sydrach, Mysach & Abdenago pueri, ætatem animi magnitudine supergressi, cum Regis Nabuchdonosor statuam adorare nollent in fornacem ardentem proijciuntur, & inter furentes flammarum globos laudes Deo decantant, *Dan.3.* Daniel leonibus deuo-
14 randus datur. Sed nec illos † adussit ignis, neque hunc leones attigerunt, vt omnibus manifestum fieret veræ religionis virtutem potentissimo tyranno fortiorem esse, & fideles nisi Deo permittente nulla vi occidi posse. *Dan.6.*

15 Posthæc † Antiocho Epiphane Hierosolymam vastante idolum desolationis super altare Dei positum, multi ex Iudæis nolentes adorare, trucidati sunt, 1. *Machab.1.*

Pueri qui cum circumcisione deprehendebantur, suspendio interempti, & qui cibis immundis abstinuerant, neci traditi, 1. *Mach.2.* Quidam qui se prius armis defenderant, deinde ab inuadentibus die Sabbathi ad vnũ fere cæsi sunt. Etenim ne diuinæ legis mandato derogarent, ea die repugnare nefas esse duxerunt. Duæ mulieres quæ filios circumciderant, cum infantibus ipsis ad vbera alligatis missæ in præceps. Pleriq; quia Sabbathum obseruarãt, flammis exusti. *2. Macha.6.* adeo hi homines mori minus timuerunt, quam præuaricari.

16 Eleazarus scriba, & ipsa † sacrarum legum custos assiduus, interimi quidem potuit: vt autem porcinam gustaret, cogi nõ potuit, præferẽs vitæ suæ diuini ritus fidem. Et cum amici aliam carnem, quam vesci licebat, supponerent, volentes eum subtrahere neci, non eis acquieuit, nolens hac simulatione se seruare, & alios perdere, præuaricationis exemplo, qui putassent ipsum cibo lege vetito vsum fuisse, Forti itaque animo cædentium ictus pertulit, vt ad eosdem constanter tolerandos fidelem populum animaret, haud ignarus multo gloriosius esse, Deo obediendo mori, quam obsequendo infideli tyranno viuere. *2. Machab.6.*

Septem

Septem † ver• fratres, septem in Apocalypsi Ecclesiarum typus, 17
multo atrocioribus tormentis conficiuntur cum matre, quia maior persecutio in Ecclesiã, quam in Synagogam sæuitura erat. Igitur respuentes cibum lege vetitum, supplicia constanter sustinuerunt, & quidem alius post alium, vt prioris pœna cæteris cernentibus terrori esset; sed nequaquam territi sunt. Itaque vice cuiusque seruata, linguas omnibus amputarunt, capita cute decaluauerũt, manus pedesque præciderunt, & sic trunca corpora super ignitam sartaginẽ torrendo consumpserunt. Mater vero (mulier vnica piæ constantię nomine omnium longe celeberrima) quæ non fleuerat filios; sed ad patientiam hortata fuerat, iam de illorum victorijs læta, mortem alacriter subijt, & quos tunc tam acerbos cruciatus tolerare vidit, nunc vna secnm in æternæ beatitudinis regno triumphantes cernit, tanto post ærumnas felicior, quanto in perferendo extitit constantior, *2. Machab. 7.*

Neque te Rasia vir non solum castitate, sed etiam fide præstantissime, hoc loco præteribimus. In quo vno impijssimus Nicanor omnes reliquos se superaturum sperauit, At tu cum iam vndiq; circũdatus effugere non posses, vt doceres, te non timere necem, sed magis religionis ab infidelibus ridendæ ludibriũ, Spiritus sancti instinctu tibi ipsi mortem consciuisti, ferro te feriens, & de arduo loco in præceps mittens, & erũpentia viscera manib. proprijs direpta in turbam proijciens, ac Deum tuum inuocans, vt illa tibi iterũ redderet, futurę resurrectionis spe certissima ipse stabilitus. O incredibilẽ animi tui fortitudinem, terruisti tyrannum nihil vitæ tuæ parcens, dum Dei consulis honori. Sensit inimicus se ab vno vinci, qui te vno victo cæteros facile in sui erroris sententiam se tracturum credidit. 18

Ostendisti te etiam grauiora pro nomine cœlastis Regis pati posse, quam fortasse tyrannus omniũ immanissimus inferre cogitabat. Fœlix qui tali priuilegio dotari meruisti, vt in perferendo martyrio ad confusionem inimici tua in te vtereris manu, quod paucis admodum concessum aliquando fuisse nouimus, & quod alijs imputaretur ad peccatum, tibi versum est ad gloriam, *2. Matth. 14.* Nam cum omnibus præceptum sit, Non occides: *Exo. 20.* tibi dispensatum est, vt te percuteres & vinceres, occideres te & viueres.

Simile ac † immortale patientiæ & constantiæ nomen Iob quo- 19
que meruit; qui non tantum pedibus aut manibus aut aliquo membrorum

brorum æger erat, sed toto prorsus corpore tabidus & putridus, & à planta pedis vsque ad verticem fœdissimis vlceribus confectus. Testa saniem radebat, iacebat in sterquilinio, magis etiam dolendi causas habens, quod paulo ante omnem substantiam (cum opulentissimus esset) vna cum liberis amiserat, nec tamen vnquam cogi potuit, vt saltem labijs peccaret. Vxor iacenti assidebat, non quæ consolaretur adflictum, sed petulantia sua grauius exasperaret. Namque tantarum impatiens ærumnarum iubebat, vt iam in suam ille necē maledictis Deum prouocaret. At vero Iob non ignarus longe maiorem esse miseriam Deo peccare, quam ista pati, in ipsam indignatus: Quasi, inquit, vna de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? *Iob. 2.*

20 His † ex recentioribus annumeratur præcipue Ioannes, præcursor Domini & plus quam Propheta, & quo non maior surrexit inter natos mulierum. Hic Herodis Antippæ iussu in gratiam adulteræ carceri mancipatur, obtruncaturque, ac medius inter legem & Euangelium, huius initium illius finem sanguine suo consecrat. *Matt. 11. Luc. 3.*

21 Post illum † primitiæ mortuorum Domin. noster Iesus Christus ludibria, maledicta, conuitia, multa horrendaque supplicia & ignominiosissimam acerbissimamq; crucis mortem sustinuit, vt pro quibus ipse volens ac libens talia patiebatur, eosdem ad patiendas martyrij pœnas suo exemplo excitaret. Iam tum Dux inclutissimus, milites suos non armis muniens, sed toleratione confirmans, cum diceret: nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero nō possunt
22 occidere: sed eum potius timete qui potest corpus & animam perdere in gehennam. *Matth. 10.*

Hinc sane est, quod ipsi Apostoli flagellis primum acriter cæsi, nō dolent, sed gaudent; non tristantur, sed exultant, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. *Act. 5.*

23 Ex † his deinde Iacobus Maior Herodis Agrippæ gladio decollatur, & eiusdem iussu Petrus in carcerem cathenis vinctus conijcitur. Sed horum alter à vinculis diuinitus liberatur, alter pro temporali vita æternam accipit.

Infœlicissimus vero Herodes à vermibus consumptus exspirat, & ad inferna rapitur, ab immortali verme semper rodendus, igneq; illo inextinguibili sine fine cruciandus. *Act. 12.*

Rur-

Rursum Petrus Romæ, cum nec ipsius Neronis immanitate ter- 24
reri potuisset, ne Christum prædicaret, morti addicitur crucis, versoque ad terram capite crucifigitur, quoniam erecto suspendi sicut Dominus suus indignum se dixerat. Primus igitur crucem ascendere meruit pro Domino, quam pro omnibus ascenderat Dominus, vicem reddidit, ac præmium accepit, eos quandoque cum Domino iudicaturus à quibus talia passus est.

Ipse † quoque vas electum Paulus à Lystris lapidibus eijcitur, Phi- 25
lippis cum Syla discipulo virgis cæsus & compedibus vinctus carceri includitur. Inde dimissus, plurimisq; peragratis locis profectus Hierosolymam, ibi alligari & mori paratus pro nomine Iesu comprehēditur, ligatur, flagellatur, torquetur, in ore percutitur. Postremo Romæ capite truncatur. *Act.14.16.21.*

Andream deinde Apostolum Patras à pernicie erroris vindicare 26
conantem Egeas Æchaiæ proconsul, comprehendi, in faciem cædi, denique in crucem suspendi iussit.

Philippum † Apostolum Hiæropoli Phrygiæ vrbe crucifixum, ac 27
lapidibus interemptum constat.

Bartholomæum † apud Armeniam in oppido Albano viuum ex- 28
coriatum decollatumque. Ioannem Apostolum Romæ in feruenti oleo decoctum, nec tamen læsum Christo protegente, qui sic eum voluit manere, donec ipse veniret.

Thomam Didymum apud Indos carceri traditum, nudis vestigijs per candentes laminas ductum, & in ardentem fornacem detrusum, postremo lanceis perfossum. Matthęum Apostolum in Perside dum sacram cœnam offerret, à tergo trāsfixum. Iacobum Minorem Hierosolymis lapidatum, & pro inimicis deprecantem, fullonis fuste interemptum.

Fratres † vero eius Simonem Zelotem, & Iudam Taddæum in 29
Persiæ vrbe Senair: quia ipsis ingredientibus in templum simulacra Deorum corruerunt, ab ædituis trucidatos.

Matthiam successorem Iudæ Hierosolymis lapidibus obrutum, & Romano ritu securi percussum. Barnabam gentium Apostolum, Salaminæ à Iudęis comprehensum, atque igne consumptum in hist. Eccles. legimus.

Stephanus † quoque Spiritu sancto & fortitudine plenus, faciens 30
signa & prodigia lapidibus obruitur. Sed quid mali illi lapidum ictus

inferre poterant, cui cœli iam aperti erant? vitam impij eripiebant, sed Iesus à dexteris virtutis Dei manens animam suscepturus expectabat. Domine, inquit, ne statuas his peccatum hoc. Proinde auxit martyrij gloriam erga inimicos pietatis merito, & in Domino obdormiuit, quia vigilauerat pro Domino, nomen eius confitẽs & mortem contemnens. *Act.7.*

31 Sunt præterea Euangelistarum, aliaque infinita sanctorum martyrum exempla, sed nobis hæc sacrę scripturæ satis sint, quę si cui homini muliebri satis non sunt, nec satis vlla profecto erunt., quæ studio breuitatis, nec admodum in re clara postulante dubio, plura omittimus. Quare si exemplis hic sexus cum sexu congrediatur & in primis de constantia fidei inter se mulieres virique pugnent, certa à viris est victoria. Quamuis enim etiã mulieres martyres multæ sint, multo tamen plures sunt viri, siue sint æquales numero simul atque Zelo viri & mulieres, qnia adhuc vnam oblatrare mihi nugatoriam vetulam video. At iam illa mihi certe non cum mediocri sui sexus ignominia inuito extorquet, quod vel in gratiã vnius optimæ obuoluere silentio maluissem.

32 Sed † neque dicam etiam, ex te quæro delira, quæ somnijs credis, anicula; In Deum quis sexus magis atque sæpius, tuus, an virilis, blasphemus, contumeliosus, maledicus? Ab Ecclesia Dei viri an mulieres nefasto scelestoque facinore, pluries se abdicant; mares an fœminæ plures reperiuntur qui quęue Christo & omnibus ei, qui nomen dant, renunciant hostilemque animum perpetuo indicunt; contra vero dirissimi omnium piorum hostis mancipio se venundare, execranda & detestabili leuitate non verentur?

Vtique per frõtis pudorem mulieres, velut animi fenestram, pluresque animo tuo hærere veneficas quam veneficos prodis: Imo res ipsa loqnitur, artes magicas prope familiares & peculiares esse fœeminarum, vt *lib.9. Asini aurei* Apuleius dicit; quem referr Tiraquell. noster *in d.l.connub.9.n 30.in fin.* Sed & ratio est: Nam vt inquit Scribonius, quo imbecillior hominum natura est, & quo animus (vt est potissime mulierum, vt supra ostendimus) leuior, & ad nocendum paratior, eo etiam securior est, & facilius à Sathana ab vna sentina in aliam, quemadmodum mulier quoque prima, pertrahitur, seducitur, fallitur, decipitur.

33 Quamobrem † etiam lex diuina *Exod.22.* maleficas (nõ vero maleficos,)

leficos,) non finito viuere, inquit: & ipsa ad sexus fœminei magis quam masculini suspicionem in hisce artibus propensior: iuxta vulgatum:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.

Et quod maxima mulierum leuitas præcipue in causa sit, quod ad hanc perfidiam erga Deum & disciplinam Diabolicam procliuiores sint fœminæ quam viri, tradit expresse Dn. Gôdelmannus in tractat. suo illustri de lamijs *lib.3.c.5.*

In hanc igitur, inquit, Tragœdiam vt plurimum Diabolus inducit sexum fœmineum, lubricum, credulum, malitiosum, impotentis animi, melancholicum. Inprimis autem effœtas, stupidas, indoctas, menteque titubantes vetulas. Nam vt Chrysostomus ait, sexus mulierum incautus & mollis: incautus, quia non omnia quę videt & audit, cum sapientia & ratione considerat: mollis autem quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Et idem *in Epistol. ad Corinth. 2. Homil. 23.* dicit, mulierum proprium esse decipi. Quo nomine Euam conuenientius suæ persuasionis organum, non 34
Adam, in rerum primordijs, cum duo solum existerent homines, aggressus est, quem etiam leui disputationis velitatione vicit.

His igitur velut instrumentis congruis insidiatur, quibuscumque potest modis, suo tempore & loco singulas, postquam earum studia & affectus ex indicijs cognouit, peculiari aliqua ratione aggreditur, insectatur, allicit, vel assumpta plausibili forma vel cogitatione imaginationeque varie agitata & corrupta, donec tandem ipsius proposito consentiant, se ipsius persuasioni dedant, quicquid in mentem illi ingerat; credant, tanquam fœdere obligatæ ab illius nutu pendentes, ipsi obtemperantes, vera omnia esse, quæ suggerit ratæ.

Hæc ille.

CAPVT XVI.

De iustitia & prudentia & vitijs his oppositis agitur. Et illæ viris familiares & quasi peculiares: hęc vero mulierum propria cō-

tra quam supra ca.9. in acie muliebri perhibentur.

SVMMARIA.

1 *Non debent contaminare vniuersum sexum, quæ ab aliquibus viris commissa sunt flagitia.*
2 *Mulier virtute excellens rara auis.*
3 *Iustitiam nesciunt tractare mulieres.*
4 *Mulieribus in actionibus suis etiam prudentia & consilium deficit.*
5 *Plerunque malum muliebre consilium.*
6 *Debili mulieris consilio, scilicet Theodoræ Augustæ Imperatori Iustiniano differentiarum sexus in successionibus exæquatio dictata primum videtur.*
7 *Nihil in fraudem legum à mulieribus, tanquam legum ignaris factum censetur.*
8 *In officiis masculinum non continet fœmininum propter fragile sexus consilium.*
9 *Tum demum vir consulenti vxori, vt cum ancilla rem habeat, credat, si pulchra sit. Chassan.*
10 *Henricus IV. Hispanorum Rex, suæ coniugi, vt cum alio coiret, persuasit.*

SImiliter res sese habet in omnibus omnibus reliquis virtutibus quæ supra mulieribus per exempla adscripta sunt: iustitia scilicet prudentia, fortitudine, rei militaris scientia, temperantia, pudicitia, verecundia, & si quæ sunt aliæ.

Nequaquam enim ea aut quæcunque alia virtutum aliquarum in mulieribus exempla tanti momenti sunt, vt ea propter in aliquo virtutis genere mulierem viro capaciorem, aut æquiualentem indole idonea recte dicamus.

1 Nec † si quæ à viris commissa flagitia sunt, ea vniuersum sexum contaminant, hærent ea suis auctoribus merito, neque omnibus in genere viris tanquam ad ea natura pronis recte communicantur.

Viros enim ex nomine & re ipsa constat, ad virtutem magis aptos, mulieres autem tanquam molles ad eas esse plerunq; infirmiores, ac proinde ad vitia faciliores mobilioresque. Si quę vero est forte maio-

maioris & vltra sexus naturam admirabilis alicuius virtutis mulier, illa est:.

Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno. 2

vt dicit Tyraquellus, *in d.l.connub 9.n.134.*

Iustitia (ex qua vna virtute quis bonus dicitur, & in qua sola virtutis splendor maximus fulget, quaque sine laudabile nihil, (vt 5. *Ethic.* Philosophus deducit.) muliebri sexu, fere minus, quam vlla alia virtus tribui aut adscribi potest. Cum enim iusticia sit constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi, *l.1.pr.ff.pr.Inst.de iustic. & iur.* adeoque eius norma requirat, religionem erga Deum, erga parentes pietatem, vulgo bonitatem, hoc est, honestam vitam & sine vllius iniuria: creditis, in rebus fidem, in prœmijs & honoribus dispensandis dignitatem, in animaduertendi moderamine lenitatem, amicitiam denique in beneuolentia, vt eleganter Tullius in partitionibus & officijs scribit, & probatur, *per l. 1. 2. 3. ff. de inst. & iur. de vir. nat. gent. & ciu. & §. iurispracepta Inst. d.l. l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. pec. & alias passim de const. in nost. legib.* In omnib. his iustitiæ partib. maxime fœminam, at non æque virum deficere video. Nam illius quā sit flexibilis animus in religione erga Deum iam explicauimus. 3

In † omnibus autem iustis, decentibus & honestis actionibus atque consilijs secundum iustitiæ normam confirmandis, an non necessariam singularem aliquam prudentiam existimas? Certe hæc est ars boni & æqui, hæc prudentia iuris, quæ diuinarum & humanarū rerum scientiam iusti atque iniusti notitiam continet, *l.1.§.1.ff. &* §. 1. *Inst. d.t. de iust. & iur.* Debile autē & imbelle consiliū mulieris, exilis intellectus, iudicium tenue, imperfecta discretio, non ratio integra, adeo quidem vt sæpe etiam aduersus propria commoda eam laborare in confesso sit, *per sup. d.l. si pater in fi. C. de sponsalib.* & ea quæ præter sup. dictos tradit Panormitan. *in cons. 65. nu. 4. vol. 2.* Card. Paris. *cons. 75. n. 30. vol. 3.* Ioh. Iac. de Leon. *int. cons. Bruni, cons. 114.* post Sais *in consuetud. Turonens. tit. 32. art. 1. gl. 2. post prin.* & Cagnol. *in d.l. 2. num. 3. ff. de reg. iur.* Myns. *cons. 1. num. 13. arg. l. sicut, C. quand. mul. tut. off. fung.* sed & plerunque † in deterius muliebre consilium vt Tacitus *15. annal.* scribit: fraudulentum & malitiosum; etiam si licentia adsit violentum, sæuum, cruentum, ambitiosum: vt infra latius, vbi de fœminarum dominatu agendum erit, hoc edocebimus. 4 5

Quando autem talis iustitiam recte colere, scite eam administrare;

re; æquum ab iniquo discernere, licitum ab illicito separare perfecte noverit? Ex hac nimirũ imperfecta mulieris prudentia & intelli-
8 gentia, cum in alijs, tum maxime in iuris arte, hæc (de quibus agimus) differentiarum sexus in successionibus iniqua & detrimentosa iudicia irrepserunt primum, videlicet Imperatoris Iustiniani Theodora vxore, hæc dictitante. Quare vel in hac sola, quæ ab omnibus Imperatrix prudentissima habita fuit, quod infirmum muliebre sit iudicium apparet; & verum illud, quod supra ex Neuizano diximus: mulierum tot esse stultissimas, quod simpliciter stulte videntur esse
7 sapientes. Atque hinc nimirum est, quod nihil in fraudem legum a mulieribus, tanquam legum ignaris factum præsumitur, nisi hoc aliud euidentius suadeat, prout intelligitur, Accurs. *in l. vbi, ff. de edend.* vbi simpliciter dicit, quod dolus non præsumatur, ac ne lata quidem culpa in muliere, *per aliam, gl. in l. cum allegas, C. de vsufructu*, quæ modo de ius ignorantibus loquitur, per quam ibi etiam Bald. dicit, non præsumi in muliere fraudis consilium.

Et *in c. ad audientiam in fi. ex de rescript.* singulariter decidit idem Baldus, quod si testator aliquis fratres suos reliquisset executores, appellatione fratrum non continentur sorores, & generaliter in officijs masculinum non continere fœmininum, propter inualidum
8 fœminei sexus consilium: quamuis alias appellatione fratris etiam soror contineatur, *vt l. tres fratres, C. de pact.*

9 Et † ex eadem ratione Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi, *consid. 10. in fin. p. 2.* in ijs tantum mulierum consilijs credendum esse scribit, quæ ad virorum curam pertinent. Et amplius, quod si vxor viro aggredi consulat ancillam, illi tum demum si pulchra sit ancilla credendum sit, ad exemplum Saræ vxoris Abraham. Quod si tam verum esset atque iustum, quam raro mulieres hoc maritis suis persuadent, aut æquo saltem animo permittunt, Chassanço facile assentirer; sed forsitan nulla vnquam persuasit aut concessit hoc viro,
10 quod Henricus 4. Hispaniarum † Rex suæ præcepit coniugi, cum alio se coire teste Baptista Fulgosio, *lib. 9. c. 3.*

CAPVT XVII.

De muliebri fastu, superbia, ambitione, dominandi libidine, vitijs cognatis & mulieribus

bus admodum familiaribus & quasi genuinis tractatur.

SVMMARIA.

1 *Superbia fœminæ proprium.*
2 *Demarata Hieronis filia, & Harmonia Gelionis neptis superbia, quanta & quam ipsis damnosa fuerit.*
3 *Dominandi Polydectis cupiditas tanta fuit, vt de perdendo partu propter sceptra consilium ceperit.*
4 *Superbia & intemperies Theodora Iustiniani Imperatoris.*
5 *Testimonia Iurisconsultorum.*
6 *Superba res est pulchra mulier. Menand. & Ouid.*
7 *Herodis vxor proptor formam insolens.*
8 *Prouerbium: Te ipsum laudas, ac Astydamas mulier.*
9 *Non est inexpugnabilior fera, muliere. Aristoph.*

PORro hanc mulierum fatuitatem, quam illa sibi insulsa sui sexus ratione prudentiam persuadent, magis exaggerat quasi naturalis fastus illarum, superbia, ambitio, animusque semper in altum suspirans ex imo. Quo superbo tumentes spiritu adeo mente seducuntur, vt non possint cogitationes suas, quam sæpe sint violentæ, iniquæ, futiles, inanes, stultæ, nullæ, agnoscere.

Superbiam † autem fœminæ proprium esse Petrarcha, *lib. 2. de* 1
remed. vtriusq. fortunæ, dialog. 42. scribit, & apud Cor. Tacit. *lib. 3. hist. August.* Seuerus Cecinna dicit, muliebris sexus, si licentia adsit, sæuus ambitiosusq; & potestatis plerumq; auidus est. Id Liuius grauis author, *decad. 3. lib. 4.* Demaratæ Hieronis & Harmoniæ Gelio- 2
nis filiæ ac neptis exemplo comprobat; quas regijs animis inflatas & muliebri spiritu fuisse, atq; animos maritis regios regias cõiuges fecisse, alteri sc: Andronodoro, Hieronis, & alteri Themistio sc: Gelonis filias nuptas. At nouandarum rerum consilijs suis, additisq; viris, in turbato statu res occupandi monentes, vocibus, hunc tãdem populi clamorem in se suosque concitarunt, nullam earum viuere debere, nec quenquam superesse tyrannorum stirpis: sicut tum ex templo (vt non ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem & cædes irritent) etiam rogationem Prr. promulgarunt, acceptaq; pene priusquã promulgata est, vt omnis regia stirpis interficere-

ceretur, missisque a Prr. statim dictas filias cum sobole interfecerunt.

3 Similiter † adeo ambitiosa donationis, imperijque cupida fuit Polydectis Spartanorum Regis, fratris Lycurgi, prægnans relicta vidua, vt cum resciret posthumum natum marem adultum regni sceptra accepturum, de perdendo puero clanculum Lycurgo persuaserit, quo illi tum Spartæ imperanti nuberet, quod tamen ne fieret, caute prudenterque Lycurgus prospexit, vti in Lycurgo Plutarchus refert.

4 Talis † etiam fuit præfata Theodora Iustiniani vxor, vt super eius & reliquarum mulierum in potestatibus intemperie atrocitate & insolentia conqueritur Ægidius Perrinus in vita Iustiniani ab ipso conscripta.

5 Ex † nostris porro mulieres suapte natura esse superbas, tumentes atque elatas animis post Alberic. in l. aduersus, C. de crim. expil. hered. affirmat. Tyraquel. *in l. connub. 2. n. 1.* vbi multis exemplis & authoritatibus probat superbiam sexus fœmnei esse quasi genuinã eamque vel maxime adaugere formam, & speciem corporis autu-
6 mat. Nam, vt inquit, Menander † Comicus: Superba res est pulchra mulier. Et Ouid. 1, Fast.

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam.

Et idem 2. Eleg.

Dat facies animos: facie violenta Corinna.
Me miserum, cur est, tam bene nota sibi?
Scilicet a speculi sumuntnr imagine fastus.
Nec nisi compositam se prius illa videt.

Et Pontan. in Parthenopæo.

Et rigidos mores forma superba facit.

7 Sic † Herodis vxorem quamuis sobriam & modestam cognita formæ suæ pulchritudine, vltra modum insolentem fuisse legimus, quo etiam alius respexit Poeta, cum ait:

Formositati æqualis est superbia,
Vt qui placet, tibi d splicere appareat.

Atque ex hoc muliebri fastu plerunque videmus tantam mulierum, non insolentiam, nam hæc quidem vulgare vitium est: sed immanitatem, non modo vt vocem, sed ne quidem vultum iuxta se liberum alterius cuiusque ferre semet non vltra per inuidiam iactantes

rtes possint. Ambulant inanis vaneq; gloriæ arrogantia subnixæ, habentq; in se (vt Chrysost. *Homil.13.* ad Ephes. scribit.) quoddam vanum gloriæ studium.

Quamuis enim gloriosa prope omnis anima ratione prædita, maxime tamen muliebris: vt idem Chrysostomus alibi tradit, & refert Tyraquel. *in sæpe, d.l.9. connub. n.31.* vbi idem mulieribus tanquam naturæ peculiare ac genuinum tribuit, impendio sese atque incessanter laudare iactareq;: ex † quo etiam prouerbium natum sit: *te-* 8
ipsum laudas, perinde ac Astydamas mulier.

Sed & tanta sæpe hæc muliebris vanæ gloriæ cupiditas cum pertinacia coniuncta est, vt modo vel mori potius, quam ex sententia decedere, quandoq; mulieres malint, vel potius (vt cum Terent. in Eunucho loquar) nolint vbi velis, vbi nolis, cupiant vltro. Nam vt 9
Iustin. *lib.20. hist.* scribit, contumaces mulierum animi sunt: ac vt Aristophanes in Lysistrata testatur: nulla est fera inexpugnabilior muliere, imo rerum omnium inexpugnabilissima, vt Euripides in Oedipo dicit.

CAPVT XVIII.

Exagitatur mulierum auaritia, vitium teterrimum ac omnium muliebrium vitiorum fundamentum, similiter sexus genuinum contra quam sup. in acie cont. cap. 13. deductum est.

SVMMARIA.

1 *Auaritia genuinum est sexus muliebris vitium.*
2 *Contra sexus naturam est vt donet mulier.*
3 *Vice miraculi habetur cum mulier donat.*
4 *Quando donat mulier, seducta præsumitur.*
5 *Præsumptiones donationis in muliere propter innatam sexui auaritiam non habent locum.*
6 *Auaritia mulieres etiam fraudulentas facit.*
7 *Extra leges plus fraudis in fœmina quam mare, præsumitur.*

PORro non hac tantum parte imbecillis mulier longe est iniu-stior, vulgoq; peior, quin etiam amicis infestior viro: sed & a-uaritia, omniũ malorum radix, omniumq; vitiorum vitium te-terrimum, maxime eam contaminat: estque vt Seneca, *lib. 2. declam.* inquit; omnium muliebrium vitiorum imum fundamentum auari-
1 tia. Auarum autem præcipue genus muliebre dicit Cicero, *1. de Inuent.* & nullum concupiscentiæ muliebri thesaurum satis, etiam non si fluminibus fluxerit, *sermone 2* D. Basilius ait, quin auarissimũ sexum muliebrem omnes ICti, & Impp. exclamant.

2 Nam † incongruens & contra sexus naturam esse vt mulier largiatur Vlpianus, *in l. si stipulata 33. §. 1. in fine, ff. de donat. inter virum & vxorem.* asserere videtur: vnde *in l. sed si ego 4. in fi. ff ad. S.C.Vell.* facilius se obligare quam donare mulierem idem respondit. Et raro accidere vt sponsa suo sponso donationis titulo aliquid largiatur: Imperator Constantinus, *in l. si a sponso 16. C. de donat. ante nupt.* rescripsit.

Atq; auarissimum genus muliebre esse ait Accursius, *in d. l. sed si ego, d. l. si a sponso, l. Nesenius, ff. de neg. gest.* ✠ *2. C. de his, qui ven. atat.*
3 *impetr. l. qua dotis, & ibid.* Bart. *n. 1. ff. solut. matrim.* Quia vice miraculi habetur cum mulier donat, vt Bald. dicit, *in d. l. si a sponso.* Estque contraria naturæ mulierum liberalitas vt Butrigar autumat, quam quippe improbam, auaram ac rapacem, *in Ecclog. 4.* Mantuanus arguit.

4 Quare † & seductas eas circumuentasque præsumi quando quicquam largiuntur idem Butrius, *cons. 45. in prin.* respondit, quod sequitur etiam Socin. *cons. 10. vol 4.* & Purpurat. *in l. cum quid, vol. 18. versic. secundo, ff. si cert. pet.* vbi dum licet, inquit, multæ sint conie-
5 cturæ donationis, illis a Bart. & alijs descriptæ, tamen non procedunt in muliere, quæ sua natura auara est nec facile donat, quæ præsumptio etiam alias coniecturas tollit, *per l. Diuus. ff. de integr. restit.* prout refert noster Tyraquellus, *in d. l. 9. num. 44.* vbi idem quoque affirmat, huic malo videlicet auaritiæ, mulieres esse veluti naturali sexus vitio deditissimas.

Atque idem summatim sentiunt Roman. *in l. de quæst. n. 35. C. de pact.* *Socin. sen. cons. 214. n. 10. vol. 2.* Bart. *cons. 124. nu. 2. & cons. 127. n. 1. vol. 1.* Mandellus, *cons. 77. num. 26.* Boer. *in consuetud. Bitur. tit. de stat. vers. §. 4. gl. 1.* Mascard. *in tract. de probat. conclus. 1036. num. 29.* vbi plu-

plura concordantia adducit, *& nu.30.* subdit, ob istam auaritiam in muliere donationem non præsumi, *dd. iuribus*, cui nouissime subscribit etiam Bonifac. *in tract. de furt. §. animo lucrandi, &c. n. 194.* & plerique omnes.

Dum vero *solos* (vt cum Fausto loquar) *petit improba nummos.*

Fœmina per cunctum surgit auara nefas.

Hinc crudele genus nec fidum fœmina nomen;

vt Tibullus dicit: & in fœminis fidem videre non est, & ex sermone 6
mulieris difficile accipere fidem, Menander conqueritur. Neq; igitur in rebus creditis mulieri fides, ne crede tui ipsius vitam illi, non illi super te potestatem vllam committe, *Eccles. 33.*

Sidera non tot habet cœlum, nec flumina pisces,

Quot scelerata gerit fœmina mente dolos,

ludit Claudius: nec minus pulchre Faustus:

Cuncta sub astrigero regnantia crimina cœlo,

Nutrit in æternos fœmina nata dolos.

Sunt enim ad inueniendas fraudes ingeniosæ cum primis mulieres, & ad decipiendum adeo consuetæ, vt quascunque fraudes, fallacias, dolos, vota dictaque perfida, mendacia, periuria sui quodammodo sexui iure sibi vendicent, Sic namque dicit, *in Octau.* Seneca.

Mulier dedit natura cui pronum malo

Animum, ad nocendum pectus instruit dolis.

Et idem in Hyppolyto:

Instruitur omnis fraude fœminea dolus.

Cui concinne etiam Propertius alludit.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes,

Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Et in Danae Euripides

Sic enim dici solet, mulieribus artes

Curæ esse, viros autem iaculandi peritiores.

Nam si dolis victoriam nancisci liceret

Nos sane viris imperaremus.

Et similia plura in hanc sententiam congessit Tyraquellus in *d. l. connub. 9. n. 47. & seqq.*

Proinde licet circa legum fraudes forte propter ignorantiam iuris excusationem mereatur mulier: tamen extra eas & in cæteris 7
fraudulentis machinationibus, plus fraudis & doli in fœminis quam in ma-

in masculis præsumimus, prout idem adstruit Tyraquellus, *in dict. l. 9. num. 48.*

CAPVT XIX.

Luxuria quoque maior in fœminis quam in viris præsertim in libidinibus Venereis detegitur, contra quam sup. acie cont. cap. 12. dictum est.

SVMMARIA.

1 *Obiectio: Quia mulier auara, eadem non videtur esse luxuriosa.*
2 *Solutio.*
3 *Mulieres tot pene luxuriosæ, quot auaræ.*
4 *Sunt mulieres in rapinis turpibus auaræ, in sumptibus fœdis effusæ. Apul.*
5 *In rebus turpibus sunt audaciusculæ, in honestis timidæ.*
6 *Secunda obiectio, & eius solutio.*
7 *Maxime in rebus venereis mulieres sunt libidinosæ.*
8 *Fœmina a femore, veluti Veneris sede dicta, quod tamen improbat Tyraquellus.*
9 *Libidinosissimam mulierem testantur Salomon, Syrach, & Aristoteles.*
10 *Mulier cum desiderio desiderat virum.*
11 *Fœmina sine viro imperfecta, propter os vuluæ abhorrente natura vacuum.*
12 *Poetarum de immensa mulierum libidine testimonia.*
13 *Mulieres quæ propter extremam impudicitiam perpetua infamia notatæ sunt.*
14 *Messalina vna nocte quinto & vicesimo concubitu vicit.*
15 *Semiramis quam libidinosa.*
16 *Sapho quam docta, tam vitæ turpitudine infamis.*
17 *Semproniæ Romanæ incontinentia.*
18 *Præciæ vita libidinosa.*
19 *Sabina Poppea cuncta, præter animum honestum habuit.*

20 Ex-

20 Exempla mulierum quæ etiam libidinis pruritu crudeles in maritos extitere.
21 Talis Septimij Senatoris Romani vxor.
22 Lucini vice Comitis Mediolanensis vxor.
23 Chilperici Francorum Regis vxor.
24 De Ægyptiorum vxoribus elegans historia.
25 Quintilla nunquam se virginem meminit.
26 Duæ Iuliæ, mater & filia, libidinosissimæ.
27 Myrrha patrem Cinyram amauit.
28 Semiramis Nini, Agrippina Neronis, filiorum suorum concubitus expetiuere.
29 Biblida arsit amore fratris: item Canace.
30 Quædam etiam cum iumentis concumbere solitæ.

NVnc vero an etiam luxuriosas atque asote intemperantes, hoc est, in res turpes pecuniam profundẽtes dicemus mulieres? supra earum diligentiam in re familiari maximam commendauimus; modo summam in ijsdem auaritiam reprehendimus. Illa † scilicet 1 diligentia vxoris domestica, nihil inutiliter, largius & turpiter effundit, dissipat, disperdit: hæc, videlicet auaritia, ad diuitias per fas & nefas sine fine acquirendas inexplebili auiditate inflammat. Porro animus luxuriosus ad explendas suas libidines & voluptates nulli rei parcit.

Proinde mulieres siue matres familiarũ industrios collaudemus, siue auaritiæ deditas condemnemus, easdem simulatq; luxuriæ probro notare non posse videmur; estque hoc forte rationis captu alicui prima fronte difficilius: sed expendat is rem penitius, capietque eam facilius. Nam † verum quidem id est, vnice ad turpis lucri quæstum 2 intentum, non esse nimium contraria luxuriæ intentione sumptuosum; itemq; auarum, quatenus auarus est, propositum solum finem lucri habere.

Sed quid si auarus luxuriosusq; simul & auaritiæ quæstum exerceat; & voluptatibus indulgeat: vtique sic in eodem mulieris domicilio & auaritiam & luxuriam conciliare possumus.

Quod itaque dicitur primum, auaritiam pellere luxuriam, nec simul & auaras & luxuriosas, adeoque vitijs oppositis deditas esse posse mulieres, verum ita limitatur, si auara luxuriosaque simul vnicum tantum eundemque finem respiciat, & quærat vel lucrum tantum

vel voluptates. Tum enim lucri cupidinem sumptuosa expellit luxuria, neque parca finit in voluptates aliquid insumere auaritia; adque vt non potest mulier eo, quo est auara, amore studioque nummi eodem tum etiam dici luxuriosa, quemadmodum & è contra, ea, quę voluptatibus indulget, libidine, eadem luxuriosa appellari potest. Verum auara quæcunque est, habet ea in desiderio turpe lucrum, & luxuriosa quæcunque est, voluptatibus ea turpiter inseruit. At turpe lucrum quærere, simulque voluptatibus animum concedere, aliud quam temperantiæ oppositæ scilicet virtutis studium, nihil impedit.

Temperantiam ergo in muliere si sustuleris, eadem auara luxuriosaque simul esse facile potest: luxuriosa propter voluptates, auara propter aurum, quod forte vel etiam propter voluptates auidius ap-
3 petit. Vnde † mulieres tot, pene dixerim, sunt luxuriosæ, quot auaræ. Quam enim in turpibus ddsiderijs sint immoderatæ; quam in cultu corporis profusæ, quam in mundo muliebri, vestibus & ornamentis coemendis largæ: quam denique nulli rei parcant, sæpeque iam stimulatæ libidinis pruritu in delicias, suisque magis quo placeant viris atque procis, tota patrimonia congerant, res ipsa loquitur.
4 Contra vero in hisce voluptatibus suis, quo largiores esse possint, quam sint in sumptibus honestis, vel ad victum cultumque familiæ largiendis nimium parcæ ac tenaces, adeoq; (vt Apul. *lib. 9. Metaph.* dicit) in rapinis turpibus auarę, in sumptibus fœdis effusę: itidem experientia prodit. Sicque semper, vt *Satyr. 6.* Iuuenal. testatur:

Fortem animum præstant rebus quas turpiter audent:

5 Atque † in tupibus, obscænis venereisque actibus sunt audaciusculæ: in honestis vero, licitis, ac laudabilibus negotijs egregia virtute peragendis intempestiua temperantia continentiores, ac prope timidæ non minus, quam in atrociori crimine aliquo eas pro sui sexus infirmitate esse solere, Impp. testãtur, *in l. quisquis 6. C. ad l. Iul. maiest.*
6 Deinde quod † dictum est, auaritiæ quæstum propter domesticas curas & occupationes, mulieres exercere minus posse, easque vt plurimum administratione familiæ, & eorũ quæ à viris quæsita, domoque illata sunt custodiæ & conseruationi tantum vacare: neque hoc quidem modo ab auaritia penitus excusari mulieres possunt. Licet enim diligens in re familiari cura & solicitudo, erogatio parca, manusque tenax, non auaritiam, sed potius commendabilem vxoris in

domo

domo fidem erga maritum pro pane foris desudantem præ se ferat: tamen infixum animo hæret vitium: suntq; vere mulieres etiam domi cupidissimæ: dumq; in partis fideliter tuendis diligentiæ laudem aucupantur, nimia tenacitate in auaritiæ culpam incidunt.

Quare non auaras tantum, sed etiam luxuriosas mulieres non inconuenienter dicimus. Maxime †autem propter res & libidines venereas, quibus mulieres imprimis esse deditissimas vnanimiter omnes consentiunt. Quidam vero etiam adeo in Venerem pronas has 7
magis quam viros autumãt, vt hinc, tanquam ex reipsa fœminas à femore, veluti Veneris sede, dictas arbitrentur. Cui tamen †Etymologiæ (vt Tiraquell. admonet *in d.l.9.n.87.*) primo repugnat, quod fœ- 8
mina cũ diphtongo prima producta, femora siue femina sine diphtongo, prima correpta, scribimus.

Deinde femora exteriorem, femina vero interiorem coxarum partem significant, teste Tibullo, cum ait:

Implicuitque femur femini.

Quamuis vtrumque confundat Ouidius *3. met.*

Lasciuium femori supposuitque femur.

Omnium autem maxime libidinosam mulierem idem Tiraquel. 9
in d.l.9.n.94. adstruit ex trium summæ auctoritatis scriptorum consensu, Salomonis, Sirach & Aristotelis. Quarum ille os vuluæ inter insatiabilia connumerat: *Prouerbior.30.* Alter in suo Oeconomico capite 36. Omnem, inquit, masculum excipiet fœmina. Hic *problem.27.* mulieres esse insatiabiles scribit. Ita vero plerunq; scriptura 10
loquitur, mulier desiderabit virum cum desiderio Sic *Gen. 3. vers.6.* dixit Dominus ad mulierem, & ad virum erit desiderium tuum, quẽ locum ita quoq; (quamuis aliter Lutherus & Attopeus exponunt:) ꝙ etsi viri consuetudo multarũ afflictionũ causa futura, nec sic tamẽ congressum eius vitatura, ꝗn semper desideriũ cupiditatẽ & amorẽ suum ad virũ sit directura. Scribunt n. Hebræi magnam esse maledictionem mulieri, quod omnis isthæc afflictio & angustia obuenerit illi ex parte mariti: & nihilominus tamẽ cupiditate sua ad illum tota fertur. Præter naturam enim est, hominem diligere eum, qui sibi malum facit. Vnde mulierum in viri amor excedit reliquos amores. Atque hinc est quod dicit Dauid: (Mirabilis factus est mihi amor tui super amorem mulierum, *2. Sam.1. vers.26.*) Ardentius ergo in fœminis quam in viris desiderium.

Quare

tes possint. Ambulant inanis vaneq; gloriæ arrogantia subnixæ, habentq; in se (vt Chrysost. *Homil.13.* ad Ephes. scribit.) quoddam vanum gloriæ studium.

Quamuis enim gloriosa prope omnis anima ratione prædita, maxime tamen muliebris: vt idem Chrysostomus alibi tradit, & refert Tyraquel. *in sæpe, d.l.9. connub. n.31.* vbi idem mulieribus tanquam naturæ peculiare ac genuinum tribuit, impendio sese atque incessanter laudare iactareq;: ex † quo etiam prouerbium natum sit: *te- 8
ipsum laudas, perinde ac Astydamas mulier.*

Sed & tanta sæpe hæc muliebris vanæ gloriæ cupiditas cum pertinacia coniuncta est, vt modo vel mori potius, quam ex sententia decedere, quandoq; mulieres malint, vel potius (vt cum Terent. in Eunucho loquar) nolint vbi velis, vbi nolis, cupiant vltro. Nam vt 9
Iustin. *lib.20. hist.* scribit, contumaces mulierum animi sunt: ac vt Aristophanes in Lysistrata testatur: nulla est fera inexpugnabilior muliere, imo rerum omnium inexpugnabilissima, vt Euripides in Oedipo dicit.

CAPVT XVIII.

Exagitatur mulierum auaritia, vitium teterrimum ac omnium muliebrium vitiorum fundamentum, similiter sexus genuinum contra quam sup. in acie cont. cap. 13. deductum est.

SVMMARIA.

1 *Auaritia genuinum est sexus muliebris vitium.*
2 *Contra sexus naturam est vt donet mulier.*
3 *Vice miraculi habetur cum mulier donat.*
4 *Quando donat mulier, seducta præsumitur.*
5 *Præsumptiones donationis in muliere propter innatam sexui auaritiam non habent locum.*
6 *Auarita mulieres etiam fraudulentas facit.*
7 *Extra leges plus fraudis in fœmina quam mare, præsumitur.*

POrro non hac tantum parte imbecillis mulier longe est iniustior, vulgoq; peior, quin etiam amicis infestior viro: sed & auaritia, omnium malorum radix, omniumq; vitiorum vitium teterrimum, maxime eam contaminat: estque vt Seneca, *lib. 2. declam.* inquit; omnium muliebrium vitiorum imum fundamentum auari-
1 tia. Auarum autem præcipue genus muliebre dicit Cicero, *1. de Inuent.* & nullum concupiscentiæ muliebri thesaurum satis, etiam non si fluminibus fluxerit, *sermone 2.* D. Basilius ait, quin auarissimū sexum muliebrem omnes ICti, & Impp. exclamant.

2 Nam † incongruens & contra sexus naturam esse vt mulier largiatur Vlpianus, *in l. si stipulata 33. §. 1. in fine, ff. de donat. inter virum & vxorem.* asserere videtur: vnde *in l. sed si ego 4. in fi. ff. ad. S.C. Vell.* facilius se obligare quam donare mulierem idem respondit. Et raro accidere vt sponsa suo sponso donationis titulo aliquid largiatur: Imperator Constantinus, *in l. si a sponso 16. C. de donat. ante nupt.* rescripsit.

Atq; auarissimum genus muliebre esse ait Accursius, *in d. l. sed si ego, d. l. si a sponso, l. Nesenius, ff. de neg. gest. l. 2. C. de his, qui ven. atat.*
3 *impetr. l. qua dotis, & ibid.* Bart. *n. 1. ff. solut. matrim.* Quia vice miraculi habetur cum mulier donat, vt Bald. dicit, *in d. l. si a sponso.* Estque contraria naturæ mulierum liberalitas vt Butrigar autumat, quam quippe improbam, auaram ac rapacem, *in Ecclog. 4.* Mantuanus arguit.

4 Quare †, & seductas eas circumuentasque præsumi quando quicquam largiuntur idem Butrius. *cons. 45. in prin.* respondit, quod sequitur etiam Socin. *cons. 10. vol 4.* & Purpurat. *in l. cum quid, vol. 18. versic. secundo, ff. si cert. pet.* vbi dum licet, inquit, multæ sint conie-
5 cturæ donationis, illis a Bart. & alijs descriptæ, tamen non procedunt in muliere, quæ sua natura auara est nec facile donat, quæ præsumptio etiam alias coniecturas tollit, *per l. Diuus ff. de integr. restit.* prout refert noster Tyraquellus, *in d. l. 9. num. 44.* vbi idem quoque affirmat, huic malo videlicet auaritiæ, mulieres esse veluti naturali sexus vitio deditissimas.

Atque idem summatim sentiunt Roman. *in l. de quast. n. 35. C. de pact.* Socin. *sen. cons. 214. n. 10. vol. 2.* Bart. *cons. 124. nu. 2. & cons. 127. n. 1. vol. 1.* Mandellus, *cons. 77. num. 26.* Boer. *in consuetud. Bitur. tit. de stat. pers. §. 4. gl. 1.* Mascard. *in tract. de probat. conclus. 1036. num. 29.* vbi plu-

plura concordantia adducit, *& nu.30.* subdit, ob istam auaritiam in muliere donationem non præsumi, *dd. iuribus*, cui nouissime subscribit etiam Bonifac. *in tract. de furt. §. animo lucrandi, &c. n. 194.* & plerique omnes.

Dum vero *solos* (vt cum Fausto loquar) *petit improba nummos.*
Fœmina per cunctum surgit auara nefas.
Hinc crudele genus nec fidum fœmina nomen;

vt Tibullus dicit: & in fœminis fidem videre non est, & ex sermone 6
mulieris difficile accipere fidem, Menander conqueritur. Neq; igitur in rebus creditis mulieri fides, ne crede tui ipsius vitam illi, non illi super te potestatem vllam committe, *Eccles. 33.*

Sidera non tot habet cælum, nec flumina pisces,
Quot scelerata gerit fœmina mente dolos,

ludit Claudius: nec minus pulchre Faustus:

Cuncta sub astrigero regnantia crimina cælo,
Nutrit in aeternos fœmina nata dolos.

Sunt enim ad inueniendas fraudes ingeniosæ cum primis mulieres, & ad decipiendum adeo consuetæ, vt quascunque fraudes, fallacias, dolos, vota dictaque perfida, mendacia, periuria sui quodammodo sexui iure sibi vendicent, Sic namque dicit, *in Octau.* Seneca.

Mulier dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum: pectus instruit dolis.

Et idem in Hyppolyto:

Instruitur omnis fraude fœminea dolus.
Cui concinne etiam Propertius alludit.
Sed vobis facile est verba & componere fraudes,
Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Et in Danae Euripides

Sic enim dici solet, mulieribus artes
Curæ esse, viros autem iaculandi peritiores.
Nam si dolis victoriam nancisci liceret
Nos sane viris imperaremus.

Et similia plura in hanc sententiam congessit Tyraquellus in *d. l. connub. 9. n. 47. & seqq.*

Proinde licet circa legum fraudes forte propter ignorantiam iuris excusationem mereatur mulier: tamen extra eas & in cæteris 7
fraudulentis machinationibus, plus fraudis & doli in fœminis quam in ma-

in masculis præsumimus, prout idem adstruit Tyraquellus, *in dict. l. 9. num. 48.*

CAPVT XIX.

Luxuria quoque maior in fœminis quam in viris præsertim in libidinibus Venereis detegitur, contra quam sup. acie cont. cap. 12. dictum est.

SVMMARIA.

1 *Obiectio: Quia mulier auara, eadem non videtur esse luxuriosa.*
2 *Solutio.*
3 *Mulieres tot pene luxuriosæ, quot auaræ.*
4 *Sunt mulieres in rapinis turpibus auaræ, in sumptibus fœdis effusæ. Apul.*
5 *In rebus turpibus sunt audaciusculæ, in honestis timidæ.*
6 *Secunda obiectio, & eius solutio.*
7 *Maxime in rebus venereis mulieres sunt libidinosæ.*
8 *Fœmina a femore, veluti Veneris sede dicta, quod tamen improbat Tyraquellus.*
9 *Libidinosissimam mulierem testantur Salomon, Syrach, & Aristoteles.*
10 *Mulier cum desiderio desiderat virum.*
11 *Fœmina sine viro imperfecta, propter os vuluæ abhorrente natura vacuum.*
12 *Poetarum de immensa mulierum libidine testimonia.*
13 *Mulieres quæ propter extremam impudicitiam perpetua infamia notatæ sunt.*
14 *Messalina vna nocte quinto & vicesimo concubitu vicit.*
15 *Semiramis quam libidinosa.*
16 *Sapho quam docta, tam vita turpitudine infamis.*
17 *Sempronia Romana incontinentia.*
18 *Pracia vita libidinosa.*
19 *Sabina Poppea cuncta, præter animum honestum habuit.*

20 *Ex-*

20 *Exempla mulierum quæ etiam libidinis pruritu crudeles in maritos extitere.*
21 *Talis Septimij Senatoris Romani vxor.*
22 *Lucini vice Comitis Mediolanensis vxor.*
23 *Chilperici Francorum Regis vxor.*
24 *De Ægyptiorum vxoribus elegans historia.*
25 *Quintilla nunquam se virginem meminit.*
26 *Duæ Iuliæ, mater & filia, libidinosissimæ.*
27 *Myrrha patrem Cinyram amauit.*
28 *Semiramis Nini, Agrippina Neronis, filiorum suorum concubitus expetiuere.*
29 *Biblida arsit amore fratris: item Canaca.*
30 *Quædam etiam cum iumentis concumbere solita.*

NVnc vero an etiam luxuriosas atque asote intemperantes, hoc est, in res turpes pecuniam profundẽtes dicemus mulieres? supra earum diligentiam in re familiari maximam commendauimus; modo summam in ijsdem auaritiam reprehendimus. Illa † scilicet 1 diligentia vxoris domestica, nihil inutiliter, largius & turpiter effundit, dissipat, disperdit: hæc, videlicet auaritia, ad diuitias per fas & nefas sine fine acquirendas inexplebili auiditate inflammat. Porro animus luxuriosus ad explendas suas libidines & voluptates nulli rei parcit.

Proinde mulieres siue matres familiarũ industrios collaudemus, siue auaritiæ deditas condemnemus, easdem simulatq; luxuriæ probro notare non posse videmur; estque hoc forte rationis captu alicui prima fronte difficilius: sed expendat is rem penitius, capietque eam facilius. Nam † verum quidem id est, vnice ad turpis lucri quæstum 2 intentum, non esse nimium contraria luxuriæ intentione sumptuosum; itemq; auarum, quatenus auarus est, propositum solum finem lucri habere.

Sed quid si auarus luxuriosusq; simul & auaritiæ quæstum exerceat, & voluptatibus indulgeat: vtique sic in eodem mulieris domicilio & auaritiam & luxuriam conciliare possumus.

Quod itaque dicitur primum, auaritiam pellere luxuriam, nec simul & auaras & luxuriosas, adeoque vitijs oppositis deditas esse posse mulieres, verum ita limitatur, si auara luxuriosaque simul vnicum tantum eundemque finem respiciat, & quærat vel lucrum tantum

vel voluptates. Tum enim lucri cupidinem sumptuosa expellit luxuria, neque parca finit in voluptates aliquid insumere auaritia; adque vt non potest mulier eo, quo est auara, amore studioque nummi eodem tum etiam dici luxuriosa, quemadmodum & è contra, ea, quę voluptatibus indulget, libidine, eadem luxuriosa appellari potest. Verum auara quæcunque est, habet ea in desiderio turpe lucrum, & luxuriosa quæcunque est, voluptatibus ea turpiter inseruit. At turpe lucrum quærere, simulque voluptatibus animum concedere, aliud quam temperantiæ oppositæ scilicet virtutis studium, nihil impedit.

Temperantiam ergo in muliere si sustuleris, eadem auara luxuriosaque simul esse facile potest: luxuriosa propter voluptates, auara propter aurum, quod forte vel etiam propter voluptates auidius ap-
3 petit. Vnde † mulieres tot, pene dixerim, sunt luxuriosæ, quot auaræ. Quam enim in turpibus ddsiderijs sint immoderatæ; quam in cultu corporis profusæ, quam in mundo muliebri, vestibus & ornamentis coemendis largæ: quam denique nulli rei parcant, sæpeque iam stimulatæ libidinis pruritu in delicias, suisque magis quo placeant viris atque procis, tota patrimonia congerant, res ipsa loquitur.
4 Contra vero in hisce voluptatibus suis, quo largiores esse possint, quam sint in sumptibus honestis, vel ad victum cultumque familiæ largiendis nimium parcæ ac tenaces, adeoq; (vt Apul. *lib. 9. Metaph.* dicit) in rapinis turpibus auarę, in sumptibus fœdis effusę: itidem experientia prodit. Sicque semper, vt *Satyr. 6.* Iuuenal. testatur:

Fortem animum præstant rebus quas turpiter audent:

5 Atque † in tupibus, obscænis venereisque actibus sunt audaciusculæ: in honestis vero, licitis, ac laudabilibus negotijs egregia virtute peragendis intempestiua temperantia continentiores, ac prope timidæ non minus, quam in atrociori crimine aliquo eas pro sui sexus infirmitate esse solere, Impp. testãtur, *in l. quisquis 6. C. ad l. Iul. maiest.*
6 Deinde quod † dictum est, auaritiæ quæstum propter domesticas curas & occupationes, mulieres exercere minus posse, easque vt plurimum administratione familiæ, & eorũ quæ à viris quæsita, domoque illata sunt custodiæ & conseruationi tantum vacare: neque hoc quidem modo ab auaritia penitus excusari mulieres possunt. Licet enim diligens in re familiari cura & solicitudo, erogatio parca, manusque tenax, non auaritiam, sed potius commendabilem vxoris in domo

domo fidem erga maritum pro pane foris desudantem præ se ferat: tamen infixum animo hæret vitium:suntq; vere mulieres etiam domi cupidissimæ:dumq; in partis fideliter tuendis diligentiæ laudem aucupantur,nimia tenacitate in auaritiæ culpam incidunt.

Quare non auaras tantum,sed etiam luxuriosas mulieres non inconuenienter dicimus. Maxime †autem propter res & libidines venereas,quibus mulieres imprimis esse deditissimas vnanimiter omnes consentiunt. Quidam vero etiam adeo in Venerem pronas has 7
magis quam viros autumāt,vt hinc, tanquam ex reipsa fœminas à femore,veluti Veneris sede,dictas arbitrentur. Cui tamen †Etymolo- 8
giæ (vt Tiraquell.admonet *in d.l.9.n.87.*) primo repugnat,quod fœmina cū diphtongo prima producta, femora siue femina sine diphtongo,prima correpta,scribimus.

Deinde femora exteriorem, femina vero interiorem coxarum partem significant,teste Tibullo,cum ait:

Implicuitque femur femini.

Quamuis vtrumque confundat Ouidius *3.met.*

Lasciuium femori supposuitque femur.

Omnium autem maxime libidinosam mulierem idem Tiraquel. 9
*in d.l.9.n.94.*adstruit ex trium summæ auctoritatis scriptorum consensu,Salomonis,Sirach & Aristotelis. Quarum ille os vuluæ inter insatiabilia connumerat: *Prouerbior.30.* Alter in suo Oeconomico capite 36. Omnem, inquit, masculum excipiet fœmina. Hic *problem:27.*mulieres esse insatiabiles scribit. Ita vero plerunq; scriptura 10
loquitur, mulier desiderabit virum cum desiderio Sic *Gen.3.vers.6.* dixit Dominus ad mulierem,& ad virum erit desiderium tuum, quē locum ita quoq; (quamuis aliter Lutherus & Artopeus exponunt:) ꝙ etsi viri consuetudo multarū afflictionū causa futura, nec sic tamē congressum eius vitatura, qn semper desideriū cupiditatē & amorē suum ad virū sit directura. Scribunt n. Hebræi magnam esse maledictionem mulieri, quod omnis isthæc afflictio & angustia obuenerit illi ex parte mariti: & nihilominus tamē cupiditate sua ad illum tota fertur. Preter naturam enim est,hominem diligere eum,qui sibi malum facit. Vnde mulierum in viri amor excedit reliquos amores. Atque hinc est quod dicit Dauid: (Mirabilis factus est mihi amor tui super amorem mulierum,*2.Sam.1.vers.26.*) Ardentius ergo in fœminis quam in viris desiderium.

Quare

Quare (vt Bonifac. Cæua in libro de vitijs eodem Tiraquello teste scribit) fœmina ex coniunctione viri, vir autem ex se sine fœmina perficitur.

11 Vir † enim nihil habet in toto corpore quod repleri appetat: fœmina vero semper cupit adimpleri locum vacuum, abhorrente natura vacuum. Atque hinc facilius se prostituunt fœminę quam decidunt viri;

12 leuior in illis non in his est fornicatio, vt pluribus probat Tiraquellus, præcipue his ex Propertio.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos
Altaque mortali deligere astra manu:
Quam facere vt voluit nostra peccare puella
Is mos Saturno regna tenente fuit.
Et cum Deucalionis aqua fluxere per orbem
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi quis potuit lectum seruare pudicum?
Qua Dea cum solo viuere sola Deo?

Et Ouid. *3. de art. amand.*

Prima tua menti veniat fiducia, cunctas
Posse capi, capies, tu modo tende plagas.
Vere prius volucres, taceant æstate cicadæ,
Menacius lepori det sua terga canis:
Fœmina quam iuueni blande tentata repugnet,
Hac quoque qua poteris credere nolle volet.

13 Plurimas † vero mulieres legimus, quæ propter extremam impudicitiam velut sexus dedecus, perpetua infamia notatę sunt. De Mes-

14 salina Claudij Cæsaris vxore scriptores referunt, quod Lyciscæ prostitutæ mulieris nomen mentita, portentosam suam libidinē vt expleret, sæpe sub noctem lupanar adierit; & cum famosissimis meretricij quæstus scortis, ex re fœdissima palmam sibi quærēs, coitu certauerit; quam cum pluries reportasset, tamen semel ex prouocatione nobilissimam è prostitutis ancillam die ac nocte quinto ac vicesimo concubitu egregie superauit; meminit Tacitus *lib.* 11. *Plin. lib.* 10. *c.* 36. Zonar. *an. tom.* 2. Rauis. Sext. Aurel. in Claud. ita vero Horatius Satyr. 6.

Intrauit calidum veteri centone lupanar.
Et cellam vacuam atque suam; hinc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lycisca,

Osten-

Ostenditque tuum, generose Britannice ventrem,
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.
Mox lenone suas iam dimittente puellas
Tristis abijt, sed quod potuit tamen vltima cellam
Clausit, bdhuc ardens rigida tentigine vulua:
Et lassata viris nondum satiata recessit.

Semiramis libidine ardens, sanguinem sitiens, inter stupra & homicidia versata, quos ad coitum acciuerat, occidit. Filio flagitiose cōcepto, impie exposito, incesti cognito, priuatam ignominiam scelere publico obtexit, præcepitque, vt inter parentes & filios nulla delata reuerentia naturæ de coniugijs appetendis quodcunq; libitum esset liceret, vti *lib. 1.* Orosius scribit. 15

Sed & † cuius supra meminimus laudabiliter, nunc eiusdem detegimus turpitudinem: quæque ingenio & doctrina præ cæteris eminebat, eadem infamia vitę nulli secunda Sapho erat. Amatores enim curiose perquirebat, summo ambiebat studio, & amoris accensa furore, omne lasciuiæ genus dicto factoque exercebat: vt testatur de ea Plutarch. *de orac. Pyth.* 16

Tanta quoque libidine Sempronia Romana accensa fuit, vt (Salustio *in Iugurt.* teste) sæpius illa viros, à viris quam peteretur, peteret. 17

Præcia in Sicilia, formæ quidem venustate, verborum lepore, ac comitate nulli posterior; sed vita impurissimo scorto nequaquam eadem præstantior fuit. Plutarch. *in Lucul.* 18

Similiter † Tacit. *lib. 13.* de Sabina Poppea refert, quod cuncta alia præter animum honestum habuerit. Quippe matrem eius ætatis 19 fœminarum supremam pulchritudine, gloriam pariter & formam dedisse: opes claritudini generis suffecisse; sermonem blandum, nec absurdum ingenium, modestiam quoque vultu præ se tulisse: famæ vero pepercisse nunquam, maritos ab adulteris eam dignouisse.

Quædam † vero etiam impudicæ simulatque in maritos nefaria libidine crudeles extitere. 20

De Septimij Senatoris Romani vxore Appianus *lib. 4. de bel. ciu.* 21 memoriæ prodidit: quod cum ille à Triumuiris proscriptus fugam meditatus esset: hæc fugę conscia, ab Antonij familiari quodam corrupta, & ex adulterio ad nouas nuptias transire cupiens, domus fores

cluserit, occultasq; tam diu tenuerit, quoad percussores aduenerint, ea quoque ipsa die qua maritus eius à fraude impia peremptus fuerit, illa cum adultero nuptias celebrarit.

22 Similiter † Luchini Vice Comitis Mediolanensis vxor impudica, cum incestu & adulterijs viro esset suspecta, pœnam flagitij à Seuero marito verita, mixto poculis veneno eum è medio tollendum putauit, vt *elog.2.* Iouius scribit.

23 Chilpericum quoque nonum Francorum Regem eadem hęc fortuna ab vxoris perfidia secuta est. Cum enim is ad venationem profecturus forte in cubiculum vxoris intrasset, & eam capillum siccantem inuenisset; virga quam manu gestabat, leniter ipsius caput per lusum tetigit. Illa non Regem, sed Landricum Magistrum equitum, cuius consuetudine vtebatur, adesse, & secum amatorie colludentē putans, risu obtorto Melandrice, inquit, frontem vir fortis pete. Sed dum conuersa discriminatis capillis intuita virum, attonita reticuit, supra modum dolens, quod incaute tectas ante libidines reserasset.

Vt autem periculum sibi imminens auerteret, duos ex sibi fidis percussores parauit, qui eum sola iam nocte à venatione redeuntem immaniter atque perfide confoderunt, vt *libro 1.* Æmylius Auctor est.

24 Huc etiam petinet, quod (vt Diod. *lib. 2.* & ante eum Herodo. Halicarnass. in Euterpe scripsit) cum Pheron Sesostris filius Ægyptiorū Rex oculis captus fuisset, atque ideo ad Deorum auxilium confugiens, postquam multas sacras peregisset, tale tandem responsum accepisset, vt placato Deo, qui in Heliocopoli coleretur, eius alicuius mulieris faciem inspiceret, quę nullum nisi proprium virum cognouisset, à sua incipiens vxore cæteris inspectis omnibus incorruptam nullam, præter vnicam hortulani cuiusdam reperit. Quam restitutus visui vxorem cœpit, reliquas omnes viuas conbussit.

25 Porro sceleris indignitate fere pudet referre memoria indignas, Quintillam quæ nunquam se virginem meminit, vt ipsa fatetur apud Petronium, inquiens: [Iunonem iratam habeam, si me vnquam virginem fuisse meminerim:] duas libidinosissimas Iulias, matrem
26 & filiam vtrasque tantæ impudicitiæ notæ, vt eas omnibus probris contaminatas Augustus relegarit, Velleio Paterculo & Suetonio in Augusto testibus.

27 Myrrham quæ patrem Cinyram, *sed non vt filia debet, amauit.* Ouid. *10. Metamorph.* Rur-

Rurſum Semiramidem Nini (Iuſtin.*lib.1.*) Agrippinam Neronis 28 (*Tacit.lib.*1.) filiorum concubitus turpiter expetentes.

Biblida quid referam? vetito fratris amore 29
Arſit, &c.
Nobilis eſt Canace fratris amore ſui.

Vt Ouid.1.*de art.am.* & 3.*ad Auguſtum* teſtatur.

Quin etiam priuignos multæ, aliæ generos adamarunt, nonnullæ adfines: ſunt & quæ cum beluis & iumentis concubuerunt: vnde Leuit. 18. prohibitum extat: ne mulier ſuccumbat iumento aut miſceatur ei & præceqtum 20. Mulier quæ ſuccubuerit iumẽto, ſimul interficietur cum eo. Quæ omnia per plura declarat atque illuſtrat Tiraquellus *in d.l.9.n.103.* & *ſeqq.*

CAPVT XX.

Nec verecundiam tam in fœminis frequentem, quam raram ſimulatque decentem reperiri, contra quam ſup. acie cont. ca. 12. adſtruitur.

SVMMARIA.

1 *Verecundia mulieribus præcipue non vt genuina, ſed vt maxime ſexui decens adſcribitur.*

2 *Virginitatis dos quædam eſt verecundia, quæ commendatur ſilentio.*

3 *Natura humecta vt eſt in fœmina, magis ad libidines eſt prona.*

EX his porro conſtat mulieres etiam multo eſſe inuerecundiores & impudentiores, maxime in rebus venereis quam viros: id quod etiam probat Caiæ Afraniç exemplo *lib.*8. Valer.3. & IC. Vlpianus *in l.1.§.2.loco 5.ff.de poſtu.* quam improbiſſimam fœminam inuerecunde poſtulantem & magiſtratum inquietãtem, cauſam dediſſe Prætori Romano ad edicendum ſcribunt, ne fœminis pro alijs poſtulare liceret. Et ratio quidem prohibendi fuit, ne contra pudicitiam ſexui congruentẽ alienis cauſis ſe immiſceant, dũ virilibus officijs funguntur, *d.l.1.§. ſecundo.* Vnde non refragantur textus ſuprà in acie muliebri, *capite* 12. allegati : quia minime quaſi genuinam

fœminis verecundiam tribuunt & adſcribunt, ſed quaſi maxime decentem. Siquidem verecundia quam maxime decet & ornat fœmi-
2 nas, & eſt pulchritudinis arx in muliere pudor. Virginitatis † autem dos quædam eſt verecundia quæ commendatur ſilentio, vt ſcribit Ambroſ. *de inſtit. virg. c. 1.*

Quę & ideo magis in hoc ſexu commendatur, quia dum petulantiores natura ſunt, & ad res venereas procliuiores, iuximque appetitibus ſuis alias propter infirmitatem ſexus facile obſequentes, maiorem laudem merentur, quo magis libidinoſis affectibus ſuis reſiſtunt pudore ac verecundia coercent. Eſſe vero libidinis appetétiores fœminas quam mares non impugnat, quod mares ſunt calidio-
3 res. Etſi † enim ſicca calore amoris nulla libido, calor tamen ipſa ſolus in viris acrior quam in fœminis, eoſdem libidinoſores non reddit quam fœminas: Siquidem hi rationis freno impetus æſtus coercere magis poſſunt, quam rationis prope expertes fœminæ. Adde q omnium conſenſu ex natura humecta (qualis eſt in fœmina) cocundi auiditas exurgit.] Quæ omnia pluribus illuſtrat & comprobat Tiraquel. *in d. l. 9.* paſſim.

CAPVT XXI.

Animi muliebris leuitas, inconſtantia flexibilitas genuina contra quam ſup. acie cont. c. 11. demonſtratur.

SVMMARIA.

1 *Nihil turpius animi leuitate.*
2 *Varium & mutabile ſemper fœmina, teſtibus Virg.*
3 *Propertio.*
4 *Accurſio Gloſſa.*
5 *Impp. Diocletiano & Maximiano.*
6 *Tito Calphurnio.*
7 *Doctoribus.*
8 *Admirabile muliebris leuitatis exemplum.*
9 *Mobilior ventis fœmina.*

MAgis aggrauat ſexus muliebris indignitatem ſumma ipſius peculiariſque ac velut genuina animi leuitas, incoſtantia mutabilitas,

bilitas, varietas & momentanea, in quibuscunque actionibus voluntas: qua Cicerone *pro Flacco* teste, nihil est turpius, & quæ omnes forti animæ laudabiles conatus eripit.

Varium & mutabile semper
Fæmina: omnes cum Virgilio clamitant: 2
Nec sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto:
Quam cito fæminea non constat fœdus in ira
Siue ea causa grauis, siue ea causa leuis.

Propertius † & gl. *in c. forus, ex. de verb signif.* 3

Quid leuius fumo? flamen: quid flamine? ventus: 4
Quid vento? mulier: quid muliere? nihil

Impp. Diocletianus † & Maximianus, *in l. filia in orbitate 20.* ibi momentarijs voluntatibus matris, *C. de inoff. testam.* 5

Et † Titus Calphurnius *eclog. 3.* cum ait: 6

Credere pastores leuibus nolite puellis.

Et Catullus, quando de muliere sua sic orditur:

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mihi: non si se Iuppiter ipse petat,
Dicit: sed a cupido mulier quod dicit amanti,
In vento & rapida scribere oportet aqua.

Ex nostris † plerique Dd. *in d. l. filia in orbitate,* & præcipue Fernandus Vasquius, *ibidem, num. 2.* Accurs. *in l. 1. C. de confirm. tut.* vbi vere mutabile mulierum consilium dicit. *Baldus, in l. vlt. C. de suis & legit.* vbi eas ter mutari in hora scribit. Ioan. Faber. *in l. vlt. n. 7. C. de iur. & fact. ignor.* Cagnol. *in d. l. 2. nu. 3. de reg. iur.* Neuiz. *in syln. nupt. lib. 1. n.* 18. Alciat. *in tract. de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 47.* Ioseph Mascard. *in tr. de probat. conclus. 1080. nu. 29. vol.* 2. Roland. a Valle, *cons. 41. nu. 11. vol. 4.* Borcholt. *in tract. feud. c. 1. n. 19.* alijque plures, quos refert & sequitur etiam Tyraquel. *in sæpe, d. l. connub. 9. num. 131.* vbi etiam quam sit vagum muliebre ingenium, quam flexibilis voluntas fœminæa memorabili exemplo a Petronio arbitro annotatum proponit: quod ipsum hic quoque ne careat res exemplo subnectere placet. 7

Erat † igitur Ephesi tam notæ pudicitiæ matrona, vt ad spectandam eam aduolarent etiam exteri. Hæc mortuo marito etiam in conditorium vsque prosecuta ipsum, diebus ac noctibus assidens, & 8

fleuit: non parentum, non propinquorum, non magistratus hortatu inde auocari abigiue potuit; neq; cibum quinto iam die sumpserat. Omnes vnicum atq; verum hoc pudicitiæ & amoris exemplum iudicabant. Interim affixis haud procul a sepulchro latronibus, & milite, eos qui custodiret, ibi relicto, vidit is proxima nocte lumen iuxta ægram & lugentem in monumento ab ancilla antea positum inter monumenta clarius splendere, gemitusq; lugentis viduę audiuit. Accedens ille ad lumen propius & clarius audiuit plangentis vlulatus vsq; dum ad ipsum peruenit conditorium, descendensq; reperit pulcherrimam mulierem ad defuncti cadauer sedentem. Vbi primo quidem turbatus substitit: mox vero animum recolligit, ratusq; id quod erat, non posse extincti desiderium mulierem pati, attulit in monumentum cænulam suam, atq; hortari lugentem, quibus poterat verbis, cœpit, ne inani dolore pectus consumeret. At illa ignota consolatione perculsa, lacerauit vehementius pectus, ruptosq; crines super pectus iacentis imposuit. Non recessit tamen miles, sed eadem exhortatione tentauit mulierculæ dare cibum; donec ancilla vini certe odore ab eo corrupta, primum porrexit ad humanitatem inuitantis victam manum: deinde referta potione & cibo expugnare cœpit dominæ pertinaciam. Et quid proderit, inquiens, hoc tibi si soluta media fueris? si te viuum sepelieris? si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? Id cineres aut manes sepultos credis sentire? Vis tu reuiuiscere? vis tu discusso muliebri errore, quam diu licuerit, lucis commodis frui? ipsam te iacentis corpus mouere debet, vt viuas. Nemo inuitus audit, cum cogitur aut cibum sumere aut viuere. Itaq; mulier aliquot iam dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam, nec minus auide se repleuit cibo, quam ancilla, quæ prior victa est. Cæterum scitis, quod plerumque soleat tentare humanam mentem satietas, quibus blanditijs impetrauit miles, vt matrona vellet viuere, ijsdem etiam pudicitiam eius aggressus est. Nec deformis aut infacundus iuuenis castæ videbatur, conciliante gratiam ancilla, ac subinde cum Poeta dicente,

Placido ne etiam pugnabis amori:
Nec venit in mentem quorum consederis aruis?

Quid diutius moror? ne hanc quidem partem corporis diutius mulier continuit, victorque miles vtrumque persuasit. Latuerunt

ergo vna non tantum illa nocte, qua nuptias fecerũt, sed postero etiam tertioque die, præclusis videlicet conditorij foribus, vt si quis ex agnatis cognatisq; ad monumentum venisset, putaret is expirasse super corpus viri pudicissimam vxorem.

Cæterum delectatus mulier & forma & secreto, quicquid boni per facultates poterat coemebat, & prima statim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciati vnius parentes vt viderant laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem supremoque mandauerunt officio. At miles circumscriptus dum residet, vt postero die vidit vnam sine cadauere crucem, veritus supplicium, mulieri quod accidisset, exponit: nec se expectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignauię. Commonet ergo, vt illa perituro locum & fatale conditorium familiari ac viro faceret. Mulier non minus misericors quam pudica; Nec istud Dij (inquit) sinant, vt eodem tempore duorum mihi charissimorum hominum funera duo spectem: malo mortuum impendere quam viuum occidere. Secundum hanc orationem iubet ex arca corpus mariti sui tolli, & illi cruci, quæ vacabat, affigi.

Vsus est miles ingenio prudentissimæ fœminæ, posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset ad crucem.

Hactenus Petronius. Ex quo mirabili facto quanta sit sexus huius leuitas & animi flexibilitas cum stupenda facti admiratione constat: & quam vere dixerit Tibullus: 9

S[i] d[e]flecti poterit mens est mutabilis illis:
Mobilior ventis o fœmina.

CAPVT XXII.

Ex genuina animi leuitate facilius etiam ad fraudes mendacia & periuria fœminas esse credulas, adeoq; sæpius ac facilius & decipi & decipere ostenditur.

SVMMARIA.

1 *Sunt mulieres suapte natura fere mendaces atque fallaces.*

2 *Testi-*

2 *Testimonia, Ouidij.*
3 *Plauti.*
4 *Propertij.*
5 *Imperatoris Iustiniani.*
6 *Propter muliebrem peierandi leuitatem abrogata, l. vlt. C. quand. mul. tut. off. fung. per Nou. 94. c. 2.*
7 *In quo præsumptio facilis periurij residet, ei non est iuramentum deferendum.*
8 *Non æque fœmina atq; boni viri dicto standum est, Bart.*
9 *Raro mulierem verum dicere Lucianus eleganti fabula declarat.*
10 *Leuitate sua mulieres etiam ipsæ nimium credulæ facile mendaciis aliorum, nedum ipsorum al.j decipiuntur.*
11 *Deceptionum mater est credulitas.*
12 *Mulierum proprium est decipi.*
13 *Non est negocium neq; gloria decipere mulierem. Iustin.*
14 *Ouidij.*
15 *Virgilij.*

1 HOc † vero genuino leuitatis vitio; facilius atque citius etiam ad mendacium & Periurium mulieres delabuntur quam viri suntque quasi suapte natura pleræque fallaces atque mendaces.

2 Nam vt inquit Ouidius 2. de eleg.

Verba puellarum folijs leuiora caducis
Irritaq; vt visum est, ventus & aura ferunt.

3 Itemq; in Amphytr. Plaut. *Mulier es audacter iuras*

4 Et alicubi Propertius:

Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas.
Quicquid iurarunt ventus & vnda rapit

5 Imo † in mulieribus omnino promptum esse periurium, etiam ipse Imp. Iustinianus testatur in Nou. *de nuptijs 22. cap. 43.* & in Nou. *vt sine prohibit. matres debitrices, &c. 94. cap. 2.* vbi manifestum dicit toties iusiurandum periurum datum, quoties pene filiorum curam matres debitrices vel creditrices suscipientes, ad secunda vota non se transituras, Imperatoria constitutione priori hoc exigente, *in l. fi.*
6 *C. quand. mul. tut. off. fung. &c.* iurarunt. Quare etiam & propter hanc mulierum peierandi leuitatem, d. l. finalem abrogauit. Non enim cogitauit prudentissimus ImPerator, quod aliquæ, forte præstitum

ſtitum a ſe iuſiurandum ſeruarunt, ideo ijs quæ id violare facile ſolent impietatis occaſionem aduerſus Deum relinquendam eſſe.

Ea in re veteris ſapientiæ memor, in legibus ferendis non quod raro, ſed quod frequentius accidit reſpiciendum atque ei medendum eſſe, *l.nam ea,ff.de legib.* Cui inſuper accedit, † quod ſtante veriſimili coniectura vel præſumptione, peieraturum aliquem, ei iuiuramentum etiam oneris deferendum non ſit, ſecundum Philippum Francum, *in c.quæſtioni,in fin. ex.de appellat.per tex.in c.clericos, ex.de cohab.cler.* 7

Hinc † quod dicitur, ſtandum eſſe dicto boni viri, *iuxta gloſſ. in.l. Titio fundus, ff.de condit. & demonſt.* de viris tantum non etiam de fœminis intelligendum eſſe Bartolus exiſtimat, *in conſil. 54.vol.2. lib.1.* Et ICti noſtri de mulierum fide parum confiſi, non æquam eis cum maribus fidem eſſe habendam docuerunt, & de teſtimonijs mulierum in ciuilibus & criminalibus cauſis maximæ inter eos diſputationes exortæ ſunt, de quibus paſſim DD. 8

Quæ † omnia eleganti illa fabula Luciani Ægyptiaca in dialogo 9
vitarum venditiones, &c. illuſtrat noſter Tyraquellus, Quando mulieri cuipiam iuxta Nili ripam cum filio ſuo obambulanti, proſiliens crocodilus filium abſtulit, redditurum inquiens, ſi verum mulier diceret, illa autem, fore vt diceret verum, negauit; & protinus Crocodilus, atque ob id æquum filium tuum tibi reddi, aiebat: quia verum dixiſti.

Neq; † porro ipſæ ſolum mulieres occaſione ſua leuitatis alios 10
facilius fallunt & ſæpius mentiuntur: ſed eadem frequentius etiam mendacijs falluntur, & nimia credulitate ſua facile decipiuntur, vt teſtatur Imp. *in l.nimia, C.de oblig. & act.* quando nimia credulitate, inquit, circumuenta eſt.

Nam † vt ſcribit Fulgentius, deceptionum mater eſt credulitas: 11
At mulierum proprium eſt decipi dicit Chryſoſtomus, & omnium 12
facillime mulieres falli. Bald. *in l.2. q.9.C.de reſ.vend.* in quam rem ſunt etiam textus, *in c.Adam 33.q.5.*

Quamobrem etiam ab Imp. Iuſtiniano, *in Nou. vt immobilia antenuptialis donationis, & 61.c.1. §. & ſi conſentiat, & in Nou.de æqualitate dotis 97.cap.3.verſ.volumus*: non magnum negocium non magna gloria dicitur credulam decipere, & facilem fallere mulierem: prout & Phyllidis nomine ad Demiphoontem Ouidius ſcribit. 13 14

Fallere credentem non est operosa puellam,
Gloria: simplicitas digna fauore fuit.
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis,
Dij faciant laudis summa sit ista tuæ.

Et Cydippes ad Azontium:

Improbe quid gaudes, aut quæ tibi gloria parta est?
Quid vir elusa virgine laudis habes?

7 Quibus † concinit exprobratio ista Virgilij Æneid. 4.

Egregiam vero laudem & spolia ampla refertis
Tuq; puerq; tuus, magnum & memorabile nomen,
Vna dolo diuum si fœmina victa duorum est.

CAPVT XXIII.

De peculiari & natiua sexus muliebris linguæ garrulitate & vitio huius pedissequo, arcanorum scilicet facili reuelatione, & rursum de curiosa rerum abditarum & secretiorum peruestigatione, quædam depromuntur.

Svmmaria.

1. *Garrulæ linguæ ac verbosæ mulieres præcipue authores, Paulus.*
2. *Plautus.*
3. *Augustinus.*
4. *Prouerbium: tres fœminæ faciunt nundinas.*
5. *Mulieres garrulitate sua arcana facile produnt.*
6. *Mulieres secreto solummodo retinent, quæ nesciunt. Sen.*
7. *Censorius Cato nihil magis in vita conquestus est, quam quod arcana mulieri reuelauit.*
8. *Aristoteles in tyrannide ad exquirenda consilia tyranno, mulieribus per domos vagandi concedere facultatem suadet.*
9. *Propter leuitatem de arcanis propalandis mulieres a feudis primũ eliminatæ.*
10. *Mulierum curiositas in secretis peruestigandis.*
11. *Qui percunctator idem garrulus.*

12. *Ver-*

12 Verbosas simulatque curiosas mulieres D. Paulus dixit.

PRæterea † garrulæ etiam & loquaces fere omnes sunt natura 1
mulieres. Vnde Paulus, *1. ad Timoth. 5.* eas verbosas vocat: Plau- 2
tus vero passim loquaculas, argutulas, dicaculas, linguaces, locutalas, largiloquas, linguaculas. Et † Augustin. *lib. 4. de ciuitate Dei, ca-* 3
pitulo 19. loquacitatem veluti proprio ac peculiari epithero muliebrem notat: quam etiam in suo sexu præcipuam Eunomia Plautina in Aulularia agnoscit:

Multum loquaces merito omnes habemur:
Nec mutam profecto repertam
Hodie dicunt mulierem vllo in seculo.

Atque hinc † prouerbio dicitur; tres fœminas nundinas facere. 4

Maius † autem est, & magis dolendum huius loquacitatis vitium 5
pedissequum arcanorum reuelatio: & quod videlicet nec arcana quidem mulieres reticere possunt: vel ea sola quæ nesciunt secreto retinent, & non garrulitate sua produnt, & quemadmodum nobilis
declamator † Porcius Latro apud Senecam *controuers. 13.* testatur, & 6
Papirij mater, a filio decepta ostendit, *Gell. lib. 1. ca. 23.* Lactant. *lib. 3. cap. 22* & Portia, Catonis Vticensis filia, apud Plutarchum in vita Bruti ingenue fatetur, fragilem esse sexum muliebrem ad arcana
seruanda. Et † Cato Censorius quem nihil magis in vita pœnituit, 7
quam quod arcana vxori reuelauit. Ideoq; † Arist. *5. Polit. 11.* tradit, 8
tyrannidem diutius conseruari, si mulieribus concedatur facultas per domos vagandi, vt consilia virorum exquirent & enuncient.

Nam vt Græcus quispiam Comicus dixit:

Cum latere velis aliquod negocium, mulieri
Ipsum aperies: at quid interest, siue mulieri,
Siue omnibus in foro præconibus narrare.

Quod ex nostris cum multis similibus refert Tyraquel. *in d. l. connub. 12. n. 9. & seq.*

Atq; † est hæc etiam vna ex præcipuis causis, quibus a feudorum 9
successione feudali consuetudine fœminæ primum eliminatæ sunt, nec hodie quidem nisi expresse in inuestitura vocatæ in masculis, vel post masculos admittuntur, sup. dictis iuribus.

Nam iurare solet Vasall. secreta Domini non reuelare, *c. 1. de noua form. fidelitatis, c. 1. de form. fidelit.* Rara autem autem auis est in terris fœmina quę suæ fidei cómissa atq; concredita non propalet, vt

dicit Bald. *in l. quoties 7. C. de suis & legit.* quem omnes sequuntur. Curtius iun. *in tract. feud. p. 10. in pr. n. 1. Sonsbec. de feud. p. n. num. 111. Borch. c. 1. de feud. n. 19. Vult. lib. 1. de feud. c. 4. num. 2. & 3. Menoch. cons. 65. nu. 20. & seq. vol. 1.* Decian, *cons. 58. nu 6. & seq. vol. 2.* Tyraquellus *in d. l. 12. n. 13.*

10 Quemadmodum autem arcana reticere omnino non possunt, ita in ijs peruestigandis & exquirendis siue a viris suis, siue ab alijs a
11 se inuicem admodum sunt curiosæ. Istam † vero curiositatem ipsa naturalis loquacitas & garrulitas quasi cognatam & genuinam habet, iuxta Horatij illud:

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est.

Nam quandocunq; & vbicunq; conueniunt mulieres, quascunq; confabulandi occasiones quærunt: & vt habet Euripidis sententia in Phœnissis.

Prauas occasiones si nactæ fuerint sermonum,
Plures superingerunt: voluptas quædam est
Mulieribus nihil sani sibi inuicem obloqui.

12 Hinc D. Paulus, d. c. 5. non verbosas tantum, sed curiosas quoque easdem vocat, quemadmodum curiosa fuit prima mulier Eua circa fructum vetitum. Ac fere hodie omnes sciunt id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit: sciunt quod Iuno fabulata sit cum Ioue, vt Plaut. *in Trinum.* dicit.

CAPVT XXIIII.

Denique velox mulierum iracundia, maledica, vetularum maxime, lingua, & tollerabilis senectus: item inuidia, crudelitas, desidia, aliaque in genere mulierum vitia producuntur.

SVMMARIA.

1 *Sexus mulierum facilior est ad iram.*
2 *Thesaurus malorum mala & iracunda mulier Menander.*
3 *Euripides.*
4 *Salomon.*
5 *Iracundæ & rixosæ mulieris descriptio Ausonij*

6 *Plus*

6 *Plus est periculi anum lacessere quam canem.*
7 *Vindicta nemo magis gaudet quam fœmina.*
8 *Mulieres procliues ad iniurias.*
9 *Mulieres sunt etiam inuida, crudeles, pigra, aliis innumerabilibus vitiis inquinatæ.*
10 *Improbat Author nimium sexus muliebris quorundam contemptũ.*
11 *Socratis fœminæ descriptio.*
12 *Simonidis descriptio.*
13 *Vitare vxores bonum.*
14 *Laconis responsum, quod pusillam duxerit vxorem, quia minimum malum præstaret.*
15 *Muliere etiam bona, nihil peius Menand.*
16 *Non est sine lite coniugium.*
17 *Mulier, vt mala herba, citius pubescit Accurs.*
18 *Mulier semper mala præsumitur.*
19 *Sexus muliebris naturam Tiraquellus describit.*
20 *Mulier est res valde molesta, & quæ multum negotij facit, vnde fœlix, eam qui possit vitare.*
21 *Egregia Censoris apud Gell. de vita coniugali sententia.*
22 *Elegans Poetæ cuiusdem de ducenda vxore deliberatio.*
23 *Chrysostomi descriptio vxoris.*

AMplius ne vllo non infectæ quippiam viris concederent vitio, 1
etiam valde iracundæ & ad iram procliues sunt mulieres, ac leuissima quaque occasione propter sensus muliebris debilitatem in iram prorumpunt. Sicuti enim tumor accidit ex magna plaga in carne, ita in mollissimis animis, si quis se præbeat dolori, hoc ipso quod maior est imbecillitas, maiorem elicit iracundiam: hacque de causa,
vt ægroti sanis, iuuenibusque senes; ita etiam mulieres viris sunt ira- 2
cundiores, vt Plutarchus *in lib. de cohib.* ira scribit & *in dd. ll. connu. b.*
Tiraquell. refert. Est autem malum; supra omne malum, & vt Menã- 3
der ait, Thesaurus malorum, mala & iracunda mulier: Et vt *lib. 1. Epigram.* Græcorum Euripides inquit:

Furore multo sæuit iratum mare:
Pronique fluuij & ignis acris impetus:
Inopia acerba, acerba alia quam plurima;
Sed nihil ita acerbum & noxium vt mulier mala.

Est autem hæc vere tam acerba & intolerabilis, vt sapientiæ elogio

confirmetur: melius esse sedere in angulo domatis, quam cum liti-
4 giosa muliere in domo communi: & melius habitare in terra deserta quam cum muliere rixosa. *Prouerb. 20. & 25.* tali præsertim, qualem describit Ausonius.

5 *Arma virumque docens, atque arma virumque peritus,*
Non duxi vxorem, sed magis arma domum.
Namque dies totos, totasque ex ordene noctes,
Litibus oppugnat meque meumque larem.
Atque vt perpetuis deluta à Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur illa quies.
Iamque repugnanti dedam me, vt denique victum,
Iurget ob hoc solum, iurgia quod fugiam.

Est autem (vt idem Tiraquell. tradit) formidabile animal mulier, cum ad sexus vitium accedit senectus. Canis irritatus, inquit, oblatrat tantum, interdum & mordet. At aniculę præter linguæ venenũ, interdum instructæ sunt etiam malis artibus, veneficijs & incantamentis. Itaque nonnulli ingenti suo malo verissimum esse experti
6 sunt, quod Menander dicit: Plus est periculi anum lacessere quã canem. Iratæ porro mulieres, quam ad contumelias & iniurias facile prorumpant experientia testis est. Vindictæ enim, qua, vt Iuuenal. *Satyr. 3.* inquit:

7 *Nemo magis gaudet quam fœmina,*

Appetentissimæ, cum viribus destitutæ vltionem capere nõ possunt verberibus eam maledica mordacique lingua petunt, & quam atrocissimas possunt verbis iniurias euomunt: quod quasi peculiare innatumque mulieribus vitium ab omnibus tribuitur.

8 Muliebre enim est afficere iniuria scribit Chrysostomus *in act. Apost. 5.* & muliebres haberi, inuicem sibi qui turpiter & contumeliose obloquuntur, *lib. 11. de legib.* Plato: & fœminæ proprium esse conuitiãdi cupiditatem & querulam naturam, *lib. 9. de hist. anim. pr.* tradit Arist. denique mulierem quaq; recula offensam conuitiari Æsopus dicebat.

9 Taceo nunc inuidiam, crudelitatem desidiam, aliaq; plurima vitia, quæ numerare esset difficile, (vt Alberic. *in d. l. filia, in orbitate,* dicit) quib. mulieres sunt addictissimæ: ipsæ adeo omnis generis vitijs imbutæ, conspersæ, commaculatæ, pollutæ, confusæ, corruptæ, deprauatæ, perditæ, vt ex meris vitijs conflatę, copulatæ, conglutinatæ, co-

agmen-

agmẽtatæ, concretæ, natæ, vel vt Tullius in 5. Verrina dicit, aut ex his vitia omnia, aut ipsæ ex vitijs ortæ videantur: adeoque minime mirũ sit, acerbius aliquanto atque vehementius scriptorum grauissimos, 10
quos hactenus recensuimus, in eas inuehi: quos tamẽ asperiores plꝰ æquo verbis quãdoq; fuisse, non negauerim: neq; ipse ego dicta eorũ referens, ita intelligi velim, quasi serio omnia quæ ab ipsis sexui muliebri tributa vitia multa maxima sunt, probem. Ludere namq; cum Poetis, & iocari in iocosis licet: imo magis cũ ipsis fœminis certamẽ certare masculofœmineũ, non cõtumeliosum, non ignominiosum, sed honestũ, iucundũ, vtile, placuit. Quare nec in enumeratione sexꝰ muliebris vitiorum diutius moror, ne bilem fœminis moueam, & cũ illis à certamine super sexus masculini dignitate & præeminẽtia, iocoserio in funestum delabar. Neq; pluribus, opinor, ad probandum marem fœmina suo sexu digniorem, opus est: quare etiã paulo post, *cap. 26.* ex his cum Vlpiano *in d. l. 1. ff. de senator.* maiorem in ipso sexu virili dignitatem esse concludo.

Id enim solum contendo, nec in eo multos ab Vlpiano dissentire existimo. Illis vero qui mulieres adeo inique contemnunt, atq; contaminant, vt eas homines plane negent, assentiri neque possum, neque debeo, per ea quæ supra *cap. 25. in fin.* dicta sunt.

Quare & si qui sunt alij, qui grauius, quam par est, in tam nobilem & sanctam, atque ad ipsius Dei imaginem factam atque mari ad fœlicitatem datam creaturam inuehuntur, valere illos suis cum conuitijs atrocioribus iubeo: quorum plures ex ordine enumerat Tiraqu.
in d. l. 9. nu. 218. & seqq. quibus adde Socratem, qui apud Diogenem 11
dixit: Speciosa & pulchra mulier templum est super cloacam ædificatum, insatiabile animal, continua solicitudo, indesinens pugna, quotidianum damnum, bonorum impedimentum, viri naufragium adulterij vas, pondus grauissimum, æstus maris, calumniarum chaos, Pandora Epimethei, thesaurus malorum.

Et Simonidem Poetam, †qui naturam mulierum ita probe nota- 12
uit, cum aliam ex sue, aliam ex vulpe, aliam ex cane, aliam ex tellure, aliam ex mari, aliam ex asino, aliam ex fele, aliam ex equo iubato, aliam ex simia, aliam ex apicula natam esse dixit, ob cognatam earum cum his animalibus & rebus naturam & proprietates. Atque iterum aliter ita eandem descripsit: Viri naufragium, tempestatem domus, quietis impedimentum, quotidianum damnum, voluntariam

riam pugnam sumptuosum bellum, conviuam feram, solicitudinem
confidentem, complectentem lænam, exornatam scyllam, animal
malitiosum, necessarium denique malum. Et his quoque consentit
ille apud Plautum in sticho Antiphonti quærenti, viduam ne an vir-
ginem ducere mallet, respondit.

13 *Quanta mea sententia est.*

Emalis multis, malum quod minimum est. id minimum ma-
lum est.

Qui potest mulieres vitare, vitet: ut quotidie
Pridie caueat, ne faciat quod pigeat postridie.

14 In quam sententiam etiam Laconem quendam interrogatū, cur
mulierem duxisset pusillam, Plutarchus respondisse refert: quia è ma
15 lis minimum eligere præstaret. His† etiam nō semel Menander sub-
scribit, quando inquit: Muliere nihil est peius, atque etiam bona, &
iterum: Vbicunque mulieres sunt, ibi mala sunt omnia.

Quid multis?

Semper habet lites alternaque iurgia lectus
16 In quo nupta iacet minimum dormitur in illo: vere Ouidium di-
xisse experientia testatur.

Quare & illud quidam iactare videntur.

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati:
Hæc tria si cessent verbera, nil faciunt.

Ex nostris tam contaminatæ sexus muliebris natura pręcipue suf-
fragantur: Accursius *in l. ex his quæ ff de legib.* vbi raras esse mulieres
17 bonas (*arg sup. d. Nou. de nupt. 22. ca. 43.*) & ideo de ijs leges non esse
ferendas per illum text. Idem *in l. 2. C de his, qui ven. ætat. imp.* malam
herbam vocat mulierem: quę, quia citius crescat, etiam citius fœmi-
nas quam mares veniam ætatis impetrare, quod ibidem probat O-
dofredus & subdit, in nnlla muliere esse animi probitatem, nisi in
sanctificata.

18 Albericus *in d. l. filia*, & in suo dictionario, verbo mulier, & *in l. 4.
C. de sponsal. vbi vide.* Bart. *in l. pater Seuerinam*, §. *Socrus ff. de cond. &
demonst.* vbi mulierem semper malam præsumi docet. Plures atque
plura (quæ breuitatis studio hic omittimus) congesserunt Neuizan:
in sylu. nupt. lib. 1. pr. n. 8. & seq. & Tiraquel. qui sexum præcipue mu-
liebrem in omne malum præcipitem ferri, omniq; vitiorum generi
esse addictissimum scribit: & tandem cōcludit, quod suapte & com-
muni

muni natura fœminæ tam ſint conſceleratæ, & vitijs omnibus deditæ, vt totæ ex vitijs compactę & conglutinatæ omniaque prorſus flagitia in earum animum, vt in quandam cœnoſam fœculentamq; ac 19
teterrimam ſentinam confluxiſſe videantur: adeoq; fœmina immēſa aliqua vorago aut gurges vitiorum turpitudinumq; omnium dici queat, *d.l.connub.9.n.228.*

Quamobrem hac ad cœlibes voce exclamat ille in artibus mirabilis: Quicunq; ergo, (inquiens) viri adhuc in acie hac ſub caſtitatis & virginitatis vexillo degetis atq; pugnatis, hanc ſi repetatis putidiſſimam mulierū ſpuriciciem & contaminatam earum naturam ſerio perpendatis, tantis vos liberatos adhuc malis beatiſſimos prędicabitis, non tetigiſſe mulierem gaudebitis, neque facile, niſi ardentia cupidinis tela vos ſuperauerint, tangetis.

Quis enim † ab animali tam indomito, tam imperfecto, ſi poſſet, 20
non ſe abſtineret, quod ſemper vbi velit, non vult, vbi non vis, cupit vltro. Exacta ſemper egit diſciplina, nec tamen ad bonum erudiri vnquam poteſt. Percutis, ſubſultat; ſtringis, vt anguis manu elabitur; premis, pungit; indulges, ſuperbe imperat, & contemnit, quicquid agis, infinitis moleſtijs te inuoluit. Hinc vt Plautus dixit, in Pœnulo.

Negocij ſibi qui volet parare, nauem & mulierem hæc duo ſibi comparato, nam nullæ magis res duæ negocij habent.

Et iterum.

Apagetis negotium in muliere quantum vna eſt: ſi vero duæ ſat, ſcio, maximo vni populo quo lubet plus ſatiſdare potes.

Sed quam longe præclarius eſt illud Cenſoris apud Gellium *lib.1. noct. Attic.c.6.* de conſuetudine coniugali iudicium, cū inquit: Si ſine 21
vxore poſſemus Quirites eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quam breui voluptati conſulēdum eſt. Quam ipſam egregiam ſane magni Cenſoris ſententiā quiſpiam non inconcinnus vates, carmine non pio minus quam concinno exprimit: dum ita de ducenda vxore deliberat.

Ergo mihi vxorem qualem ducam? an ne puellam? 22
Hæc forſitan veniet, non ſatis apta mihi.
An viduam? dominam quis poſſet ferre tonantem.
An vetulam? toleret quis patienter anum.
Fœcundam? fœcunda domum mihi prole grauabit.

An sterilem? sterilis non decus arbor habet.
An diuitem? nihil est magis intolerabile dite.
Ast inopem? quid opis ferre valebit inops.
Pauciloquam? non me potest recreare loquendo:
Verbosam? mulier res odiosa loquax.
Formosam? variis est subiecta forma periclis.
Deformem? pœnam ducere num quis amet?
Sic quocunque meus se vertit nubilus ardor,
Apparent socij damna timenda thori.
Neque genus vitæ hoc sanxisses CHRISTE *ligatum,*
Subdere quis cuperet, libera colla iugo?
Sed quia sic visum tibi, sicque perutile nobis;
Tu vitæ sociam da mihi CHRISTE *piam.*

23 Sic etiam † Chrysostomus, quamuis mulierem aliud fere nõ esse dicat, quam amicitiam inimicam, ineffugabilem pœnam, necessarium malum, naturalem tẽtationem, desiderabilem calamitatem, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali naturam boni colore depictam: adeoque nubere non expedire putet: melius tamẽ nubere quam vri idem existimat, *in hom. 32. Matth. 19.* vt refert Tiraquell. *in d. l. connub. 9.*

Et certe ahorrente natura: diuina repugnante ordinatione: veri amoris coniugalis honestate & vtilitate non permittente, connubia in societate humana aliquibus interdici vel dissuaderi, pie hactenus atque eruditæ à multis ipsaque suffragãte illis experientia edocti sumus: quibus de amoris saltem coniugalis vi & efficacia ad persuadẽdã cuiuis in statu matrimoniali viuendi licentiam, honestatem, commoditatem, quædam subijciam.

CAPVT XXV.

Incidenter refutantur, qui propter tot tãtasq; labes & molestias, tot & tanta vitia & incõmoda sexus muliebris, abstinendum ab eo, ac proinde ei qui bene, honeste feliciterque viuere velit, etiam legitimę mulierum consuetudini renunciandum esse putant. Imo

vxorem certam ducendam esse, veris & solidissimis, diuinis & humanis fundamentis, exemplisque ex optimis quidem ac probatissimis auctoribus excerptis proponitur.

SVMMARIA.

1 *Taxantur spurciganeones pellices & concubinas ad explendas libidines alentes.*

2 *Pulchra uxor, ne cōmunis fiat, metuēdā: deformis pœna est assidua.*

3 *Incontinenti melius est nubere quam vri.*

4 *Qualis vxor sit eligenda ne minus sit molesta.*

5 *Nulla sunt tanta matrimonij incommoda, vt id vrenti dissuadere vel possint vel debeant.*

6 *Maiores sunt incommoditates & minores voluptates in cœlibi quā in coniugali vita.*

7 *Magis inquinat hominem pellicatus & concubinatus, quam matrimonium.*

8 *Vxorem certam esse ducendam solide probatur.*

9 *Pius 2. Pontifex etiam Ecclesiasticis connubia permitti voluit.*

10 *Paphnutius Episc. in Concilio Niceno Ecclesiasticos, si quas illi duxissent vxores, has retinere: non habentes vero, nec se continere valentes, nubere debere, obtinuit.*

11 *Florentis Tertulliani elogium de matrimonio.*

12 *Nihil est vtilius nuptiis Iustin. teste.*

13 *Philosophica amoris definitio.*

14 *Cicero sapientis esse vxorem ducere existimat.*

15 *Omnia cætera animalia homines suo exemplo quasi admonent matrimonij.*

16 *Veneri veris, quia maxime proliferum, dicatum tempus.*

17 *Prouerbium, malos Maio nubere; vnde ortum.*

18 *Venus omnium animalium mater.*

19 *In brutis solum procreandi; in hominibus autem etiam melius viuendi gratia mari fœmina iuncta est.*

20 *Legitima vnius maris vniusq; fœmina coniunctio, auctore Deo.*

21 *Nuptias etiam Saluator noster probauit.*

22 *Item Pericles Atheniensis, licet solitarius.*

23 *De ducenda vxore Platonis lex.*

Quæ-

QVanquam ergo tot tantisq; vitijs animo & corpore labefactam, corruptam & fœdatam proposuerim mulierem ne tamen inde legitimam, iucundissimam, vtilissimam & honestissimam eius consuetudinem spurcos ganeones turpiter cum pellicibus viuentes, & veneri & vino & ocio, dies noctesque indulgentes, tibi dissuadere sine: qui propter va. i.s in prioribus allegatas Comicorum & Tragicorum aliorumq; scriptorum authoritates de fœminarum perdita natura, in hanc quoq; de ijsdem quærelam prolabuntur, ac siue pulchram, clamitant, vxorem ducas periculum ne communis fiat: siue turpem, habes pœnam assiduam: pulchra facile adamatur: turpis facile concupiscit: molestum custodire, quod omnes cupiunt: molestissimum possidere † quod nemo habere dignetur. Si quis vero abstinere non potest, ei satius est honorabile eligere connubium, & toro se immaculato addicere, quam vri. *Hebr. 13.* 1 2 3

Atque † vt sic quoque felicius viuas vxorem tibi bonam eligas, bene moratam, pulchram, castam, honestam, diuitem. At vbi hanc inueniam? in futuro, non hoc, (inquam) seculo. Imo licet optimam ducas, tamen (qui voluptatibus ac luxuriæ inhiant, obijciunt) non tam iucundam sibi vnquam contingere, quæ cælibi vita: quam quidem irreparabilem virginitatis felicitatem non prodaant, qui iam matrimonij iugo se submiserunt: gaudentque compatientium numere. Nubant ergo qui velint (inquiunt) satius sibi mulieribus de breui leuissimaq; voluptate abstinere videri, quam perpetuo cruciari. Nam vt Horatius monet 1. Epist. 2. 4

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Verum quanta quanta sint matrimonij onera, non tamen ea vllos a coniugio deterreant, neque ea tanta sunt aut censeri debent, vt quemquam, qui modo flammas amoris sentit a tam honesto amore & diuinitus instituto † vxoris solidatio abstinere debeant, eique cœlibem potius vitam cum turpitudine sectandam persuadere. Sed certe multi atque plurimi saltem vt liberius suis indulgere libidinibus atque voluptatibus possint, hunc præteruadunt coniugij quasi Labyrinthum & matrimonium honestum negligunt: sed meminerint aliquando illius: 5

Incidit in scyllam qui vult vitare Caribtim,

Quamuis † autem omnino molestia non careat coniugalis vita, 6

6 non tamen ea cœlibatui est præferenda, qui & ipse suas habet incō-
moditates & molestias, easq; multo maiores quam connubium: q
ipsum etiam suis cum commoditatibus, tum voluptatibus, ijsq; longe quam cœlibatus & pluribus & iucundioribus, & honestioribus, & præstantioribus atq; diuturnioribus constat.

Quas quidem sentiunt atq; probant, qui etiam tertiam & quartam, ac interdum plures in demortuarum locū vxores sibi adoptānt: quas certe toties non repeterent, si non cum coniuge, quam solidariam atq; cœlibem vitā agere præstaret? si non in vero, casto, honesto, licito amore fideq; cum coniuge maior vitę iucunditas, voluptas atq; dulcedo, quam in libidinoso, impudico, turpi atq; illicito pellicum consortio atq; concubitu esset?

7 Si † tibi honestæ vxoris nauseam parit tot tantisq; vitijs inquinata mulierum natura, multo magis eadem pellicatus tibi fastidium moueat; in quo quippe consuetudinem non tantum ex ingenuis & naturalib. sexus vitijs laborante, sed etiam nefaria vitæ ac libidinum turpitudine notata, propria nominis cum infamia, rem habes.

Quod si vero adhuc incommoda coniugij terrent, neq; cómoda cedis, & dulcius cum concubina quam cum vxore, licet hęc honestius, viuere te posse putas: sed & quod dulcius ita turpiter viuis non tā graue, quam degere cum vxore honeste, siue libidinibus effrenato, siue nimio amore pellicum obstinato animo tibi persuades: si peruerso tuo sensui mederi vis, siste paulisper, quæso, & admitte stimulum a spurijs libidinibus te a vocandi, audi & comprehende veri & castissimi amoris ac mirandæ fidei coniugalis incitamenta, & scio protinus animū tibi expellendi domo pellicem, & cum turpi diutius viuere scorto horrorem tibi incutient: sine vxore, vxorē duces, &
8 iam vxoratus cum vxore (eam admodum & caste amando) in virtute, pietate, obedienditia & fide ac in sancta pace, concordia & castitate, ad laudē, honorē & gloriā Dei Opt. Max. tui & vxoris totiusque familiæ salutē, commodū propinquorū, nec non patriæ vtilitatē, ac omnis deniq; generis proximorū emolumentū simul atq; incremētum, viues. Vxorem autē ducendam esse certam, veris & solidissimis diuinis atq; humanis fundamētis exemplisq; ex optimis ac celeber-
9 rimis authoribus excerptis demonstrari ad oculum potest. Quibus sane optandum esset Pium 2. in omni re verboq; suo prudentissimū, voti sui compotem fieri potuisse. Statuebat enim vir sapientissimus

longe

longe maiori cum Ecclesiæ & Reipub. incremento, minoriq; cum offensione Dei omnibus indistincte hominibus connubia permitti: quam Ecclesiasticis sunt interdicta, adeoq; potiori cum ratione sacerdotibus restitui vxores, quam ijsdem ademptæ sunt, posse. Fulgos. *lib.2.c.2.* Cui † etiam in Niceno consilio hanc sanciendā Paph- 10
nutius Confessor, ciuitatis cuiusdam in superioris Thebaide Episcopus, pie adstipulatur. Cum enim tum quidā ex Episcopis hanc sanciendam legem suaderent, vt Episcopi, Presbyteri, Sacerdotes, Diaconi vxores, quas dum laici essent, duxerant, repudiarent, solus ipse cum alioqui castitatis obseruantissimus esset, dissuasit, & patres in suam sententiā pertraxit, obtinuitq;, vt qui vxores haberent, eas seruarent, qui non haberent, siquidem per carnis stimulū integrum illis esset, cœlibes viuerent. Theodoret. *lib.1.c.7.* Sodom. *lib.1.ca.10.&* 21. Intelligebant nimirum viri perspicacissimi quam optime, sublatis vxoribus minime actum esse, vt non sacerdotū permulti in ea inciderent mala, propter quæ vxores illis fuerant ademptæ: sed longe quoq; ab eis quotidie deterius agi. Quod si vero vxorum eis vsus restitueretur, tum fortasse ipsorum criminum, in quæ nunc delabūtur, pars aliqua desineret.

Porro, † vt loquitur Florens Tertull. vnde sufficiam ad enarran- 11
dam felicitatem eius matrimonij, ꝙ Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant? sane etiam vt Bal. scripsit *in c.nonnul.col.2.de rescrip.* matrimonium est principiū & fundamētum humani generis; & grauiter Imp. Iustin. *in Nouell. constit.39. de restit. & ea quæ parit 11. mense post mortem viri, in præfat. §. rursus in fi.* pronunciat; nihil esse vtilius nuptijs, sc. iustis, tanquam solis homines. sc. legitimos, producere valentibus. 12

Vnde † & amoris illa est a Philosophis tradita definitio: ministerium scilicet esse Deorum, ad curam & conseruationem iuuenum exhibitum, vt retulit Plutarchus Cheroneus.

Et ait † Tullius: [cū ad tuendos conseruandosq; homines hominē 13
natū esse videamus, consentaneum est huic naturæ, vt sapiens velit nedum gerere Rempublicam; verum etiam vt e natura viuat, vxorem adiungere, & velle ex ea liberos procreare, & cum ea suauiter viuere.] Et hac quidē in coniunctione maris & fœminæ in re hone- 14
sta, vtili, & in omni animaliū, nedū hominū genere, omnino necessaria exemplo hominib. ab initio cætera animalia præiuere, præeūtq;

sem-

15 ſemper, quemadmodum alter canit vates præcipuus:

Omne adeo genus in terris, hominumq; ferarumq;,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; volucres,
In furias ignemq; ruunt: amor omnibus idem.

Et P. Ouidius:

Cum pare quæq; ſuo coeunt volucreſq; feræq;
Atq; aliquam de qua procreet anguis habet.

Atque hinc, quo præcipue multiiuga ſubſtantia producitur tempore, id præcipue quoque Veneri dicatum eſt, vt idem Ouid. canit.

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vendicat alma manu.
Illa quidem totum digniſſima temperat orbem.
16 *Illa † rudes animos hominum contraxit in vnum,*
Et docuit iungi cum pare quemq; ſua.
Nec Veneri tempus quam ver erat aptius vllum:
Vere nitent terræ, Vere remiſſus ager
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit;
17 *† Et formoſa Venus formoſo tempore digna eſt,*
Quanquam malos Maio nubere, *vulgus ait*:

Quod videlicet prouerbio dicebatur, quaſi malum omnem haberet nubere menſe Maio: quia maiores natu, minus ſunt quam iuniores, apti procliueſq; ad humani, imo omnis generis animalium matrem, ſc: Venerem. Hęc enim eſt, quæ, vt canit Cneius Cornelius:

18 *† Et genus humanum, pecudum, volucrumq; ferarumq;,*
Et quicquid toto ſpirat in orbe creat.
Hac ſine diuerſi nulla eſt concordia ſexus:
Hac ſine coniugij gratia ſumma perit.
Hæc geminas tanto conſtringit fœdere mentes,
Vnius vt faciat corporis eſſe duos.

Et Propertius, *lib. 3. Eleg.*

Exemplo tibi ſint iunctæ in amore columbæ
Maſculus & totum fœmina coniugium.

Et Politianus. *Murmur Apricantes niuea dant ture columbi,*
Expandunt alas, & amicam, blanda rogantes
Oſcula, circumeunt, inſertantq; oribus ora.

Porro

Porro † vero, vt ait Aristot. in ceteris animalibus procreandi gratia solum maris & fœminæ societas est constituta, in hominibus vero & societas est maxime secundum naturam maris & fœminæ: sed non essendi solum, verum etiã bene essendi causa mas & fœmina cõjunguntur: filiosq; procreant non solum vt id naturæ tributum ferant, sed etiam commoda deinde suscipiant. Valentes enim ipsi, imbecillos suo labore tuentur & alunt. Qua in sententia etiam Xenophon residet, quando inquit: [Deus matrimonium instituit, primũ quidem ne animantium genera deficerent; deinde vt haberemus a quibus necessaria senectus aleretur.] 19

Cœterum † ad huius dulcissimæ coniunctionis initium cum recurrimus, en alia animantia in principio fecit Deus duplicia, scilicet masculum & fœminam: at Hominem fecit vnum & ex illo sunt omnes & singuli procreati, vt scilicet vnitatem pacis & concordiæ cõmendaret in homine, *Gen. 5.* In Arca Noe tot viros quam fœminas iussit Dominus reseruari, vt videlicet esset vnica vnici, *Gen. 7.* Saluator noster conuiuio nuptiarum non dedignatus est interesse, *Io. 2.* 20 21

Pericles † Atheniensis licet adeo ab hominum conuictu & conuersatione abhorreret, vt amicorũ etiam & necessariorum conuiuia & cœnas fugeret: apud Euryptolemum tamen nuptiali conuiuio interesse voluit, nullam aliam ob causam, quam vt nuptias mirum in modum probare videretur. Pontanus † *de conuiuentia post prologum.* 22 23

Platonis legibus cauetur, vt qui ad 5. & 30. annũ mansisset cœlebs, nullo dignus honore & omniũ postremus haberetur. Lycurg. † Lacedæmoniorum legislator, legibus ad matrimonium suos adstrinxit. Nam si qui in orbitate & solitudine cœlibes vixissent, ea adficiebãtur ignominia, vt a ludis arcerentur: per hyemem vero forum nudi circumire cogerentur. Etiam † apud eosdem Spartanos lex mulctã statuit: primam, non ducenti vxorem: alteram sero ducenti, & grauissimam illi qui malam duxisset, aut ex aliena tribu. Stobæus *sermone 65. ex Aristonis commentarijs.* Apud eosdem quoq; Lacedæmonios tam laudabile fuit matrimonium & liberorum procreatio, vt apud eos trium liberorum parens a custodia excubijs, quatuor vero ab omni onere immunis foret. Diuus Augustinus *lib. 13. Ciu.* Quid concubitus coniugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum, procreandorum fit causa liberorum. 24 25

Gg Cre-

Cretenſes felici inſtituto vſurparunt, vt e grege iuuenum delige-
27 rent, forma conſpicuos, quos ad vxores ducendas, propagandam-
que ſobolem vi & lege compellerent. Perſæ ingentia ſemper mune-
ra ijs proponebant, qui plures generarent filios. Reges quoque ſi
quando vrbem adirent, ſingulis mulieribus ad ſobolis incitamenta
ſingulos aureos dare conſueuere, prægnantibus etiam duplices.

28 Thuriorum † lex erat: vt iuuenes primo ætatis flore ad ducendas
vxores muneribus honoribuſq; inuitarentur: qui vero ea defuncta
alteram non ſupradixiſſet, is inuiſus & execrabilis Dijs, hominibuſ-
29 que & ab omni honoris aditu & magiſtratu arcebatur. Romuli † le-
ge mulieribus, quæ trium liberorum matres forent, etiā viuo patre
teſtari, & ſine curatore de bonis diſponere, negotiaque alia gerere,
permiſſum erat; viroq; decedente ſine liberis omnium bonorū hæ-
res vxor erat. Si vero cum liberis, æqualem bonorum partem cum
liberis ferebat. Vtque non ſeuera & triſtis, ſed læta atq; hilaris illarū
pudicitia foret, vxoribus nec molere, nec coquere aut alio ſeruili
munere fungi permiſere: nuptaſque pecuniarum & fortunarum
viri, ſacrorumque ſocias eſſe iuſſere Romani.

Romani cenſores ad coniugium & prolem excitandam non ſolum pænis coercerunt repugnantes, ſed & præmijs inuitarunt iuuentutem. Apud Romanos priſcos tam venerabile fuit coniugium & legitima liberorum procreatio, vt ſemper plurium liberorum parentes in omnibus negocijs pauciores liberos habentibus aut ſine vxore degentibus, antelati fuerint.

Mos erat Romanis conſulibus, lictoribus ac faſcibus per vices vti:
quiſquis menſe ſuo his vtebatur. Vtendi autem principium his fa-
ciebat, cum in bello mortuus eſſet filius, vel cui vxor eſſet, etiamſi
iunior haberetur, ſi alter quanquam ſenior vxore careret. Romani
veteres Prçturas, Quæſturas, Conſulatus, alioſq; honores in Comi-
tijs ijs tantum dedere, qui matrimonij vinculo ligati, plurimorum fi-
liorum parentes eſſent. Quare exemplis palā factum nouimus plu-
res candidatos, cum ad comitia & campum deſcenderent fictis ado-
ptionibus liberos ſibi peſſimo more ementitos fuiſſe. Furius Camil-
30 lus, † cum cenſurā ageret, vt exhauſtæ ciuitati propter aſſiduas bel-
lorū clades, ciues ſuppeteret, legē de maritādis ordinibus tulit. Qua
inter cætera pænis coercuit illos, qui viduarum nuptias quarum vi-
ri bello ceciderant, deuitarent. Eos vero qui ad ſenectutem cœlibes
per-

peruenerant, æra pænæ nomine ad ærarium ferre iussit, iterum puniri dignos, si quo modo de tam iusta constitutione queri sunt ausi, cum in hunc modum increparentur: [Natura vobis quemadmodū nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesq; vos alendi nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligauerit. Accedit etiā ijs, quod in fortuna longam præstandi huiusce muneris vacationem estis assecuti, cum interim consecuti sunt anni vestri, & mariti & patris nomine vacui. Ite igitur & nodosam exoluite stipem, vtilem posteritati numerosæ.] Val. Max. *lib.2.c.4.* & Plut. *in Camillo.*

Q. † Metellus Numidicus Censor, & postea Iulius Cæsar, deinde Augustus, liberorū gignendorum & sobolis causa legē de maritandis ordinibus tulere, eos ad progeniem propagandam præmijs & immunitatibus inuitantes. Siquidem cui tres erant liberi, vacatio muneris, cui plures libertas donabatur. 31

Nota † est Metelli vox, quam paulo ante quoq; attigimus digna sane, quæ sæpius repetatur) cum ad populū in Censura verba faceret. Si sine vxore possemus esse (inquit) Quirites, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis cōmode, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius, quā breui voluptati consulendum Gellius, *lib.1.c.6.* Iulia lege de maritandis ordinibus apud veteres cautum fuit, vt hi, quibus vigor iuuenilis foret, primo flore ætatis ad vxores ducendas liberosque educādos, propugnandamque Sobolem, non solum præmijs inuitati, sed pæna deterriti cogerentur. Tiberius Cæsar equitē quæstura priuauit, quia vxorem repudiauit triduo posteaquā eam acceperat. Leuissimum enim putauit, † & qui in repub. nulla in parte vtilis esse posset. Claudius Cæsar abrogata lege Papia, Sexagenarios & ætate multo seniores, liberos gignere, & prolis causa ad coniugium admitti voluit. Idem legem tulit de liberorum coniugio; qua edixit, si ad iusiurandum libertum patronus adigeret, ne nuberet, neue vxorem duceret, eum ad ius patronatus lex pariter non admitteret. 32 33 34 35

Ex his itaq; quam plurimis tam sacris quam prophanis exemplis, quis iā non statuat? quis iam nō affirmet? quemuis debere propriam ac eam quidem legitimā coniugem habere, & admodum & caste diligere. Nimirū quicunq; matrimonium negligit, & fornicando aut quomodocunque aliter impudice viuit naturam, legem, Deumq; ipsum creatorem & matrimonij institutorem negligit. Quippe qui

dixit, Crescite & multiplicamini & replete terram: vt inde videlicet repleatur paradisus cœlestis, præuaricatione dæmonum, multis vacuus.

36 At vero † quam est dolendum & deplorandum tot sine numero quotidie in maxima orbis parte homines, volentes, videntes, scientes & prudentes matrimonij contemptu, dũ tamen se continere nõ possunt, in profundum Orci hiatum ipsos se detrudere atque præcipitare? Hi siquidem miseri, irretiti tot mundi illecebris, non honesto solum matrimonio, quod cuilibet secundum leges diuinas & politicas contrahere, licitum est, scortationem concubinatumq; impurissimum, interdictum omnibus, præferre malunt, sed etiam sub prætextu castitatis (venereæ tamen) cœlibem se, Deoq; acceptam viuere vitam gloriari non erubescunt: parum enim de animæ salute soliciti, nec etiam attendentes quid Ethnici, nedum Christus ipse serio nos admonendo dicant. Tibullus enim ait:

Vos quoq; abesse procul iubeo, discedite ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum veste venite
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Porro hi ventres si quæras ex illis, qua de causa contra conscientiam seruitutis huius diabolicæ iugum imponi sibi patiantur, plausibili (si dicere fas est) responsione occurrunt; ac nimirũ inquiunt; familiam alias satis numerosam proleque abundantem esse: per matrimonia bona paterna, varias in proles distrahi portiones admo-
37 dum exiguas fieri, neque gentiles propter exiguos singulorum prouentus suum honorem & reputationem pro dignitate gentis conseruare atque tueri posse. Tot insuper restare sorores maritis tempestiuas, quæ omnes pro more patrio familiæque consuetudine elocari velint, aliaque prætendunt, quæ silentio committimus. Illud autem quod licet notum est omnibus, attamen propter monasticos tantam vitæ sanctitatem & castitatem præ se ferentes summam querimoniam inculco; ac nimirum vt Hermannus Ordinis Franciscani monachus in suis floribus temporum, de monasterio Sancti Benedicti in Ersthaim per Lotharij I. vxorem instituto exclamat: hodie cæteris omnibus conqueror, ac, proh dolor, tanta moderno tempore in omnibus est facta mutatio, non dexteræ excelsi.

excelsi,sed potius sinistræ diaboli maledicti: in tantum quod potius possint nunc dici prostibula lasciniæ carnalis; quam monasteria 38
continentię regularis. Flebilius sane nunc quam tunc si reuiuisceret, lamentaretur Hermannus, quando in plerisque maxime monialium cœnobijs videret, choreas, stupra, adulteria (sacris etiam noctibus) in multorum scandalum atque iniuriam exerceri: adulteros sibi iunctos feudis Ecclesiasticis & secularibus pro Venere præmiari, vt publica vox & fama est. Quid multis, quotidiana experientia plus satis testatur, nil fere nisi gulonum, scortatorum, adulterorũ, homicidarum, adeoque infernalis Dei omnium scelerum Magistri instructissimas esse officinas, monachorum & monialium quorumcunq; ordinum collegia. Quamobrem non immerito Iacob Wimphelin- 39
gus in Catalogo Episcoporum Argentinensium, sub vita Burghardi à *Lützelstein*, Antistitis 74. reprehendit parentes, qui filios suos ad conseruandam familiæ dignitatem in monasteria detrudunt. Credibile est, inquit, multos olim filios suos tradidisse, vel monasterio vel Ecclesiastico statui, ne paternæ hæreditatis cohæredes essent, & filij seculares exaltarentur & familiæ propagarentur. Quod si genitores Deo vniuersali confisi essent, & filios suos frugaliter viuere instituissent, hodie forsan ipsorum progenies subsisterent nec essent prorsus extinctæ, &c.

Sed meus nunc festinat animus ad ea, quibus aliquid de ipsomet vero amore & fide maritorum erga vxores ante, in, vel post coniugium generatim aliqua subijcere possim.

Amat quisque seipsum, parentes, liberos, consanguineos, amicos: magnus est horum omnium & excellentissimus amor, qui magnam animæ recreationem in tristitia adfert; at longe clarior amoris reful- 40
get efficacia in ijs, qui non sanguinis necessitudine, sed animorũ sensu simul atque carnis copula nexi sunt. Amicus & sodalis in tempore conuenientes, ait Ecclesiasticus, at super vtroque mulier cum viro, Et sicut canit Propert. Amelius. 41

Omnis amor magnus, sed in coniuge maior.

Vtque docuit quadam in Epistola ad omnes Christi fideles Tho- 42
mas Illyricus: annulus iste, qui per sponsum, quasi Deũ; Sponsæ quasi animæ vel Ecclesiæ digito quarto inditur, ex institutione Ecclesiæ, vnus & aureus & rotundus esse debet: quoniam sicut aurum excellit omnia metalla; ita amor iste cæteros amores vnus & perpetuus exi-

ftens. Nec abs re Cicero, prima ſocietas, inquit, in ipſo eſt coniugio,
43 proxima in liberis: Et Ariſtoteles: viro autem & vxori ſecundum naturam amicitia ineſſe videtur, homo namque natura coniugale magis eſt quã ciuile animal, quanto prior & neceſſaria magis eſt domꝰ, quam ciuitas, & procreatio communior animalibus; vt ſint etiã qui parentibus antiquiorem coniugem eſſe debere, ſtatuant: diuini niſu dicti ceu manifeſtarij, quod iubet, relinquendos illos adſciturо vxo-
44 rẽ vt ſup. dictum eſt. Vnde magis puniri qui coniugem quam qui parentem occiderit, canonico iure notatum eſt, *c. admonere 33. q. 2.* Etſi alijs id magis eo ſit viſum eſſe conſtitutum, quoniam pronius eſt in coniugem quam in alios delictum, eo quod matrimonio interdicitur, quod violatum eſt. Cæpol. *conſ. 5.*

45 Præterea multa præclara & illuſtria ſunt amoris & fidei exempla in coniugali copula, atque ex his quædam cum ipſo homine propemodum nata. Niſi enim plus æquo, Protoplaſtus Euam adamaſſet, nunquam ſciens, volenſque diuina lege aberraſſet. Nocuit auctoribus dira præuaricatio, nocuit & poſteritati. Eſſet pars vitæ longe optima mutua charitas, ſi homo ſuper ea vellet, quæ honeſta ſunt: aut ea darentur, quæ iure dari poſſint, nihil obſequio præter bonum & & æquum tuente. Sabin. *libro 3. capite 5. e5 Geneſi.* Item quantum oporteat eſſe coniugij amorem ac fidem, declarat ipſa connubij lex & natura, quam Adam, ſeu verius Deus per Adamum prouocauit, ad quem cum eſſet Eua poſt primum illum dulciſſimum ſoporem allata, futura coniunx, & ſocia totius vitæ: Ecce, inquit Adam, os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo homo vnus. Hoc eſt ſummum amicitiarum, hic finis, ita cum re chara coniungi, vt vnum fias cum illa. Vulcanum ferunt in fabulis, fabrum illum Deorum, conſpicatum duos, quia magna inter ſe amoris ſigna oſtenderent: Deum beneuolentia illa & charitate delectatum (neque enim eſt aliud quicquam cœlitibus gratius, quam amor,) rogaſſe: Ecquid eſſet, in quo vellent ſibi ab ipſo benefactum? O Vulcane, inquiunt illi, vt tuis iſtis diuinis inſtrumentis nos rurſum confles ac refingas, vnumque facias ex duobus. Ludouicus Viues *de officio Mariti.*

Querentibus Phariſæis, ſi liceret viro dimittere vxorem, quacunque de cauſa? dixit Dominus: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet

patet. *Marci 16. Matth. 9. Marc. 10.* Mariam virginem desponsatam 46
sibi Iosephus prægnantem esse cognouit. Noluit tamen eam traducere, ne secundum leges lapidibus obrueretur; sed clam eam relinquere voluerit In somnis autem ab Angelo monitus, non criminis, sed benedictionis diuinæ eum esse fœtum, qui maritus nomine erat, re ipsa diuini partus custos effectus est. *Matth. 1.* Mirum videri posset, hominem suprema sapientia, ac supra fastigium humanitatis collocatum, à Deo illecebris succubuisse, vt relicta luce tenebras sit secutus. Sed homo fuit Salomon, etsi sapiens: humanus tamen, cuius proprium est est labi. Sab. *lib. 3. c. 5.*

Nisi fabulosa consectari turpe esset, & fides ijs abrogaretur quæ ad vitam instruendam non ad voluptatem scribuntur, speciosum esset in hac relatione illud quod de Orpheo canunt Poetæ: Nam præterquam † quod ridiculum sit prodere, inferna loca adijsse, vt suam 47
Euridicen reciperet: quod reliquum est à fide non abhorret, coniuge amissa semper illius nomē in ore habuisse, omnemq; muliebrem congressum esse iam inde auersatum, ita vt Soliuagus flebili cantu luctum & mœrorem solaretur. Sab. *lib. 3. cap. 5.* Protesilaus, sub cuius Imperio fuerunt Antron, Phylaca, & † Larissa vrbes Thessaliæ, pri- 48
mus Græcorum interfectus est apud Troiam à Dardano quodam. Quod cum resciuisset Laodamia, in solatium mœroris optauit, vt mortui vmbram videret, quod cum impetrasset, in illius amplexib. exspirauit. Propertius.

Illic Phylacides iucundæ coniugis heros,
Non potuit cœcis immemor esse locis.
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat vmbra domum.

Pericles † Aspasiam vxorem adeo dilexit, vt nunquam egrederetur 49
domo, quin eam dissuauiaretur. Vnde veteres Comædiographi Deianiram & Iunonem eam vocabant. Antimacus Poeta Græcus, Lysidicen vxorem adeo dilexit, vt eius mortem lamentabili defleuerat Elegia, qua omnes heroum calamitates enumerabat. Periander Corinthiorum Rex, qui Cypselo patre Olymp. XXXVIII. successit in Regno, & sapientum Græciæ nequaquam inter postremos numerandus, vxorem suam Melyssam adeo dilexisse fertur, vt etiam cum mortua concubuerit. Suidas & Laert. *libro primo,* & Herodot. *libr. quinto.* Fuit M. Lepidi charitas in vxorem nobilis apud maiores,

qui

Iuliani Apostatæ, in magicis præceptor, sub Valente Imperat. in vincula coniectus est, & diris affectus tormentis. Tandem orauit vxorem, vt medicatam sibi potionem emeret, qua porrecta à malis eriperetur. Ea vero emit, secumque allatam, cum ille posceret, bibere præoccupauit. Quam exanimatam necessarij & genere proximi sepultura affecerunt: sed Maximus bibere supersedit. Tandem à Cle- 50
archo Asiæ præfecto liberatus est. Eunapius. Ausonius in Epigrammatis sub sua persona eleganter coniugalis amoris leges exprimit, inquiens:

Vxor viuamus quod viximus & teneamus,
Nomina, quæ primo sensimus in thalamo.
Nec ferat vlla dies, vt commutemur in æuo,
Quin tibi sim iuuenis, tuque puella mihi:
Nestore sim quamuis prouectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben.
Nos ignoremus quid sit matura senectus:
Scire æui meritum, non numerare decet.

Cui concinit Horatius, *1. Carm. Od. 13.*

Fœlices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus quærimonijs,
Suprema citius soluet amor Die.

M. Lepidus, quod Apuleiæ vxoris desiderium post diuortium fer- 51
re nequiret, morbo extabuit. Alex. *lib. 4. c. 8.*

Iustinus minor Imperator habuit vxorem Sophiam nomine, quã tam ardenter amauit, vt portum à se ædificatum Sophium, ac regias ædes suburbanas cum adiacentibus agris Shopiada nuncuparet. Cuspinianus.

Matrimonium Flaminis Dialis apud Romanos non nisi morte dirimi ius erat, Gell. *lib. 10. cap. 15.* Sigismundus Burgundorum Rex amore vxoris secundæ ex prima susceptum filium interficit. Cuspinianus. Phanias potiundæ amatæ herilis filiæ causa sese Diabolo mãcipat. Suidas. Iacobus Patriarcha, Labani auunculo pro filia Rachele seruiuit septem annos. Quod spatium ei perinde visum est, ac si **pauci dies fuissent; tantopere eam amabat.**

Exactis septem annis, cum noctu pro Rachele Leam lippam ei supposuisset, etsi eam iniuriam indigne ferebat, tamen altero septẽ-

nio pro Rachele seruiuit, *Gen. 29.* Vlysses Circem & Calypso Deas, spreuisse traditur, propter mortalem Penelopem; & ad eam per decennale naufragium, per tot ærumnas & discrimina contendisse ac peruenisse. Ludou. Viues *de Christiana fœmina libro 2.* Hector apud Homerum Iliados: Scire se ait, futurum aliquando tempus, cũ Troia Græcorum viribus excindatur; & tamẽ nec sui, nec parentum, nec fratrum ita angi sollicitudine & cura, vt vxoris vnius. Artaxerxes Darij & Parysitidis F. vxorem elegantem & probam parentibus iubentibus duxit, & retinuit inuitis. Nam cum fratrem eius interemisset Rex, statuerat illam quoque de medio tollere. At Artaxerxes supplicibus precibus apud matrem agens, multisq; lacrymis tandem obtinuit, ne interficeretur illa, neque diuortium ipse faceret cum ea Plu. *in Antaxerxe*, & Iustinus *lib. 2.* Dauid Rex Iudeorum Hebrone constitutus, quamuis sex alias haberet vxores, ab Isbosetho tamen Sauli F. Rege Israelitarum enixe petijt, vt sibi Micholem vxorem primam Sauli filiam (quam pater in exilium pulso Dauide, Phalti Laïs F. Guimensi locauerat) restitueret, quam ipse sibi centum Palæstinorum præputiorum dote quæsiuerat: annuit Isbosethus, eamq; Dauid per Abnerem Polemarcum remisit, deducente eam multis cum lachrymis Phalte, Bahurim vsque *2. Reg. 3.*

Menon Syriæ præfectus Semiramidem vxorem in castra Bactriam vsque euocat, absentiæ eius impatiens. Venit illa, & vti prudentia sua Nini Regis Assyriorum amorem sibi conciliauit; ita Zelotypo marito seipsum necandi occasionem dedit. Diod. *lib. 2. capite 2.* Lais meretrix cum Eubatam Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eum amore cœpit flagrare, & de contrahendis inter se nuptijs sermonem ei detulit. At ille metuens eius insidias, dixit se id facturum. Non tamen rem cum ea habuit Eubatas, sed caute se gessit. Sponsio vero ijs conditionibus facta est, vt post ludos certamenque rata deberet esse. Cum igitur victor abiret è certamine, ne conuentis non stetisse videretur, pictam Laidis imaginem deportauit secum Cyrenam, inquiens se Laidem ducere. Quam ob causam vxor eius maximam statuam Cyrenæ ponendam curauit, sic remunerans ipsius castitatem. Ælian *lib. 10. de varia historia.* Thebano Crateti ob singularem probitatis opinionem amoremque in Hipparchiam vxorem, omnibus cognitum ac spectatum cuncta non solum hostia totius ciuitatis & cubicula, sed reconditissima quæque ex re familiari, tan-

quam domestico cuidam genio patebant. Idcirco Græca voce sortitus est etiam alterum nomen seu Verius cognomen.

Nemo enim eum ad alienas oculum animumq; adiecturum suspicabatur, cui optime conueniret cum sua. Ludouicus Viues *de officio mariti.*

Constantinus Monomachus cum peregre in morbum incidisset, & à medicis moneretur, vt consuetudine mulieris morbum leuaret, negauit se cum vlla fœmina, præterquam cum sua vxore rem habiturum. Zonaras.

Singulari demum memoria dignus est amor, quem Dominicus Catalusius, qui Lesbi rerum potiebatur erga vxorem ostendit. Quæ cum in lepram incidisset, vir minime veritus à contagione se infiri posse, aut aspectus horrore auerti (etenim illuuies magis quam viuum corpus videri poterat) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, nunquam aut mensa, aut lecto communi eam prohibuit. Coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrumq; cõspectum odoremque in securitatem ac voluptatem verterat, quod eam iuxta Dei verbum eãdem carnem secum esse arbitrabatur. Fulgos. *lib. 4. c. 6.*

Restant impræsentiarum de eximia fide & incredibili amore vxorum erga maritos, in coniugio, vel post, in medium adferenda & enumeranda exempla & documenta maximæ & infinitæ admirationis plena, tam ex sacris, quam ex prophanis historijs petita: & præsertim de admiranda fide & incredibili amore fæminæ, Saræ erga 52
Abrahamum maritum suum quæ videndo tam se, quam maritum in extrema senectute constitutam, verbis efficacissimis perduxit maritum Abraham, & persuasit ei vt peccaret, sicuti omnibus plane est notum. Quod vxor debeat esse viro suo socia non Domina vel ancilla, inde patet, quod Euam formauit Dominus de costa Adami, non de capite vel de pede: vt supra quoque dixi: Vir est caput vxoris, quia fuit ei principium ortus, & facta est mulier de viro suo, non vir de muliere. Eiusdem debet esse Magister & Doctor. Præceptum sane à Deo fuit datum Adamo, & per Adamum Euæ, *Gen. 2.* Parentes Saræ monuerunt eam, honorare Thobiam Socerum, & Annam Socrum, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Tob. capite decimo.* Nullus tam mutuæ charitatis maior vnquam exstitit affectus connubio ali-

quo, quam Iobi patientiſſimi hominum. Enimuero vxor capillis, magno in fœmina ornamento, ſeſe priuauit, vt in ſumma egeſtate lang ̇ěti viro ac grauiter affecto panem mercaretur; & illum, quem non fortunarum amiſſio, non cohors filiorum ruina domus obtrita, non vis vlla morbi infringere potuerat, pars vna capillorum coniugi adempta adeo affecit, vt diem quo genitus eſſet, homo alioqui patientiſſimus, ſit demum execratus. Sab. *libro 3. capite quinto.* Sara vxor Abrahami, obtemperabat marito, & Dominum eum vocabat. *Gen. 18.*

Vxor Maximiliani Cæſaris Maria, cum ei Gallia Belgica patris Caroli V. hæreditate obueniſſet, & ſubditi Maximiliano omiſſo, Mariam tanquam Principem de rebus omnibus ditionis referrent: nihil illa vt ſapientiſſima atque prudentiſſima, tantique mariti mirum in modum obſeruantiſſima ac quam amantiſſima pro poteſtate ſtatuit inconſulto Marito, cuius voluntatem ſemper pro lege habuit, & quidem poterat abſque mala viri gratia omnia adminiſtrare ſola pro arbitrio, nihil non permittente Maximiliano. Ita Sacratiſſima atque ſemper Auguſtiſſima Imperatrix Maria virum in maximam auctoritatem breui adduxit, ditioque audientior fuit Principibus geminata ſumma reuerentia, & quaſi vtriuſque maieſtate ab altero fulta atque ſuſtenta. Vincentius Piſtalocius Magnus *in ſuis lepidiſſimus ac iucundiſſimis Muſis de vero & caſto amore, &c.* Hieroſolymitana matrona Phania maritũ ad Chriſtũ conuertit. Æmyl. Glotildis Regina Franciæ, Clodoueũ Regẽ maritũ ad cultũ ſacræ religionis induxit. Idẽ. Iuguldis ſoror Childeberti Frãcorũ Regis Hormogildum Lemugildi Gothorum Regis filium, maritum ſuum, ad Chriſtianam conuertit pietatam. Volaterran. Iulia Cæſaris Dictatoris filia, cum Pompeij Magni, mariti ſui veſtis cruenta domum è campo referretur, ſuſpicata ſaucium eſſe virum, exanimis pene concidit, qua conſternatione animi, eijcere partum immaturum coacta, interijt. *Viues.* Poſtrema eiuſdem Pompeij vxor Cornelia, turpe dixit eſſe, occiſo marito poſſe vel ſolo dolore non mori. Viues *de Chriſtiana fœmina libro 2.* Porcia quoque Catonis filia M. Bruti vxor, victo & perempto marito mori ſtatuit: ferrum eſt ablatum, ipſa ſe prunis ardentibus in os ingeſtis ſuffocauit. De ea Martialis Epigrammatum *lib. 1.*

Con-

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari:
Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas:
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Laudamia vbi nuncium accepisset, Protesilaum virum ad Troiam ab Hectore interfectum esse, ipsa se occidit. Penelope tanto amore Vlyssem maritum prosecuta est, vt eo absente per annos viginti castitatem impollutam seruarit, nullisq; procerum blandimẽtis succubuerit. Homerus *in Odyssea.* Capanei apud Thebas mortui dum celebrarentur exequiæ, vxor Euadne in rogum mariti se coniecit. Ouid. de ar.

Accipe me capaneu, cineres miscebimus inquit
Iphias, in medios desiluitq; rogos.

Vinspergenses matronæ sarcinarum loco maritos hostium crudelitati eripiunt. *Xiphilinus.* Contra, cum Belides omnes facta coniuratione maritos interfecissent, sola Hypermenestra maritum Linum seu Linceum seruauit. *Viues.* Demotionis Areopagitæ Filia, cum vidua solicitaretur, vt viro nuberet negauit, eo quod adulterum acciperet: Maritum enim etsi defunctum, sibi tamen adhuc viuere. *D. Hier. ad Iouia.*

Atque sic demum cognita tam mirabili inter coniuges amore & fide coniugum vitæ solitariæ vel cœlibatui, vel etiam concubinatui quis, qui modo bene esse sibi cupit, non præferret?

Cæterum † si etiam de iucunditate matrimonij scribere multa liceret, Deum immortalem, quam per latum exspaciandum hic mihi campum esset. Vbi vis otio est opus, industria requiritur, animus a curis solutus, liber & tranquillus postulatur: en præsto vxor parata sedulitate adstat, iuuat, alijs locis suo dum fungitur munere maritus, illa interim domi rei familiaris curam in se deriuat, & ne quam illa iacturam patiatur, diligenter prospicit. Est infirma quandoq; atque ægra valetudine maritus; medicamine opus habet, commoda victus ratione eget, ministram fidelem desiderat. Mirum sane quanta hic vxorum diligentia, lectulis quasi affixæ hærent, assident, consulunt, consolantur, mandata expectant, gemitus excipiunt, oculorum nutus obseruant, ad digiti, quod aiunt, crepitum iussa capessunt, me- 53

lius quæ nobis obsint aut prosint sæpius, quam ipsi medici norunt. Quæris etiam quo cum libere colloqueris; festiue ioceris, cuius in sinum curas cogitationesque tuas effundas? quæris qui laboribus te fractum atque attritum reficiat, quiq; tuis rebus æque atque ipse suis aut doleat aduersis, aut lætetur secundis? Semper vxor optatissima est & certissima tibi adest. At quid liberi? quid nam natura charius dat, quam suos cuique liberos? Ah suaues illorum sunt in nos ocelli defixi, quam mellitum balbutientium nomen parentis, quam dulcis complexus, quam grati etiam titubantes gressus, quam lusus iucundi: quantum vero in senectute iam adulti solamen, subsidium quantum, quantum denique gaudium, dum certos bonorum nostrorum pro quib. laborauimus ac sudauimus successores videmus, qui etiã huius successionis spe magis nos venerãtur: deniq; nominis nostri famã conseruãt & posteritati committunt, vt hoc supra latius est expositum. Quis ergo hac semel percepta huius connubiata cũ muliere coniunctionis iucunditate, non eam secundo tertioque & pluries repeteret, vt repetere plerosq; eam videmus.

Non omnes sunt morosæ molestæque Xantippes, sed sunt fere omnes gratiosæ, si modo etiam viri decens est semper officiũ. Nam sæpius in viro incommodi & infœlicis matrimonij culpa residet, qui vt vxoris si quæ sunt vitia corrigere rite sciteque nescit, aut moderate tollerando malam reddere meliorem non animi duricie potest. Quæ porro & qualis eligenda potissimum vxor, supra dictum est, & latius pertractat Tyraquellus in legibus connubialibus. Nunc itaque certam omnino vxorem cuique se qui continere nequit esse ducendam, nec matrimonium propter vlla incommoda aut mulierum molestias fugiendum esse, concludo.

CAPVT XXVI.

Summatim sexus masculini dotes atque virtutes & fœminini labes atq; vitia repetuntur; atque ex ijs demum natura digniores & præstantiores esse fœminis masculos cõcluditur. Et hinc quatenus iuxta viros fœminæ

minę in Republica & societate humana tuendæ & protegendæ sint, nec successiones & amplas possessiones fœminis sed viris præcipue conuenire fœminis domo contentis deducitur.

SVMMARIA.

1 *Summaria priorum virtutum in masculis, & vitiorum in fœminis repetitio.*
2 *Quatenus mulieres iuxta viros tueri conueniat.*
3 *Matri ante partum liberi onerosij in partu dolorosi, post partum laboriosi.*
4 *Matrimonium dicitur quasi matris munium*
5 *Maiori studio prosequenda est mulier propter partum.*
6 *Pracipuum mulieri munus natura datum est, vt concipiat, tueatur & nutriat, educetq; partum.*
7 *Alterum mulieris munus est, vt familiam regat.*
8 *Ad vultum viri vxor, tanquam ad speculum, se componere debet.*
9 *Honestissima sunt mulieres obscura.*
10 *Quare viris mulieres timidiores nata sint.*
11 *Domi se continere debet vxor.*
12 *Vt domi se contineat vxor, maritus eam cogere potest.*
13 *Stulte agunt, qui dum prudentes habent vxores, rei domestica se immiscent.*
14 *Encomium diligentis matrisfamilias.*
15 *Officium viri quod?*
16 *Fœmina ab amplis possessionibus & successionibus, tanquam ad eas infirmiores, abstinere, & eas committere viris debent.*
17 *Sapienter amplius ius in successionibus quam fœminis viris concessa est, & fœminas rei tantũ familiari lex vetustatis mãcipauit.*
18 *Viri erga vxorem pietas & officium.*

QVandoquidem † ergo sexus virilis muliebrem tantis naturæ prærogatiuis antecellit, ac tot melior nominibus mas est quam fœmina; Viri omni virtutum genere sublimior; quibuscunq; vero vitijs magis conspicua mulier, ille omnibus corporis & animi partibus perfectior; hæc imperfectior habetur. Et

Et masculus quidem non tantum creationis prioritate, actiua generandi virtute, sui perfectione, virium præpollentia & virtutum excellentia, sensuumq; validitate: sed etiam præcipuo amore boni odioque mali, omnique corporis & animi vigore maior: robustus, iustus, prudens, fortis, temperans, grauis, cunctoque sexus decore ornatissimus. Fœmella vero cum creationis ordine, & generandi virtute passiua tantum, imperfectione sui, omniumque virium ac virtutum tenuitate inferior: tum etiam omnibus sexus vitijs pollutissima, mollis, tenera, imbecillis, debilis, fragilis, infirma, misera, calamitosa, superba insuper, ambitiosa, elata, insolens, gloriosa, pertinax, contumax, contentiosa, rixosa, præterea auara intemperans, incontinens, luxuriosa, impudica, lasciua: in actionibus licitis & honestis timida; in turpibus & prohibitis impudens, audax, libidonosa, garrula, loquacula, inanium curiosa; arcanorum studiosa & secretorum minime tenax; procliuis ad iram, irata, potens crudelis, impotentior saltem verbis contumeliosa, inuida denique alijsque innumeris vitijs implicata & quasi ex omnium vitiorum colluuiæ (vt Tiraquellus loquitur) nata, sexum quidem masculinum etiam natura omnique iure digniorem, fœmininum autem indigniorem pronunciamus.

Proinde vero æmulantes naturam, etiam in ciuili societate magis honoramus viros; mulieres autem eatenus iuxta tuemur & conseruamus, quatenus eas tueri simul atq; cum viris conseruari ipsa quoque natura suadet.

2 Nimirum † ergo vel non amplius natura iubente atque suadente, has saltem velut vitæ subsidium & suscipiendæ prolis vas & organum agnoscimus, & queis sine nec viuere commode, nec nostrũ propagare nos homines genus possumus, ad vitæ vsum eas adhibemus, socias nobis laborum coniungimus, vxores & familiarum nostrarum matres deligimus. Respicientes & animo potissimum reputantes, earum erga nos fidem & dilectionem, & eam qua a nobismetipsis tanquam viris corruscant, dignitatem, etiam colimus eas & reuerentiores habemus: vbicunque naturalis earum imbecillitas, fragilitas atque necessitas exigit, illæque prudentia & auxilio opus habent, succurrimus, consulimus, iuuamus fluctuãtes regimus, corrigimus, mandata damus & ad imperata adsuefacimus: & quicquid omnino opitulatrici in vita in domo familia prolisque matri simulatq;

latque tutrici, hominem videlicet virum in coniugio caput, in domo dominum, ac sobolis patrem ac genitorem, non præcipere ac iubere tantum, sed etiam vicissim auditum, & reuerenter subdita ab vxore habitum præstare, naturæ ius & ratio iubet, vt est viro dignum, præcipimus atque præstamus. In quo quidem hoc quoque consideramus † quoniam scilicet soli matri ante partum liberi sunt 3
onerosi, in partu vero dolorosi, post partum maxime laboriosi, *vt dicitur in c.2.ex.de controuers.in fid.*

Vnde † & matrimonium quasi matris munium rectius quam pa- 4
trimonium inquam, vti Innocentius primarium inter omnes iuris interpretes sydus micans, tradidit *in c.iuuenis,ex.desponsal.* Etenim nemo ignorat, quod Platonis Epinomis ait, quanta sit in prima generatione animalium difficultas in conceptione & vtero primum, deinde in natiuitate & partu, postea in nutritione atque educatione, quæ per mille labores matris maxime fiunt. Quamobrem † maiori 5
oportere eam studio prosequi, quæ partus doloribus distenta fuit, quæ peperit, quæ nutrijt, quam patrem, qui successiuam tantummodo libidini operam accommodans filij generationem procreauit, inquit Iustinianus in Nou.162.

Quod † igitur præcipuum ad quod nata est fœmina munus est, 6
id est, vt ad generationem hominis homini inseruiat, nutriat, educetq; liberos: alterum vt domi familiam regat, quam vir foris procurat. Nam peculiaris hæc virtus mulieris est, domum videlicet re- 7
cte gubernare, domestica curare, viro obedire, adeoq; parendo imperare, quod non insulsum remedium ad sublimem virtutis laudem sese euehendi circumspectus quidam vir fœminis præscripsit. Et certe ædium gubernationem diuina prouidentia quodammodo quasi propriam adscripsit, siquidem timidiores eas quam viros procreauit. Timor enim iste custodiæ ædium maxime vtilis & aptus videtur. Mulierem † ergo (vt Plutarchus docet) modestam sese iuxta 8
virum videndam exhibere, & ad vultum eius, tanquam ad speculum componere docet: cum vero abest vir, ædes custodire & latere in quo Tibullus canit:

Felix Adineli coniunx, & lectus Vlyssis,
Et quæcunq; viri fœmina limen amat.

Nempe † vt Xenophon scripsit, honestius est mulieri domi se cõ- 9
tinere: & vt Tucydidis sententia habet, laudabiliores sunt, optimæ-

que censentur fœminæ, de quarum laude aut vituperatione quam
10 minimus sermo apud exteros forisque habetur. Cum enim venustiores sint & debiliores, ideoque natura quoque timidiores creatæ sunt, vt se cum pudicitia & importata a viro extra præcipue agente tueantur, disponant, regant, vt Petr. Godofred. *lib. 2. de amoribus, cap. 4. scribit, & 3. Polit. 3.* ab Aristotele traditum est. Hinc *Exod. 11.* Dominus præcipit Hebræis, viris quidem, vt ab amicis, mulieribus autem vt a vicinis postulent vasa aurea & argentea: quod ex nostris refert Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi, *parte 2. consid. 25. in in pr.* vbi multis rationibus, testimonijs patrum & exemplis probat, fœminis neq; commercia virorum, neque conspectum ampliorem conuenire.

11 Ergo † domo te contineas, quæ modo famam custodire vis, vxor atq; vt supra ex Ouidio dixi:

I Cape cum calathis & stamina pollice torque,

12 ne moleste te † rogare, atque etiam ad ianuam & intra parietes domus coercere atque compellere inuitus euagantem te cogat maritus, quam potestatem iure ei competere ei Speculator noster tradit, *in tit. qui filij sint legit. §. 1. vers. quid si viro absente, &c.* In domo vigilantem & frugem matremfamilias te ostende, nec oculis, quod dicitur apertis dormi, ne suo infortunio vir cogatur etiam rebus domesticis sese immiscere, quarum alias omne gubernaculum libens tibi
13 concederet. Quippe merito ridentur, & risu digni sunt, qui discretam & intelligentem habentes vxorem, pilum in ouo anxie quærunt, & cibaria ipsimet sua manu condire gestiunt, atque vxoribus se immiscentes, domesticas mulieres reprehendere & docere volunt. Hi & vxores offendunt, & parum eis acquiescunt, aut diffidentiam aut contemptum præ se ferentes offendunt & seipsos dum exigui precij homines se exhibent. Si enim seria & ea foris expedienda negocia haberent, quæ viris solertibus atque industrijs conueniunt; id certe acturi non essent, vt domi quiete potius agere possent, quã vt vxores & ancillas vexarent.

Meminerint hi maritellomaterculi ad fœminas vxores, non viros focum pertinere: a quo etiam focariæ in legibus nostris appellantur, *leg. quæsitum, §. Trebatius, & §. seq. l. si a testamento, ff. de instructo, vel instrum. leg. l. 5. C. de condit. insert.* & Græci mulierem oiko-
14 despinan vocant, † quod illa domum præcipue regere debeat.

Inde

Inde in monumentis antiquis frequens hoc mulierum elogium, domum ſeruauit, lanam fecit, vt notat Forner, *in l. 46. de verb. ſignif.* & repetit. Borch. *in tract. feud. c. 1. n. 19.*

Vt † autem viro quidem indecens hæc virtus eſt, ſcire ea, quæ in- 15
tra ædes fiunt: ita viciſſim hæc eius maxime decens virtus eſt, ad ciuilium rerum adminiſtrationem paratum & ſufficientem ſe præſtare, ijſque tractandis amicos iuuare, inimicos lædere, nec non diligenter cauere, ne quid ipſum ſimile quippiam pati aliquando neceſſum ſit, vt in Menone ſiue dialogo de virtute diuinus Plato admonet.

Sed † & in his quidem mulier parere viro omnino debet, nec 16
quicquam eorum tractare, quæ ad forum & curiam ſpectant, non ſuper ſucceſſionibus, hæreditatibus, & amplis poſſeſſionib. contendere, quas ex æquo naturæ ampliores atque plures maribus quam fœminis ciuilia iura attribuunt: vtpote quibus fœminæ, quo minus præeſſe commode eaſque regere rite ac diſponere queant, ad id non firmo ſatis iudicio præditæ ſunt, neque propter ſexus ſui fragilitatẽ, conſilij penuriam, inconſtantiam animi aduerſus virilis animi vigorem defendere vel poſſunt vel norunt: imo propter innatam auaritiam atq; malitiam in abuſum & perniciem ſuam plerumq; eas cõuertunt: & quoſcunque euentus ſuis libidonoſis cupiditatibus ſequuntur, quas non poſſunt miſerrimæ (vt idem Plato, *lib. 1. de legib. ait*) ita prudentiæ moderamine regere, vt vera diſcernant bona, & quæ ſecreuerint, ea neglectis aliis appetat.

Sapienter itaque & naturali † ſuadente æquitate, huiuſq; publica 17
quadam accedente neceſſitate ſucceſſiones, hæreditates, dominia rerum atque poſſeſſiones, omniaq; in omnibus bonis iura vetuſtiores legumlatores viris præcipue cõcrediderunt; quæ vero media iuriſprudentia diminuere illis & communicare etiam fœminis cæpit, ea nũc laudabiliter poſteritas integra viris reſtituit, foco & colo mãcipare fœminas, viros autem in forum protrudere & fortiter ad virtutem exhortari non ſegniter ceſſans: quod & vtriſque tam fœminis quam viris, atque communiter omnibus eſt ſaluberrimum.

Viri autem rurſum, † hoc eſt, erga vxoris in domo fidem, operam, 18
induſtriam, frugalitatem, obedientiam, pietate decens officium, vt eam eum liberis & familia domi procuret, defendat, tueatur, foueat, alat, omniaque neceſſaria foris deſudando comparet domoque

importet. Debet enim haud dubie vir amputare omnes querelas: dando quæ necessaria sunt & opportuna, tanquam suæ ipsius carni: quam nemo vnquam odio habuit, vt Paulo Hagiographo habent. Alioquin enim competit in eum malæ tractationis actio, vt docet Petr. Godofr. *in l. eum qui, C. de Episc. & Cler. & in lib. 2. de amoribus c. 4. &* Alex. ab Alex. *in genial. lib. lib. 4. c. 11.*

Ita ergo (vt denuo summatim dicam) recte prudenter, salubriter & æquissime impotentem naturæ sexum a successionibus, hæreditatibus, dominijs rerum ac possessionibus, omnibus harum iuribus & facultatibus: muneribus etiam publicis, contractibus & quibuscunis virorum commercijs repellimus, e foro, e curia, domū ad focum ad filium, ad colū, relegamus, & domesticis negocijs adstringimus. Potentiorem vero sexum, masculinum scilicet vel inuitum expellimus domo, & ad agrum propellimus, in forum protrahimus, in curiam euocamus: publicis atque ciuilibus munijs addicimus, commercijs & artibus vero istis dedicamus & quasi consecramus, quas intelligere atque addiscere, exercere ac sustinere, continuare, atque perficere non nisi virilis animi vigor iudicium & magnitudo vna cum corporis validitate potest.

CAPVT XXVII.

Quinto, cum viri potissimum sint, quorum curis laboribus atque periculis cuiusq; domus, familiæ, gentis, imo omnes & vniuersæ cuiusque reipublicę possessiones atq; bona acquiruntur, conseruantur & adaugentur: eos etiam in eorundem bonorum successionibus ampliori iure quam fœminas merito gaudere, duplici æquitatis ratione defenditur. 1. quia natura est æquum, eum sequi commoda rei, eiusdem quem sequitur onus. 2. quia ex cuius occasione aliquid profectum est, id ad eum reuerti debet.

SVM-

SVMMARIA.

1 *Et scire & facere ingentia praeclarum est.*
2 *Ratione laborum atque periculorum quae viri pro communi salute subeunt aequissimum est, vt aliqua praerogatiua in possessionibus & successionibus iuxta foeminas gaudeant.*
3 *Vxorem sub tecto, & virum sub dio versari conuenit.*
4 *Omnis Respublica sola virorum virtute sustinetur.*
5 *Herculeis plerunque labores quos pro Republica viri pericula subeunt, comparant.*
6 *Herculei labores descripti à Boetio.*
7 *Fortes virorum pro Republica conatus saepe vires humanas superãt.*
8 *Quo quisque maiorem in Republica prouinciam subit, eo maioribus periculis est expositus.*
9 *Laboriosa res est magistratus.*
10 *Curarum & laborum in Republica recompensatio, honor.*
11 *Qui in aulis versantur, saepe vitae suae renunciare coguntur.*
12 *Horatius.* 13 *Ouidius.*
14 *Praemia virtutum & laborum pro Republica constituenda sunt.*
15 *Virtutes & res praeclare gestas grata memoria prosequi debemus.*
16 *Qui maiora pericula subeunt, etiam maioribus beneficiis afficiendi sunt.*
17 *Augmentum honoris non ambitione, sed labore ad vnumquemque peruenit.*
18 *Non secundum laborum euentus, sed secundum laudabiles conatus cuiusque merita aestimanda, ac proinde largitiones alicui conferendae sunt.*
19 *Illi praecipue Republica honorandi, quorum scientia & virtute ea regitur.*
20 *Aequalibus studiorum & qui Reipublicae causa peregrinentur priuilegiis gaudent.*
21 *Peregrinantium Reipublicae causa maiora quam studiosorum pericula.*
22 *Militum bene de Republica merita quae sint.*
23 *Miles vnde dictus.*
24 *Rei militaris virtus praestat caeteris omnibus. Cicero. Marc. Mantua.*

etiam egregijs ac virtuosis gestis & actionibus, laudabilibus factis,
& præclaris in Rempubl. meritis; laboribus atque sudoribus, quos
pro communi salute effundunt, quæ pro aris, focis & laribus sube- 2
unt, periculis, ipsum sexum velut firmissimis præsidijs, custodijs atq;
vigilijs communiunt: omnibus quas pro se suisque singuli, atque in
vniuersum omnes pro omnib. anxietates, molestias, clamitates per-
petiuntur, discrimina tentant, ac fortunæ dimicationes adeunt, vel-
uti ingenti vallo, fossa & aggere maximo circumcirca sese includũt,
quo omnem hostilem impetum prohibent, sui iuris aditum fœmi-
nis obstruunt, omnesque ad succedendum pari iure cum viris ipsis
vias intercludunt.

Quippe naturalis & ciuilis ratio suadet, vxorem sub tecto, sub dio 3
virum agere: illam rem familiarem administrare & domi cum pudi-
citia partum tueri; hunc vero victum, amictum, omniaque familiæ
necessaria parare: neque hoc solum, sed insuper etiam in foro, in cu-
ria, in Republica virili virtute patriæ, communi vitæ & tranquilli-
tati consulere atque prospicere; denique pro ara & focis fortiter di-
micare.

Sed & quod grauiter admonent omnes, non minus vsu strenue
hoc prosequimur omnes, & vxores quidem in ciuitate operam do-
mus parietibus definimus, viri autem munia non muris, non vllis, in-
quam, finibus concludimus.

Quæ enim vbique ciuilis hominum conuersatio non à pruden- 4
tia viri? an non vero tota societatis humanæ conseruatio à sola
virili virtute dependet? estque hac sola suo velut fundamento suf-
fulta.

Quos autem porro, quot & quantos, quam duros, graues & fasti-
diosos labores, quod & quanta pericula sæpe pro domo, pro patria,
pro Republica adire putas? Herculeos eos exclamare hic laudẽ præ-
cones solent, quos? rogas; audi eosdem eleganter Boetium canen- 5
tem, *Metro.7.lib.8.*

Ille centaurus domuit superbos,
Abstulit sæuo spolium. 6
Fixit & certis volucres sagittis,
Poma cernenti rapuit Draconi,
Aurea leua grauior metallo,
Cerberum extraxit triplici catena.

Victor

Maxime vero qui in regiminis culmine ſedent, hiſce moleſtiarum procellis atque turbinibus agitantur. Nam vt Seneca *in Agamem.* ſcribit:

Nunquam placidam ſceptra quietem.
Certumve ſui tenuere diem. 9
Alias ex aliis cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempeſtas.

atque vt concinit Propertius:

Nunc maris in tantum ventis iactamur & hoſtem
Quærimus atque armis, nectimus arma noua.

Ergo vt iterum ludit Seneca:

Non ſic Lybicis ſyrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus.

Et in Troade:

Quoque fortuna altius
Fuerit atque leuauit humanas opes.:
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet,
Varioſq; caſus tremere.

Atque iterum in Oeteo.

Aurea rumpunt tecta quietem
Vigileſq; tradit purpura noctes, 10
O ſi pateant pectora ditum
Quantos intus ſublimis agit
Fortuna metus.

Hinc de Agamemnone Plutarchus refert, cuidam ſe regum ducumque feliciſſimum primariumque omnium Græcorum appellanti reſpondiſſe: à Diis immortalibus ſe ingentibus miſeriis, curis & laboribus deſtinatum; vt ſic appareat & honorem, comitem eſſe curarum laborumque quaſi iuſtam recompenſationem, foreque ſemper honorem & gloriam. Et quoſcunque in aulis ſiue militia 11
verſantes, quàm ſæpe vitæ ſuæ renunciare ex munere iniuncto ſæua pericula cogant, teſtantur Impp. Theodoſ. & Valent. *in l. principes 6. C. de principibus agent. in reb. lib. 12.* vt non immerito quicunque gubernationis aut alio quouis publico munere implicati ſunt, ita cum Horatio conqueri poſſint:

Nullum à labore me reclinat ocyum. 12
Vrget diem nox & dies noctem: neque eſt
Lauare tenta ſpiritu præcordia.

13 Aut † certe cum Ouid *lib.1.de Ponto* in hanc querelã prorumpere.

Confiteor facere hoc annos, sed & altera causa est,
Anxietas animi continuusq; labor.
Cernis vt in duris & equis boue firmius aruis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Me quoque debilitat series immensa laborum.
Ante meum tempus cogit & esse senem.
Octa corpus alunt, animus quoque pascitur illis.
Immodicus contra carpit vtrumque labor.

Quid igitur? an non in gratiam præmio aliquo decorandi sunt, quos tot pro Republica exanthlare labores, suam pro communi in discrimen salutem euocare videmus.

14 Certè † (*vt 1.Offic.* Cicero testatur) vix inuenitur, qui laboribus susceptis, periculisque additis, quasi mercedem vel saltem rerum à se egregie gestarum laudem atque gloriam non desideret, atq; hoc certum virtutis præmium expectet.

——— *quis enim virtutem amplectitur ipsam;*
Præmia si tollas? vt Satyr. 10. Iuue. dicit. aut vt Paling. in Zodiaco.
——— *tolerare laborem*
Propter virtutem quis vult si præmia desint?

15 Atque † hinc grauissimi iudicii author Seneca *lib.4.de benefic.* hortatur res egregiè gestas, quæque in communem patriam præclarorũ virorum extant promerita, ea grata posteris perpetuaque memoria commendare. Hæc enim debemus (inquit) virtutibus, vt non eas præsentes solum, sed etiam è conspectu ablatas colamus: & quomodo earum possessores idem egerunt; vt non in vnam tantum ætatem prodessent: sed beneficia sua etiam post se relinquerent: ita etiam nos non vna ætate tantum, sed omni æuo grati simus. Nec nobis, vt idem paulo ante scripsit, sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria: præterquam enim quod plures bonos iuuat, si gratia bonorum noncum ipsis cadat, & multos bonos virtutis æmulatores excitat. Quo ergo maior & præstantior cuiusquam virtus, eò, Æmilio *in hist.* auctore, maiori verborum honore commendata ad posteros quoque transmitti debet: Quo & ille iustam suæ virtutis mercedem laudem videlicet perpetuam consequatur: & alii hac ratione ad eandem inuitentur & propellantur: habeantque egregia in proauis virtutis exempla, quæ ob oculos sibi imitanda proponere possint.

Propter

Propter eandem rationem & quo magis ad virtutem & laborem homines excitarentur, etiā in iure nostro imperialibus constitutionibus cautum non semel legimus: non solum in altiori dignitatis gradu esse collocandos, sed etiam amplioribus † cohonestandos 16 priuilegiis atque beneficiis, qui laboribus atque periculis sunt celebriores.

Nam ita Impp. Theodos. & Valent. *in l. vbicunq; 7. in pr. C. de proximis sacrorum scriniorum &c. lib. 12.* constituerunt, vt vnicuique in sacris scriniis militanti, ex numero deficientibus aliquibus successiue sui loci merita conseruarentur: nec vlli liceret tempore posteriori præcedentis locum ambire nisi forte eum comparatione laborum superaret; vt tum quindecim primatum eiusdem scrinii testimonio cum sacramenti religione subnixus præcedenti dignior iudicaretur.

Et Impp. Arcadius & Honorius Philosophica quidem, sed certe digna Imperatoriæ maiestatis sententia rescripserunt: † Augmentū 17 honoris non ambitione conuenire, sed labore ad vnumquemque deuenire *in l. contra publicam C. de re militari lib. 12.* Et rursum alii Impp. *in l. 2. in fi. C. de Offic. magistri officiorum.* iure eum gradu cœteros antecedere, quem labor prolixior fecerit anteire. Nec minus pulchre quam grauiter Imp. Constantinus *in l. 1. in fi. C. de diuers. offic. & apparit. d. lib. 12.* in vacuū dignitatis locum eum præcipue destinari debere, rescripsit, cui meritorum insignia adstipulantur. Omnium vero elegantissime Imp. Anastasius *in l. vlt. C. de tyronibus d. lib. 12.* ita rescribit: Tyrones in scholis (hoc est *vt ibi glo. exponit.* iuniores in societatibus militum, seu in matricula posteriores. *arg. l. ex eo ff. de testam. mil. l. pen. & vlt. C. de dignit. lib. 12.*) loco semper posteriores ponantur. Nec enim patimur quemquam celsiorem gradum obtinere nisi cui & laborum assiduitas & stipendiorum prolixitas suffragantur. Quémadmodum ergo Impp. prudentissimi pro vnius cuiusque laboribus, non tam ex rerum euentu quam virtute, laudabiliter sane, permensis, vnumquemque etiam in dignitatis albo, priori vel posteriori ordine scribendum censuerunt: sic etiam distributione suorum premiorū, † vel priuilegiorum indulgentiis, pro exantlatis cuiusque 18 fortibus ausis atque periculis, in his quoque non tam facti in Rempublicam assecutum vel non assecutum meritum, quam laudabilem conatū ponderantes suas largitiones in vnumquemq; contulerunt, *vt in l. 2. C. de aduoc. diuers. iud. l. 1. C. de offic. mag. tot. tit. ff. de iure immunis.*

nit. auth. habita C. ne filius pro patre, &c. alibique passim in iure nostro videre est.

Dignum videlicet existimarunt illi, vt cum Imperatoriam laudē protectionem, gratiam & liberalitatem, omnes qui bona faciunt,
19 mereātur, † eos præ cæteris speciali aliqua dilectione prosequi, quorum scientia & virtute mundus regitur & illuminatur, ad obediendum Deo & legitimis magistratibus Dei ministris subditorum vita informatur, *arg. d. auth. habita.* Quis enim eorum (vt Fridericus 1. Imp. Rom. dixit) non misereatur, qui amore scientiæ (etiam in Rempublicam studiis) exules facti de diuitibus pauperes, semetipsos exinaniunt; vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod grauiter ferendum est) corporales iniurias perferunt. *d. auth. habita.*

Quanquam autem Imp. Fridericus, illorum tantum, qui studiorum causa peregrinantur, mentionem habeat, quia tamen & multo magis, qui iam comparata scientia, vel alias ingenio sunt natura validi in ipso Reipublicæ pelago remigant, domi vel foris similes aut maiores molestias perferunt, atque etiam vitæ suæ pro multis, ita postulante fato, renunciare non trepide metuunt, iisdem priuilegiis digni sint, animo non anxie hæret, nec etiam nisi beneficiorum immemorem facile dubitaturum alium existimo.

20 Non † minoribus itaque, vel maioribus potius priuilegiis quam studiosi decorandi & exhortandi etiā sunt legati, milites & quicunque alii Reipublicæ causa abeuntes. Etenim non tantum pares pariter in omnibus, sed in his etiam grauiores militant causæ, propter quas præcipuo merito hos fauore prosequimur, ac nō solum æqualibus sed etiam maioribus quam studiosos afficere beneficiis æquum est.

21 Siquidem † qui mittuntur & ablegantur, vt vel malos homines Principis nomine corrigant, siue rebelles compescant, vel principi gratulentur, Principes ac vrbes concilient, aliaue necessaria tractēt; vel quacunque de causa abeunt, varias illi tempestates, varios hominum mores acerbe experiri, ad remotissimos populos atque Monarchas, vel etiam ipsos hostes, per hostium copias transire insolentiæ hostili vitam committere, aliasque tædiosas & periculosas vias & nauigationes adire coguntur.

Milites

Milites † vero (quibus ſanè non minus quam Iuriſconſultis 22
aliarumq; ſciẽtiarum peritis, vt ipſe Imp. Iuſtinianus *in procm Inſtitu. pr.* teſtatur ad conſeruandam, augendam, amplificandam, Rempublicam eſt neceſſarium.) hi, inquam, vt alii parta tuto domi retinere queant, ſua ipſi abiiciunt, vt aliena quietè alii poſſideant, propria deſerunt, vt coniuges, parentes, liberos alii reſeruent, ipſi diſcedere à ſuis non recuſant, vt alii luce atque vita hac ſuauiſſima diu fruantur, ſuam ipſi in diſcrimen vocare non dubitant; id denique ſpectant, vt quæ vel neceſſitati deſtinata, vel accomodata oblectationi, vel ſplendori atque dignitati inſeruiant, ſarta tecta maneant omnia. Pro quibus velut ſtipendiarios mortis omniumque malorum atque calamitatum Patriæ ſeſe mancipant, ex quo denique milites dicti ſunt, Miles enim † Vlpiano authore *in l. 1. §. vlt. ff. de teſt. mil.* à militia appellatur h. e. duritia quam pro nobis ſuſtinent; aut à multitudine; aut à 23
malo, quod arcere milites ſolent; aut à numero mille hominum, aut à mollitia, quaſi nihil molle, ſed aſperum gerant.

Non libenter hic ego Rhethorum aut Philoſophorum teſtimoniis vtor, ſed tamen Ciceronis illud de re militari ſilentio præterire nequeo, quod ipſa veritas ei extorſit: cum notum alias ſit iſtud

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Quid ergo dicit ille? *Ac nimirum*, inquit, *(diceũnd enim eſt quod ſentio.)* Ecce quam grauate rem militarem laudat. *Rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus.* Mulſi profecto cyathus propinandus erat Ciceroni, rẽ militarem tam egregie commendanti. Sed audiemus rationem quã ſubiungit: *Hæc nomen populo Romano: hæc huic vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit: omnes vrbanæ res: omnia* 24
hæc noſtra præclara latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis: Quid Marcus Mantua magnus iſte Iuriſconſultus *in tract. de priuileg. milit in pr.* Diſciplina militaris, inquit, longe aliis præſtantior eſt & dignior, quondoquidem ea libertas retinetur: dignitas prouinciæ propagatur, & conſeruatur imperium. Quodque id ipſum militis opera fieri quotidie videmus, humano generi prouidentis, ſaluantiſque patriam, aut fortitudine aut bellica quadam peritia, nec non præliis & vulneribus: & qui clypeis tandem gladiis atque thoracibus nititur. Quod denique hæc Cyro Perſæ Alexandro Macedoni & Romano Cæſari nomen peperit æternum, imo orbem

terrarum Romuli Imperio parere coegit. vt non minus vere quam eleganter Apianus Orator dixerit: Cedat forum castris, ocium militiæ, stylus gladio, vmbraque soli.

Primum itaque siue exilii causam proponas, id summis tædiis maximisque malis perfert miles, subitque legatus & quicunque alius longius est à ciuitate vel principe emissus.

Siue deinde perpendas paupertatem, ingentes sumptus miles in militiam suam conuertit: ablegati vero alii, sua cum dispendio domi incertis fortunæ telis committere coguntur, dum publicis foris districti negociis detinentur.

25 Siue etiam † tertio labores, molestias, curas & vigilias opponas, his qui se macerant & exinaniunt magis quam milites vel delegati? Studiosis verò non durus aut tædiosus labor, sed otium, voluptas, & quoddam vitæ condimentum est sapientiæ studium: ex bonorum authorum lectione, lectissimos sibi sapientiæ flores colligunt, & iucundas temporis delitias hauriunt.

26 Magna † enim est eorum, qui literas norunt & amant voluptas librorum: tanta librorum cupiditas Platonis fuisse dicitur, vt tres libros Pythagoræ decem millibus denariorum soluerit: Et Thomæ de Aquino tanta, vt Chrysostomum magis, quam ciuitatem Parisiensem exoptarit. Hispanos vero in multis colligendis legendisque libris tam curiosos & delitiosos Iohannes Glossator, *in l. dolum. C. de dolo.* scribit, vt ipsum aliquando rubeo & albo commixto vino inebriarint, quo facilius commodato libros ab ipso impetrarent. Sed certe neque inanis ac superflua est multorum librorum copia. Est
27 enim † fragilis memoria rerum, totque pene amittimus plerique, quot recipimus, vt alicubi Seneca scribit. Quare diuinitatis magis quam humanitatis perpetuam lectionis memoriam Imper. Iustinianus quoque iudicauit, *in l. 2. §. si quid. C. de vet. iur. enucl.* & dixit Clericus in tract. *de potest. seculari & ecclesi.* (quem somnium viridarii incertus author inscripsit.) *cap. 137.* Haurit aquas cribris, clericus sine libris.

28 Denique † siue etiam peregrinationum studiosorum pericula obiicias, *arg. l. si non fuerit. 29. § 1. ff. pro socio. l. 3. & 4. ff. de mort. cau. donat.* certe longe ea militum & legatorum numero simul atque difficultate vincunt. Multa illi quidem de contemnendis pro patria periculis ipsaque morte disputant; magna de his Philosophorum volumina

mina leguut. At vbi propius quodcunque vident ceruicibus imminere periculum vel per transennam saltem salutantem mortem respiciunt, protinus exhorrescunt metu, toto pectore tremunt, ac lamentis illico atque lachrymis muliebribus omnia complent, idque probant.

Debilem facito manu:
Debilem pede, coxa,
Lubricos quate dentes.
Vita dura super est, bene est.

Milites contra triarii, exploratæque virtutis legati, qualemcunque sibi dant numina mortem, intrepidi obeunt, infracto planeque excelso animo quæcunque pericula expectant, excipiunt, perferunt.

Quantisuis ergo beneficiis siue priuilegiis studiosos ornandos atque exhortandos esse putas, semper maioribus dignum militem vel legatum ego quidem iudico, quamuis non eadem omnibus iure competere sciam. *d auth. habita iunct. §. sed & quod Principi vers. plane. inst. de iure nat. gent. & ciu. l. 15. & 16. ff. de legibus:* suaque studiosos & sua legatos atque milites peculiaria ac forte hos illis etiam potiora habere.

Nam Ius quidem legationis iam antiquitus non hominum tantum præsidio, † sed & diuino iure vallatũ est, vt Tullius in lib. de responsis Aruspicum scribit, & ostendit egregium IC. Pomponij responsum *in l. vlt. ff. de legationibus* quando inquit: Si quis legatum hostium pulsasset, contra ius gentium id commissum esse existimatur: quia sancti habentur legati: † & ideo si cum legati apud nos essent gentis alicuius, bellum cum eis indictum sit: responsum est liberos eos manere: id enim iuri gentium conuenit. Itaque eum qui legatum pulsasset, Quintus Mutius dedi hostibus, quorum erant legati solitus est respondere. Sed & lege Iulia de vi publica teneri eum, qui legatos, oratores, comitesve pulsasset, aut alias iniuriam eis fecisset IC. Vlpianus respondit *in l. lege Iulia 7. in fi. ff. ad L. Iul. de vi publ.*

Variis quoque milites Principum indultis, præcipue vero in vltimis voluntatibus atque dispositionibus magna licentia gaudent: & tam

tam legatis & omnibus Reipub. causa absentibus, quam militibus variæ quoque immunitates concessæ sunt, & qui peregre muneribus & quidem publicis, cum periculo & labore funguntur à domesticis vexationibus & sumptibus liberentur *text. in l. semper. 7. §. negociatores 3. ff. de iure immunitatis*; de quibus omnibus consule iuris nostri titulos. Ex quibus causis maiores in integr. restituuntur: de excusat. tutelæ; de testamento militis, & d. tit. de iure immunitat. & vide super iisdem singulares tractatus Martini Laudensis de legatis, & Marci Mantuæ de priuilegiis militum, vbi eorum quinquaginta enumerat atque exponit.

Quæ omnia longius forsitan repetita, id nunc operæ precium
32 nobis reddunt: † quod nimirum vbique iustus & æquus legislator maxime de republica bene merentibus digna præmia constituere, grauioribus laboribus atque periculis etiam ampliora proponere, & semper ad maiora maioribus prouocare debeat: non minus pio quam prudente veterum exemplo, quibus, non solum remunerari pericula, sed etiam præmiis homines ad ea in necessitatib. prouocare & exhortari non incongruum visum est. vt testatur Callistratus *in d. l. semper §. negociatores ff. de iure immunit.* Nam vt & Solon, Cicerone *in Bruto* teste dicebat; Respublica duabus præcipue rebus continetur; præmio & pœna: atque vt ipse Cicero *3. de nat. Deor.* admonet, nec domus nec respublica ratione quadã ac disciplina designata videtur; si in ea nec recte factis præmia extent, nec supplicia peccatis. Quamobrem etiam imperiali sanctione virtutum præmia merentibus constituere iubemur. *l. & virtutum 4. C. de statuis & imaginibus.* Merentibus autem inquiunt Impp. Theodosius & Valent. præmia constituenda esse: nam vt inquit ille:

Non dantur pigris præmia iusta viris:

Et canit in nuptiis Honorii Claudianus.

Non quisquam fruitur veris odoribus:
Hyblæos latebris nec spoliat fauos:
Si fronti caueat, si timeat rubos:
Armat spina rosas, mella tegunt apes.

Sic ergo Herculis, vt Boetius *lib. 8. metro. 7. canit.*

Vlti-

Vltimus cœlum labor irreflexo
Sustulit collo preciumque rursus
Vltimi cœlum meruit laboris.

Similiter † itaque etiam vetustas cuiusque sexus in genus humanum & eius conseruationem, ipsamque communem salutem merito perpendens discreuisse, cuiusque humeris reipublicæ moles incumbere ac sustineri magis videbatur: illius quoque in plerisque iuris articulis, maxime in successionibus meliorem esse quam alterius minus collaborantis efficiendam conditionem æquum existimauit. 33

Et certe quomodo non iniquum illis videri poterat; viros quidẽ fœminas ad focum crebro delitescentes alere atque fouere, insuper & quæ foris cum priuati tum publici commodi causa peragenda sunt, procurare omnia solos debere: inde vero nullam vndequaque oneris releuationem per quamcunque remunerationem expectare, nec aliquam in vsu, possessionibus & dominiis rerum prærogatiuam habere: adeoque fœminas quidem æqualia cum viris emolumenta percipere; ab omni vero onere immunes, nullos labores, nulla pericula Reipublicæ causa subire, cum tamen secundum naturam sit, commoda cuiusque rei eum sequi, † quem etiam incommoda sequentur. *l. secundum naturam 10. ff. de reg. iur.* 34

Quandoquidem ergo sexus masculinus sit, cuius solius præcipue studio, opera, curis, laboribus, vigiliis, periculis inexhaustis atq; perpetuis, liberi, vxores aluntur, domus & familiæ ordinantur, conseruantur; agri excoluntur & quoscunque terra fructus natura vel industria producit, ad vsum vitæ præparantur; honesta & necessaria commercia exercentur: optima & saluberrima quæque stimulantur; bonis consiliis, legibus & moribus politiæ instituuntur, reguntur, imbuuntur, & muniuntur; ab iniuriis hostium ciuitates propugnantur; denique omnis ciuilis hominum conuersatio, totaque societatis humanæ conseruatio propagatur; defenditur ac sustinetur: certe æquitatis naturalis ratione etiam quæ ex hac ciuili societate emanant commoda præcipue & maxima ex parte ad masculos pertinere debent.

Iniquissimum † enim illud societatis genus est, in quo lucro dam- 35

num non compensatur. *l. si non fuerit, §. fin. ff. pro socio,* & alias humanum, quod ex alicuius occasione profectum est, id ad eum reuerti: quod vero suis laboribus atque periculis alicui accessit, † id ad
36 alium perueniens luctuosum ei procedere plane inhumanum, *l. cum oportet 6. C. de bonis quæ lib. §. 1. Inst. per quas personas nobis acquir.*

Quin etiam per se absurdum est alium sentire commoda, quorum onera alius solus sustinuit. *l. is qui in potestate. §. fin. ff. de legat. præstan.* Consentaneum naturæ & rationi, lucrum pericula sequi *leg. fin. §. pen. C. de fur. quem text. ad hoc adducit glo. in leg. si is qui. §. 1. ff. commod. & plura concordantia vide in d. leg. secundum naturam c. qui sent. ex eod. l. 1. pr. ff. de Instito. §. cum autem. Inst. de. emt & vend. l. 1. §. pro secundo. C. de cad. toll glo. in d. l. secundum & c. sentit* Decius, Dyn. & DD.

37 Deniq; † ergo & quascunque possidet mundus possessiones, cum omnes illæ per mares potissimum comparentur, excolantur, ad vsus necessarios destinentur, custodiantur, ad posteritatem transmittantur, etiam ad mares quam fæminas magis easdem per successiones deuolui, nullam plane iniquitatem sent. vti, Henricus Breulęus *in tract. de renunçiandi more modoque caus. 1. cap. 4. num. 3.* pluribus deducit.

CAPVT XXVIII.

Sexto differentias sexus in successionibus, vel maxime in illustribus ac nobilibus familiis esse conseruandas, etiam hac naturali æquitatis ratione conuincitur: quod videlicet propter familiæ clarum nomen & agnationis dignitatem, etiam ex communi parentum & maiorum voto, eorum bona masculis magis quam fœminis deberi, videri possint. Cum enim illustrem ac nobilęm generis sui famam etiam in posteros suos deriuari, & in illis quoque continuari quisque percupiat; eam vero non fœminæ sed masculi solum conseruare & propagare possint; etiam ad masculos potissimum sua deuolui is & apud eosdem remanere bona voluisse censetur: ne attenuatis patrimonii viribus anti-

antiquum generis sui decus & magnificentiam tueri minus valeant. Nam familiarum dignitatem, vt opulentia plurimum iuuare atque extollere, sic egestas deprimere atque obfuscare solet: quod probatur. I. quia paupertas homines viles reddit. II. quia aditum ad virtutis gloriam, adeoq; ad veram nobilitatem præcludit. III. quia ignobilem ducere vxorem cogit. IV. quia in officinas operarias detrudit. V. quia equorum, armorum & similia quasi propria Nobilitatis exercitia impedit. VI. quia in nobile magnificentiam, quæ proprium nobilitatis decus est, tollit.

SVMMARIA.

1 *Quemadmodum in vniuersitate, ita etiam in singulis familiis æquum est, cuiusque rei commodum ad eum præcipuè pertinere, qui tulit onus & ex cuius ea laboribus & occasione profecta est.*

2 *Quisque generis sui præclarum & illustre nomen deriuari etiam ad posteros cupit.*

3 *Familiarum magnificum nomen non possunt nisi liberi masculi, ac ne hi quidem id gentilibus bonis atque prædiis orbati, conseruare.*

4 *Bona liberis natura & commune parentum votum addicit.*

5 *In bonis parentum præcipue numeratur etiam familiæ dignitas, illustre generis nomen, & generosi sanguinis hæreditas nedum pecunia.*

6 *Bona ex eo dicuntur quod beant.*

7 *Bonum aliud naturale aliud morale, hoc est animi bonum.*

8 *Animi bonum est, esse de nobili stirpe prognatum.*

9 *In nobilioribus maior ingenii rectitudo præsumitur, & plerunque laudabiliores conatus apparent.*

10 *Vlpianus.*

11 *Horatius.*

12 *Seneca.*

13 *Cicero.*

14 *Palingenius in Zodiaco.*

15 *Quatuor nobilitatis gradus, seminobiles, nobiles, nobiliores, nobilissimi.*

16 *Seminobiles qui.*

17 *Nobiles qui.*

18 Sola virtus nobilitat.

19 Quare virtutis maior quam generis sit nobilitas.

20 Merito maiori nobilitatis gradu collocantur quibus maiora virtutis merita adstipulantur.

21 Vulgo nobilitas generis tantum pro legitima habetur.

22 Exhortatio Platonis ad virtutem.

23 Ciceronis.

24 Ouidii.

25 Nobiles sine virtute Galenus adulterina siue inualida moneta comparat.

26 Nobilis non nascitur, vt Poeta: sed fit vt Orator.

27 Fortes creantur fortibus.

28 Palingenius.

29 Faustus.

30 Maiorum imagines & rerum gestarum pictura posteros ad æmulationem inflammant.

31 Nobiliores qui sint.

32 A virtute maiorum sine ignominia degenerare nemo potest. Plato.

33 Cicero.

34 Natos nobiles Caroli V. exemplo virtute semper plus vltra tendere decet.

35 Virtus natos nobiles nobiliores fecit. Marcell.

36 Boetius.

37 Admodum solicitos esse parentes de gloria generis conseruanda, Aeneæ ad Ascanium admonitione probatur.

38 Nihil natura hominum generi dulcius datum est, quam sui cuiq; liberi.

39 Propter familiæ & nominis nostri conseruationem magis amamus filios quam filias.

40 Diuitiis nostris parum gaudemus sine filiis. Plato.

41 Prolis masculæ in parentibus studium duobus exemplis demonstratur: 1. Ludouici 8. Galliæ regis. 2. Henrici 4. Hispaniæ Regis.

42 Nisi masculi potiori iure quam fœminæ in bonis parentum succedant, non possunt generis dignitatem & claritudinem conseruare, sed paupertate perit.

43 Filiæ familiæ suæ caput & finis sunt.

44 Soror dicta quasi seorsim nata.

45 Priuilegium alicui concessum pro se & posteris, ad natos ex filia non porrigitur.

46 Ima

46 Imo nec ad ipsas filias Opin.com.
47 Vxor sequitur forum mariti.
48 Genere & virtute nobiles, hoc est, nobiliores diuitiarum potentia nobilissimos facit.
49 Non emitur sed nascitur nobilitas.
50 Pecunia non gignit nobiles: nobiles autem nobiliores facit.
51 Pecuniarum vi nobilitatem conseruari & augeri, testimonia Ecclesiastici.
52 Augustini.
53 Exemplum in Iosepho.
54 Testimonia legum.
55 Egestate sordentibus mors solatium & vita supplicium.
56 Quemadmodum sine Cerere & Bacho friget Venus? estque mortua fides sine operibus: ita nobilitas sine diuitiis iacet.
57 Crescentibus diuitiis crescit etiam nobilitas.
58 Quare in pœna læsæ maiestatis hæreditas fisco applicata sit.
59 Quare Iustin. prohibuerit, ne pater emancipans filium in huius beneficii recompensationem tertiam illius bonorum partem retineret.
60 Testimonia Philosophorum de diuitiarum præstantia in illustrandis familiis Aristotelis.
61 Gellij.
62 Ciceronis.
63 De eadem re testimonia Poetarum.
64 Lucretij.
65 Petronij.
66 Palingenij.
67 Horatij.
68 Ouidij.
69 Inopiæ incommoda quanta.
70 Ouidius.
71 Horatius.
72 Iuuenalis.
73 Palingenius.
74 Plautus.
75 Nobilitas hodie ex diuitiis potissimum æstimatur. Guicciardin.
76 Paupertas generis nobilitatem opprimit, primum, quia viam ad virtutem præcludit.
77 Secundo paupertatis vilitate & contemptu generis nobilitas obfuscatur.

78 Tertio nobilis pauper ignobilem ducere vxorem cogitur, quo ipso quoque sanguinis nobilitas in liberis diminuitur.

79 Ex ICtorum & Platonis sententia sine nobilitatis detrimento ignobilis vxor ducitur, sed ipsa quoque dignitatem viri consequitur.

80 Moribus non natalibus nobilis ducenda vxor nobili.

81 Plato eas solum honestas nuptias iudicat, in quibus nec paupertatis nec diuitiarum respectus habetur.

82 Inferioris conditionis vxores plerunque sunt obsequentiores.

83 Gordianus Imperator ignobilem filiam duxit.

84 Antonius Imperator filias senatoribus collocauit.

85 Reipublica Venetiana ex nobilium licentia ducendi ignobiles incrementũ.

86 Quarto sine diuitiis nobiles artes mercenarias cum nobilitatis iactura tractare coguntur.

87 Arcentur ab omnibus honoribus & dignitatibus qui artes illiberales & viles tractant.

88 Natales, diuitiæ, honores, ad nobilitatem pertinent. Bald.

89 Ita etiam post artium vilium & mechanicarum tractationem, ea natalibus alicuius nobilis obesse possit.

90 Etiam sapientiæ magister ab honoribus arcet eos, qui viles artes exercent.

91 Illiberales artes quæ sint.

92 Mercaturam exercens an perdat nobilitatem?

93 Inimica virtutibus mercatura.

94 In nobilibus mercatoriæ fraudes non præsumuntur.

95 Quando mercatura nobilitate aliquem priuet.

96 An sine nobilitatis detrimento per institores mercaturam aliquis exercere possit?

97 Quinto nobilitatem paupertas diminuit, quia non licet per eam conuenientia nobilitati exercitia tractare.

98 Sexto paupertas pro nobilitatis more atque decore, non sinit splendide, magnifice atque liberaliter viuere.

99 Diuitiæ bene expensæ sunt peculiare nobilitatis ornamentum.

100 Illustrium donationes insinuationem non requirunt.

101 Diuitiarum vis.

102 Nihil tam firmum quod non expugnari pecunia possit. Cicero.

103 Paupertas homines viles & ridiculos facit Iuuenalis.

104 Plautus.

105 Terentius.

106. Mul-

106 *Multæ interierunt familiæ propter sublatas in successionibus differentias sexus.*

HActenus ostendimus, in omni ciuili communitate, adeoque vniuersa societate humana ita possessiones atque dominia rerum recte & secundum normam æquitatis distribui, si res plerunque ad authorem suum redeat, & emolumentum ad eum præcipue, ex cuius id labore & occasione profectum est perueniat. Nunc ab vniuersalibus descendamus etiam ad particularia, & quasi de domo ad domum Rempub. peruagabimus, dispiciemusque, an non in singulis quoque separatim familiis eandem in possidendis facultatibus adhibere obseruationem, ac nimirum ita in his quoque bonorum communionem instituere conueniat, ne eorum, quos in iis acquirendis conseruandisque præcipuam maximamque operam præstitisse præstareque constat, iniquam aliquam offensionem patiatur?

Quod † autem in vniuersitate, in republica masculis idem etiam nunc in singulis familiis ipsa æquitas patrocinium impartitur suadetque vel in his maxime masculis gentilitia bona esse reseruanda. 1

Quotquot enim sumus, qui non barbara aliqua gente prodiimus, nec rusticana aut populari vtilitate abiectis parentibus nos genitos scimus; sed Romanorum legum humanitate imbuti, humanioribus quoque moribus viuimus, sumusque integra, honesta, nobili, vel illustri familia oriundi, ac multis retro famosis hæreditariisque proauorum imaginibus nobilitati, aut etiam propria virtute
nostris maioribus prælucemus: omnes † videlicet atque singuli, vna 2
cum auitis, vel etiam per nosmetipsos quæsitis diuitiis, generis quoque ac familiæ nostræ illustre, nobile atque præclarũ nomen, splendorem, amplitudinem atque dignitatem, vel propriis partam virtutibus, vel maiorum nostrorum egregiis gestis nomini nostro additam inque nos deriuatam, similiter in nostros quoque posteros eandem deriuare, atque in vltimam vsque memoriam hominum producere percupimus. Huius † autem voti compotes, si non liberos 3
masculos nominis ac familiæ simulq; bonorum concomitetur possessio, fieri nullatenus possumus. Id modo demonstramus vtrumque.

Bona liberis † naturæ simul atque commune parentum votum addicere expeditum est prudentum responsis: Papiniani, 4

in l.

quidam vero mali, quia ex natione editi ſunt quæ magis infamis eſt, teſte † Vlpiano, *in l. quod ſi nolit. 31. § qui mancipia 21 ff de ædil. edicto.* 10
Alciat *1. præſumpt. 48* & certe plerunq; † fere vt Horatius *Carm. lib.* 11
4. Od. 4. canit.

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis eſt in equis patrum
Virtus: neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Ac vt † inquit Seneca; habet hoc proprium generoſus ſan- 12
guis, quod concitetur ad honeſta. Et eleganter † Cicero *pro Rabirio:* 13
ſi qua in familia laus aliqua floruerit, eam fere qui eius ſtirpis ſunt cupidiſſime proſequuntur: Ne, vt Caſſiodorus ait, dedecori magis quam laudi ſit ipſis præclarum maiorum nomen: iuxta illud Poetæ.

——— ———quid te iactas natalibus ortum
Egregiis, te præcipui genuere parentes: 14
Quid tum, ſi nihilis es, ſi turpis turpiter omnem,
Inceſtas maculasq; domum: tibi dedecus eſt hoc,
Non honor: ac veluti ſtolidum ſi gignat aſellum
Magnanimus fortisq; leo, ſi ſimia barrho
Naſcatur; monſtrum es, claræq; iniuria genti.

Quamuis † enim quatuor fere ſint nobilitatis inter ſe diſtin- 15
cti, aliique aliis præſtantiores digniores que gradus; ex quibus quatuor nobilium ſpecies alii aliis meliores, ac nimirum ſeminobiles, nobiles, nobiliores ac nobiliſſimi deſcendunt: ad altiorem tamen scilicet & genere & virtute ſimul decoratum, & cum qui amplius etiam diuitiis & potentia ſplendet, altiſſimum ſcilicet nobilitatis gradum adſpirant. Et nobiliſſimi licet non ſint adeo multi, nobiliores tamen certe plurimos & plures nobiles quam ſeminobiles etiam videmus. Nam vix † paucos reperias inter natos nobiles, qui 16
nobili progenie tantum nobiles ſeſe iactent, atque etiam a multis quidem proauis deſcendant, virtute autem & moribus quoque decentibus, vtraque veræ nobilitatis facie, non ſit etiam ex aliqua parte præditi, quos ſeminobiles nos vocamus. Plures autem ſe- 17
cundo gradu (quos nobiles dicimus) non genere, ſed virtute ſolummo-

summdo nobiles sunt, quia dicit Seneca; Nobilitas est generosus animus: Et Iuuenalis.

——————————*sola† est vnica virtus*

18 *Nobilitas.*

Atque hos ideo nobiliores, quam genere tantum nobiles, vel

19 hos ex asse nobiles, illos velut ex semisse semi nobiles dicimus, † quod animus duplo plus corpore præstat: Virtute autem nobiles animum nobilem, nobiles verò genere corpus tantum nobile possident Et præterea illis industria & labore, his fortuito nobilitas contingit: hique suum iure tantum hæreditario, illi verò sudore atque periculis

20 suam sibi comparent: ex quo merito † altiore quoq; gradu collocantur, quibus maiora virtutis merita adsistant ut *per sub. d. l. 1. & l. vbicunque 7. C. de princip. agent. in reb. lib. 12 l. vlt. C. de tyronib. l. contra publicam C. de re militari eod. lib. l. 2. in fi. C. de off. magist. off. & similia iura paulò ante allegata.* De consuetudine tamen videmus nobilitatem

21 sanguinis † & generis ab omnibus tanquam legitimam & virtutis tanquam spuriam haberi: Sed nimirum, vt ille ait:

Iudicium vulgi insulsum imbecillaque mens est.

22 Potius igitur Platonem audiremus in Menexeno seu Epitaphnio suo in hæc verba nos admonentem. [Hoc nosse vos decet, viro, qui se esse aliquid putat, nihil turpius esse, quam exhibere seipsum honorandum, non tamen propter seipsum, sed ob gloriam maiorum

23 & proauorum †] Generosissimus autem est qui idem est (vt *2. Rhetor.* Arist. scribit) optimus: [illegible] illud Ouidii.

24 ——————*non census, † non clarum nomen auorum:*

Sed probitas magnos magnanimosque facit.

Qui vero propria carent virtute, & ad proauorum recurrunt insignia, non inconcinne cum Galeno monetæ adsimilamus, quæ certis in locis, eoque in regno in quo excusa est, valet, aliis verò in locis reiicitur, imò pro adulderina & falsa habetur.

25 Atque † hinc quidam dicunt, non nasci nobilem vt Poetam sed fieri vt Oratorem.

Licet autem nobilitas virtutis maiorem laudem mereatur quam generis iuxtim tamen neque hæc est contemnenda. Nam vt modo

modo etiam dictum est, hæc compellit & incitat hominem ad virtutem ad sequenda vestigia parendum: quod præter alios amplius etiam his verbis Palingenius in Zod. testatur:

Non tamen inficior claros habuisse parentes 28
Esse bonum, & claro nasci de sanguine, namque
Hoc vere pulchrum atque bonum est prosuntque parentes,
Auxilio, exemplis, hortatibus efficiuntque
Sæpe sui similes natos, nisi fata repugnant.

Atque † idem lepidè admodum hoc disticho Faustus exprimit. 29

Si te rusticitas vilem genuisset agrestis.
Nobilitas animi non foret ista tui.

Quare videmus plerunque genere nobiles maiorum suorum laudem æmulari, & ad eorum dignitatis fastigium adspirare. Sic Philippi nomen Alexandrum, Alexandri gloriæ Iulium Cæsarem, iulij Cæsaris fama Octauianũ :† sic iunioris, Africani laus minorem 30
Scipionem: & sic Q Fabium (teste Salustio,) maiorum magnorumque virorum imagines & rerum præclare gestarum contemplatio ad eorum æmulationem quam maxime inflammaverunt.

Plures † ergo nobiliorum sunt, hoc est, genere simul atque virtu- 31
te nobiles, tertio scilicet nobilitatis gradu collocati. Quos multum extollunt Philosophi, summe sanguinem generosum, generosa mente coniunctum prædicantes. Cassiodorus *lib. 9. epist.* 8. Doctrina, inquit, facile exornat generosum: & iterum Plato in Menexeno Vt, † dicit, & pecuniarum & honorum thesauro, & non eun- 32
dem ad posteros transmittere, turpe est atque ignauum, ob propriarum rerum possessionem & rectæ gloriæ inopiam quasi dicat, ita vtendum diuitiis & honore a parentibus nobis relictis, vt iisdem etiam nostri gaudere liberi quæant, quod sine virtutis exercitio fieri omnino nequit. Hanc si quis deseruerit, dedecori potius quam laudi erit illi præclarum nomen maiorum, vtpote à quibus sine ignominia degenerare nemo potest. Quod quidem eleganter Cicero † Salustio obiicere & exprobare videtur, quando, 33
quod in te inquit, deficit, in me incipit. Ego enim meis maioribus virtute præluxi, vt si prius noti non fuerint, à me sumant initium memoriæ suæ. Scilicet ex aduerso innuens, quod Salustius

à maiorum suorum virtute ignominiose degeneret, & eorum nobilitatem obscuram reddat. Quare ad euitandam ignominiam vel etiã inviti coguntur ex nobilibus prognati proauis, eorum nomen cum virtute assumere, facta præclara imitari, vestigia sequi, atque illud semper cogitare: Filii Abrahæ estis, opera eius facite.

34 Proinde † nobiles nati quicunque sunt, nunquam satis laudati Imperatoris Carol: V. exemplo, plus vltra tendere, nec cessare citius debent, quam cum Augusto dicere possint: Romam lapideam incultam inueni marmoream, reliqui. semper secum illud Marcelli reputantes.

35 *Non igitur genus est non auri copia quæ te*
Nobilitat? virtus, virtus, hac nobilis Hector,
Alcidesque fuit, fuit hac quoque nobilis ille,
Ilias æternum cui præbuit inclita nomen.

36 Atque † illud Boetii *lib. 3. de consolat. Philosoph.* Alienum est bonum atque à parentibus deriuatum generis nobilitas: quoniam laus à parentibus emanans, ipsos quidem parentes claros reddit, filios vero nequaquam, nisi iuxta propriam quoque habeant virtutis claritatem, qua fiat insigniter splendidi.

37 Illam † denique Aeneæ paternam ad Ascanium admonitionem.

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem
In facto, mox cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor. & te animo repetentem exempla tuorum:
Et pater Aeneas & auunculus excitet Hector.

Denique ergo vel ex hac saltem paterna Aeneæ ad filium virtutis auitæ commonefactione, argumentum colligere possimus, quam esse solliciti soleant parentes, de natura sui generis & domestica gloria conseruanda, perpetuanda ea in multa secula. & ad vltimos vsq; posteros transmittenda. Estque sane hoc votum studiumque omnibus idem. 38 Nihil † quidem natura dulcius hominum generi datum est, quam sui cuique liberi, vt Cicero testatur: at enim vix quisque, qui non magis masculos quam fæmellas amet, non filios magis quam filias hæredes sibi exoptet. & plerunque etiam cum pro liberorum conditione possit, magis filios quam filias propter familiæ con-

conseruationem in eorum dispositionibus honoret, vt scribit Iason *in leg. qui filiabus. 17. numer. 22. de leg. 1.* Nam propter nominis illustrationem, & iam illustris conseruationem thesauros liberis suis omnes quærunt, † & per eos in remotissimos eius nominis posteros quoque propter eandem causam deriuari cupiunt. 39
Vnde studio liberorum & maxime filiorum, non tam re obscœno quam honesto tenemur omnes, cum vero vel plane nullos, vel filias saltem & non etiam filios habemus, non solum de diuitiis nostris minus lætamur, sed etiam mæremus, quod post mortem obscuri sine nomine conditi iacere cogimur, † vt *dialog 4. de legib. circa fin.* pru- 40
denter Plato hoc in memoriam nobis reuocat, eoque ad prolis simul atque virtutis studium exhortari nos pertentat. Hanc porro solicitudinem sobolis, in illustribus personis maximam, duobus præcipue pietate pugnantibus exemplis, ac nimirum Henrici IV † His- 41
paniæ Regis nefando scelere, & Ludouic. VIII. Galliæ Regis pio suscipiendæ prolis studio, historiæ comprobant. Nam Ludouicus quidem cum liberis esset infœcundus, præcipuam semper in suscipienda prole curam ponebat, eamque rem diuina potissimum prouidentia niti ductus, pias pro liberis fundens preces, omnem hanc solicitudinem vni Deo commisit. Exauditus ergo, Philippum eius nominis secundum ex Aliza suscepit, qui propterea quod Dei munere datus crederetur, à Deo cognominatus est. Quod testatur Rob. Gaguinus *lib. 6. hist. Franc. cap. 4. in princip.* Henricus vero cum ex vxore Blanca consobrina sua, suscipere prolem non posset, sterilitatis præcipuam culpam in eam reiiciens, Pontificali authoritate ab ea diuertens, Iohannam Eduardi Portugaliæ Regis filiam connubiali lecto agnouit (Rodericus Santius *parte 4. hist. Hispan. cap 36.*) Cum autem neque hanc gignere videret tandem se genitalibus nimis debilem & ad procreandum natura minus aptum cognouit. Quare multis aliis flagitiis iam infamis, etiam hoc addere non dubitauit; ac nimirum alium vt stuprum vxori inferret instigauit, ex quo tum Isabellam (vt quidam volunt) suscepit. Baptista Fulgos. *lib. 9. hist. cap. 3.* Ioh. Mich. Brutus *lib. 4. hist. prope fin.* quam tamen suppositam fuisse scribit Franciscus Tarapha *de gest. reg. Hisp.*

Quod igitur gloriam generis hæreditariam, vel etiam propria virtute partam nominis sui famam in posteritatem quoque transuolare quisque percupit, hactenus constat.

Porro huius communis voti compotes fieri non possumus, nisi qui nominis hæredes soli sunt, & manent, videlicet masculi,
42 iidem etiam in bonis & facultatibus † eiusdem soli vel potiori saltem iure succedant, quam fœminæ, quæ non paternum aut auitũ retinent, sed maritale plerunq; nomen, dignitatem & familiam sequuntur.

Proinde stirpem patris siue familiæ immarcescibilem non conseruant filiæ, neq; ad generis immortalitatem conducunt,
43 sed vt Vlpianus dicit: familiæ suæ quæque & caput † & finis est. *in l. pronunciatio 195. §. vltim. in fin. ff. de verborum significatione.* Caput, hoc est, principium, quia statim atque in domum transit, non amplius in familia patris, sed virli est. *l. quicunque 11. Cod. de re milit. lib. 12. l. penult. §. Iulianus. ff. de eo quod fals. tut. aut. gest.* Vnde cum liberos procreat suam nouam, mariti scilicet familiam per sobolem nouam constituit, siquidem illa patris non auitum matris nomen & familiam sequitur atque adsumit *l. familiæ. 196. § fœminarum ff. de verb. signiff. l. cum legitime ff. de stat. hom l. liberos & ibi* Bald. *ff. de senator. l. nullus §. 2. C. de decur. lib. 10. §. fin. & ibi* Wesemb. *instit. de pat. potest.*

Dum vero in alienam familiam viri scilicet transit filia, in qua nata est, in ipsa desinit, ex quo eadem familiæ suæ etiam finis nedum caput dicitur. *d. l. pronunciatio. §. vlt* & ibi Alciat. & pulchre Gædd. Bart. *in d. l. quicunque C. de re milit. lib. 12.* Math. de Afflict. *in c. un. §. item si. fidelis num. 24. quibus mod. feud. amitt.* Tiraquell. *de retract. p. 1. §. 1. glo. 9. num. 198. & in LL. connubialib. l. 1. num 31.* Ripa respons. *79. num. 5.* Arrius Pinel. *in l. 3. num. 26. C. de bon. matern.*
44 Rol. à Valle *cons. 82. nu 16. vol. 3.* Hinc Antistius † Labeo iuris Ciuilis peritissimus lib. *4.* ad edictum Prætoris: Soror, inquit, appellata est, quod quasi seorsim nascitur, separaturque ab ea domo, in qua nata est, & in alienam familiam transgreditur, vt testatur Gell. *lib. 10. noct. Attic. cap. 13* & refert Tiraq. d l. 9. Atque hinc etiam illud.
45 Filia aliena possessio patri. Hinc † etiam priuilegium alicui concessum pro se & suis descendentib siue posteris & genere suo; ad natos ex Fœminis non porrigitur, vt Vlpian. de personarum immunitatibus respondit *in l. 1. § personis ff. de iure immunit.* cuius tamen respon-

si intellectum & in cæteris priuilegiis limitationes vide apud Pinel. *in d. l. 3. numero tricesimo secundo, & sequen.* Prugman. *in tractat. de diff. sexus part. 1. prin. memb. 3. artic. 24. num secundo, tertio, & sequentib.* Sed & ne † ad ipsas quidem filias, postquam nuptæ sunt, recte eiusmodi priuilegia extendi, crebriori DD. sententia præualuit: *argumen. d. l. 1 § personis,* vt idem *in de leg 3. num. 34.* Pinel. scribit, quam tamen ipse contrariis iuris textibus ibidem refutat. 46

Hinc † denique vxor viri forum, priuilegiũ domicilium dignitatem sequitur & sortitur. *l cum quædam ff. de iuris dict. omn. iud. l. exigere ff de iud l. filii. 22. §. i. ff. de municip. l fin. §. iidem responderunt mulierem §. eod. tit. l. ciues. vbi* Bart. *l. vlt. C. de incol. lib. 10.* Neque tamen ea, quibus à familia viri non distrahitur mulier, suæ ciuitatis atque originis commoda & fauores amittit, vt notat Bald. *in d. l. cum quædam vers. & faciunt ista ff. ad S. C Syllanian* Bart. *in l. vlt. §. iidem responderunt ff. ad municip.* sed de his & similibus late Tiraq. *in LL. connub.* Pinel *in d. l. 3 num. 29. & seqq.* Prugman. & Gedd. *dd. locis.* 47

Siquidem ergo familiam patris, & in qua natę sunt commutant cum nubunt fæminæ, eandem eas tueri non posse constat. Et consequenter, qui nominis & familiæ suæ splendorem, dignitatem & amplitudinem conseruare & propagare velit, hanc illi curã incumbere vt simul cum nomine bona transeant, hæcque se inuicem concomitentur, hoc est, in masculos potissimũ non fęminas diuitiæ per successiones deriuentur. Non enim alia re magis post genus & virtutem præstat nobilitas, quam diuitiarum affluentia quæ genere & virtute nobilem etiam ad summum nobilitatis culmen euehit, † efficitque nobilissimum. Imo sola hæc tantam vim habet, vt multis hæc sola sine genere & virtute nobili, nobilitatis existimationem adiecerit: quidam etiam hodie per eam veræ & genuinæ nobilitatis priuilegia quidem & feuda emtitia (vt vocant) possideant: veram autem nobilitatem arbitratu meo minime. 48

Non † enim emitur sed nascitur, estque familiaris sanguini vera nobilitas Ideoque hi velut ex balneo nobiles plerunque ortum suum indicare pudent, more illius muli, qui interrogatus vnde oriundus esset, metuens, ne cum diceret matrem esse asinam, hoc generi probro esset, equi se cognatum esse respondit. 49

Proin-

Proinde illustres atque nobiles pecunia non gignere quidem potest? claras autem virtute & antiquitate generis illustres nobilesque familias tueri & propagare, exornare & summe nobiles efficere atque conseruare potest; quas è contra paupertas & inopia rerum labascere cogit, præcipitat deprimit, humiliatur ac pedetentim sordidas atque obscurissimas reddit.

Testantur hoc omnes vno ore qui de diuitiarum præstantia aut nobilitate scripserunt: prægnantes conuincunt rationes, suffragantur in hoc gentium latæ leges, inducti mores, firmata statuta.

51 Adfirmat † inprimis Ecclesiasticus Sacer *cap. 9.* inquiens: Sapientia pauperis contemta est, *& c. 10.* pecuniæ obediunt omnia. Clarius idem hoc *cap. 13.* his verbis probat. Diues locutus est, & tacuerunt omnes, & verbum eius vsque ad montes perducunt. Pauper locutus est, & dicant omnes, Quis est hic? *Et cap 40.* melius idem putat mori

52 quam indigere †. D. Augustinus verò *lib. 3. de ciuit. Dei.* In specie testatur, quod per diuitias præcipuè in familiis decus & honor conseruetur.

53 Sic (vt Math. 1. legimus) Ioseph, Mariæ † virginis sponsus, quamuis de linea & domo Regia Dauid, cæterorumque regum Israel verè descenderit, quia tamen pauper & faber lignarius erat, nedum ipse, verum etiam sponsæ illius & vnicus Dei filius, seruator noster Christus, à Iudæis ludibrio habitus, & fabri filius, qui ne literas quidem didicerit cognominatus est.

54 Inde † verò Iuris nostri sanctiones, responsa, commentaria dum evoluimus, vbique Imperatores, Iurisconsultos, & horum interpretes magis diuites quam pauperes honorare, illos prædicare beatos, at hos miserrimos pronunciare videmus.

Sic enim personę alicuius custodiam propter amplissimas facultates esse relaxandam Vlpianus scribit *in l. 1. ff. de custod. reor.* Sic quamuis aliàs maleuolum hominis animum diuitiæ non mutent, imo malitiæ stimulos addant potius, vt Calistratus *in l. 6. ff. de susp tut.* respondit; & amplius non minus pauper quam diues fidelis esse possit, vt in *§. vlt. Inst. de suspect. tut. & d. l.* Imperator Iustinianus consulit, tamen maiorem fidem locupleti in testimoniis, quam egenti tribuendam esse idem Calistratus *in l. testium. 3. ff. de testibus* putat.

55 Ab † Imperatoribus verò tam viles & abiecti pauperes habentur, vt egestate, quasi diurno vitæ supplicio sordentes hærere, atque vnicum

cum & summum melioris fortunæ solatium, ipsam videlicet mortem expectare sibi videantur verbis, inquiunt, egestate sordentibus & mors solatium & vita supplicium. *In l. quisquis 6. Codic. ad L. Iuliam. Maiestat.* Et alibi paupertatem vilitatis nota Impperat. Theodor. & Valent. inurunt. *l. secunda Codic. quando & quib. quarta pars &c. lib. decimo.*

Quemadmodum itaque sine Cerere & Bacho (vt Terent. dicit) friget Venus, sic quoque nobilis exutus & denudatus diuitiis alget. Et quemadmodum fides sine operibus mortua ab Apostol. dicitur: sic quoque nobilitas sine diuitiis tanquam mortua à bono de Curtili in tract. de nobilitate *part. 7. numero tertio & quarto*, reprobatur. 56

Quo † magis autem diuitiæ nobilitatis crescunt, eo magis ipsa quoque nobilitas crescit, vt tradit Georg. Natta *in tractat. de statut. quib extant. masc. exclud. fœm. in 3.* quæst. primæ quæst. princ. Et in summa nobilitatem diuitiis demum vere magnificam reddi ac instar solis radios generosas animi vires exerere commune Doctorum suffragium habet. Matth. de Afflict. *in cap. vn. quis dicatur dux &c. volum. 8. versiculo septimo nobilitas.* Innocentii *in c. sedes ex de rescriptis.* Bartoli *in l 1. Cod. de dignitat. lib. 12.* Tiraquelli *in tractat. de nobilitate cap. 3. numero vigesimo secundo*, Alciat. *lib. 3. ff. de verbor. signif.* Guillhelmi Benedicti *in repetit. c. Raynutius super verb. duas habens filias numero centesimo trigesimo secundo*, Guidonis Papæ. *decision. quadracentesima trigesima septima. & decision. quadracentesimo septuagesima sexta.* Bartholom. Chassanæi. *in comment. super consuetudin. Burgundiæ titul. 7. §. 12. in prin.* Claudii de Battandier *in tractat. de legitima articul. septimo, numero trigesimo quarto, & seqq.* Domini Valentini Forsteri, præceptoris mei venerandi *in tractat. de success. ab intest. lib. 3. cap. 13.* Henrici Breulæi *in tractat. de renunciandi more modoque &c. caus. 1. cap. 6. numero quinto*, Ioan. Weidenkopff *in cons. d. tractat. de renunciandi more &c. annexo*, fol. (mihi) 209. Ioan. Bodini *lib. quinto de Republic. capitul secundo, numero 534.* 57

Hanc † igitur ob causam, Impp. Arcad. & Honorius *in d. l. quisquis. Cod. ad L. Iulian. Maiestat.* constituerunt, vt læsæ maiestatis crimine damnati hereditas fisco applicaretur, ne damnata malefici patris memoria eiusque familiæ nomen, quod per filios conseruatur *d. l. pronunciatio centesimo nonagesimo quinto, ff. de verbor. signif.* amplam li- 58

beris percipientibus hereditatem, in lucem reuocaretur, clarumque fieret, sed paupertatis vtilitate obrueretur, & radicitus tolleretur. Quod etiam hodie in aurea Bulla Caroli IV. *tit. de crim. læsa maiest.* repetitum atque confirmatum reperitur: Ac propter eandem causam Iustinianus Impp *.in* §. 1. *institut. per quas personas nob. acquir. l.*
59 *cum oportet. 6. Cod. de bon. quæ lib. &c.* sanciuit, † ne pater emancipans filium in recompensationem emancipationis, tertiam bonorum euis dominii, vt olim, sed dimidiam vsusfructus tantum partem bonorum aduentitiorum quasi pro emancipationis precio retineret. Inhumanum enim videbatur ei, libertatis honorem, per bonorum diminutionem & tertiæ partis eorum defraudationem rursus dimi-nui, adeoque quam per vnam viam, emancipationem scilicet, filius ad honorem est consecutus, eandem per aliam scilicet per rerum ablationem ipsam impositam paupertatem adimere *vt in d.* §. 1. *no-*
60 *tat.* Angel. & post † eum Schneidvv. *num. 8.* Ipse porro Aristoteles, diuitias velut necessarium veræ nobilitatis requisitum constituit: ac viros vere nobiles non stirpe tantum & virtute antiqua, sed etiam veteri generis opulentia esse præditos oportere scribit *lib. 4. Politic. cap. 4.*

Quin etiam per se diuites nobilium moribus facile adsuefieri, disciplinam nobilitatis imitari, & ex eo etiam pacificos, bonos,
61 probos, nobiles denique † appellari idem *4. Polit. 8.* ait. A quo etiam non alienus videtur Gellius *lib. 11. noct. Attic. cap. 4.* diuites atque ignobiles inuicem sibi opponens.

62 Cicero vero † tantam diuitiarum præstantiam atque potentiam statuit, vt nihil tam munitum quod non expugnari pecunia possit, putarit. *in ver.* Contra vero ex paupertate ignobilitatem, humilitatem, ipsam videlicet egestatem atque mendicitatem arguit, & eleganter solam paupertatis patientiam commendare pauperem, ait *in Orat. contra Rull.* Est enim alias (vt vires addam verbis) grauis sane egestas & inopia, eaque non tam propter inediam & famem, qua tamen nihil est acerbius, grauis videtur, quam propter insitum, vnicuique egestatis pudorem, qui plerunque ipsa egestate durior est atque grauior.

Exce-

Excepimus fere quid Theologi, quid Iurisconsulti, & quid Philosophi de diuitiarum præstantia sentiant atque scribant: at quid 63 Poetæ nondum constat. Quid igitur illi? Scillicet (vt dicam breuiter) summam in his beatitudinem & bonum in his præstantissimum collocant Lucretius *lib. 5. de nat. rer.* 64

———aurumque repertum:
Quod facile & valis & pulchris dempsit honorem.
Diuitioris enim sectam plerunque sequuntur,
Quamlibet & fortes & pulchro corpore creti.

Petronius arbiter in Satyr.

Quisquis habet nummos secura nauiget aura,
Fortunamq; suo temperet arbitrio. 65
Vxorem ducat Danaen, ipsamq; licebit
Achrisium credere quod Danaen.
Carmina componat, declaret, concrepet, omnes
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Iurisconsultus paret, non paret habento
Atque esto quicquid Seruius & Labeo.
Multa loquor, quiduis nummis præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Iouem.

Marcellus Palingenius in Zodiaco: 66

Principio summum esse bonum pars maxima censet,
Nummorum plenam bene semper habere crumenam.
Diuitias cupiunt omnes, has quisque requirit
Supplicibus votis, his qui affluit esse beatum
Feliceمq; putat crassi dementia vulgi.

Namque per diuitias arbitrantur patere viam ad virtutem, ad potentiam, ad imperium, ad honores, ad dignitates, ad ipsam nobilitatem, ad omnia diuina & humana, corporis & animi & fortunæ bona;

Horatius *Satyr. 3. lib. 2.* 67

———omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam Rex.
Et quicquid volet, hoc veluti virtute paratum
Sperabit magnæ laudi fore.

Idem *lib.3.Epist.*

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat.

68 Ouidius. †

Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro.

Idem.

In precio precium nunc est, dat census honores.
Census amicitias.

Palingenius.

Tantum habet Imperii tantasque pecunia vires
Vt sibi nil obstare diu patiatur, ab alto
Deducit montes, & valles tollit in altum.

Idem.

Diuitiæque adsint, tunc laus, honor & decus omne
Adueniet.

69 Contra † vero in inopia rerum, horum non reperi vllum ex quo prædicari quoque possit ipsa paupertas bonum; imo virtutem hanc eradicare, viam ad scientiam & laudem obstruere, nobilissimas quasque familias debilitare, extenuare, præcipitare, omnino deniq; sepelire testantur:

70 Ouidius: ———— *pauper vbique iacet.*

71 Horatius *lib.2. Satyr.2.*

Et genus & virtus nisi cum re vilior alga est.

72 Iuuenalis *Satyr.3.*

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

73 Palingenius: †

Heu quam sæpe gemit rerum indiga virtus
Quam contempta iacet si sacra pecunia desit.
———— *virtus sine censu languet vbique.*

74 Vnde recte † concludit Plaut. *Præstat esse diuitem & popularem, quam mendicum & Nobilem.*

Quanquam igitur per se pecunia mater siue genetrix nobilitatis veræ non sit, est tamen eius nutrix optatissima, quæ alit eam, & magnificentiam eius (sine qua nobilitas aut est nulla, aut sordida) Susten-

ſuſtentat; & hæc illuſtri & conſpicuo auri lumine quaſi ſpeculum ſolaribus radiis percuſſum, magis reſplendet: hoc vero non illuſtrata, tenuitate non ſolum vulgari hominum opinione premitur, ſpernitur, & obfuſcatur dignitas eius & nomen præclarum; verum etiam ipſi nobiles & veteres generis clari boniq; ſenſus, quaſi egeſtatis pedore & nidore quodam opprimuntur; adeoque ſimul vt ipſæ maiorum imagines & rerum præclare geſtarum, in tabulis monumenta, egregii & antiqui generis inſignia, fumo hebeſcunt, etiam ipſa nobilitas ſorde & contemptu paupertatis vileſcit & extinguitur.

Vt enim ſunt hodie corruptiſſimi hominum mores (Guicciardino *hypomn. 106* teſtante) quicunque vel nobilitatem vel quemcunque honorem, authoritatemue æſtimat, diuitias ille perpendit: qui vero honorem aliquem deſiderat, primum opulentiam is tanquam neceſſarium medium hortatore Poeta expetit.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum.
Virtus poſt nummos.

Vtinam tam bene quam vere hæc ita ſeſe haberent; ſed habent ſane peius, & vbique contempta iacet ſine pecunia virtus. 75
Nunc ingenuus aliquis quamlibet ornatus virtutibus maximis, tamen ſine pecunia parui in eo omnes penduntur, adeoque inops grauiſſimo egeſtatis onuſtus onere demergitur.

Sic † genere nobilis & indole præclara, egregie patriis & anti- 76
quis virtutibus concreta, adeoque ad honores præcipue & digniora Reipub. munera, quaſi natura (*vt 4. Polit. cap. 9.* Philoſophus ait) deſtinata ſoboles: cum non poteſt parentum egeſtate in diſciplinis decentibus educari atque erudiri, ſed eam ab academicis ſpaciis ad ſterquilinium, à muſis ad raſtra, neceſſitatis inopia vrget atque detrudit, languet paulatim, flacceſſit, debiliatur, fitque vulgaris, rudis, & ad præclara ſtudia maioreſque actiones difficilis, planeque inutilis, quæ alias exculta ingenio & expolita fertiliſſima, hinc vtiliſſima, modo nobiliſſima euadere facile potuiſſet.

Inde nimirum fit, vt ſæpe etiam præclara gente deſcendentes, egeſtate ſibi præcluſa ſcientiæ & virtutis via, ſcandere pinum nauis remiſque in fluctibus laborioſe cum vulgaribus incumbere, & onera ſaltem Reipublicę ſuſtinere cogantur, qui alias pro natalibus edu-

cati & expoliti in summis facile honoribus conspicerentur, & ad puppim sedentes clauum tenere atque regere potuissent.

Adeoque primo nobilis familiæ inopia, ei velut præcipuum nobilitatis decus atque caput scilicet virtutis laudem præscindit, dum viam ad virtutem facilem in sumptibus ipsa difficilis obstruit.

Etsi enim(vt ante dixi) huius seculi deprauata ratione, quo quisque à virtute maiorum, à quibus originis claritatem accepit, est remotior, eo nobilior idem iudicetur, nec si flagitiis omnibus ac vitæ turpitudine probrum contraxerit, ordinem aut nobilitatem facile amittat,(nisi forte rebus iudicatis infamia notatus, vt docent Bartol. Plat. & cæteri DD. *in l.1. C. de dignit. lib.* 12. Bald. *in l. si qua C. de secund. nupt. & in l. antiquioribus Codic. de iure delib.* & notat Bonus de Curtili *in d. tractat. de nobilit. part. 7. numero decimo tertio*, per text. *in l. secunda, & l. quoties 6 C. d. l. & in l. D. Marco. ibi* si tamen prius gradus &c. *Cod. de quast.* & Bodin. *lib. 3. de Rep cap. 8. numero trecentesimo quinquagesimo septimo, per l. infamem ff. de publ. iud. & d. l. si qua. l. 1. C. vbi senat. l. imperialis C. de nupt. l. 1. C. de sent. pass. & f. text. in c. inter dilectos ex de excess. prælat*) modo auro & argento splendeat: virtus tamen præcipuam atque veram, & longo post interuallo genus & diuitiæ nobilitatis titulum merentur, vt est omnium Philosophorum, Theologorum, Iurisconsultorum Poetarum consentiens Bodino teste opinio. Hieronym. *in epist. ad Demetriadem.* Plutarch. *in lib. cont. nobil.* Ouid. *in trist ib.* Cardin. Alex. & Cardin. Florent. *in cap. penult. de prabend.* Hostiens. Ioan. Andr. Anton. Butrig. Alberic. Angel. *in l. si quis stipulatus sit edictum. §. si quis ita ff. de verbor. obligat.* Bald. *in d. l. si qua C. de secund. nupt. & in l. nobiliores C. de commerc, & mercat. lib. duodecimo, & in l. prouidendum Cod. de postul.* & ibi Salicet. Luc. de penn. *in l. mulieres Codic. de dignit. lib. duodecimo, volum. primo*, Angel. & Plat. *in l. 1. C. de condit. in publ. horreis.* idem Bald. *in capitul. penultim. de probation. per l. pronunciatio §. matrem Digestis de verborum signification.* Bodin. *dict. capit. octauo*, quibus adde quæ sup. de nobilib. virtute dicta sunt, & hos Philippi Beroaldi versus:

Vera

Vera nobilitas non est in stemmate longo,
Non in cerosis est sita imaginibus.
Vna est cunctorum prima & genialis origo,
Omnibus est genitor Iuppiter estque Deus.
Sola facit virtus generosum sola beatum.
Sola potest mentes demeruisse probas.
Vera nobilitas non paupertate fugatur
Fortunæ virtus succubuisse nequit.

Deinde † vero egestas & inopia nobilitatem etiam vndiquaque 77
mutilat, denudat, eneruat, centuculis relinquit obsitam, &, vt finiam, si non tollit, soluit. Dicant qui velint, quicquid velint alii, premitur si non opprimitur importuna clade paupertatis sorde nobilitas. Quamuis enim (vt iam dictum est sæpe & dicendum sæpius) opes atque copiæ rerum, quantæcunque sint, nec veram, ac ne parturire quidem nobilitatem possint, attamen tanta hic magnæ possessionis virtus est, vt ea non parum, genuina fulciatur nobilitas, ac sine ea vix suis priuilegiis diu salua & incolumis subsistere queat.

Quæ quidem virtus tam alte iam radices egit, vt etiam per se sola possessorem suum nobilitare videatur: vel ita saltem diuitiæ cum natalibus claris non secus in nobilitate vnitæ & conglutinatæ appareant, quam in homine est corpus cum anima arcte coniunctum, ac aut ratione, sensibus & viribus exornat anima corpus, atque inanimem viuificat massam, ita diuitias illustrare natales, ac iisdem nobilitatis quasi spiritum inflare, atque splendorem magnificum atque nobilem demum addere videmus.

Contra vero quemadmodum solutum ab anima corpus tabescit, ita quoque natales sine diuitiis ac densis nimium paupertatis obducti nebulis splendorem emittere nullum minusque videri nobiles possint.

Tertiam † nunc huius rei causam addo. Nimirum cogit penu- 78
ria nobilem, ignobilem sibi matrimonio vxorem coniungere quod non minimum nobilitatis incommodum arbitrantur. Hinc enim & nobile genus quodammodo annihilari inquiunt, sanguinem etiam nobilem cum ignobili confundi, ex quo minus generosi procreentur liberi addunt. Verum hoc nobilitatis incommodum qui cum Iurisconsultis & sapientissimo Platone statuerit, non agnoscet. Nam † ignobilis vxor viri nobilis dignitati nihil detrahit, 79
imo

Porro huius communis voti compotes fieri non possumus, nisi qui nominis hæredes soli sunt, & manent, videlicet masculi,
42 iidem etiam in bonis & facultatibus † eiusdem soli vel potiori saltem iure succedant, quam fœminæ, quæ non paternum aut auitũ retinent, sed maritale plerunq; nomen, dignitatem & familiam sequuntur.

Proinde stirpem patris siue familiæ immarcescibilem non conseruant filiæ, neq; ad generis immortalitatem conducunt,
43 sed vt Vlpianus dicit: familiæ suæ quæque & caput † & finis est. *in l. pronunciatio 195. §. vltim. in fin. ff. de verborum significatione.* Caput, hoc est, principium, quia statim atque in domum transit, non amplius in familia patris, sed viri est. *l. quicunque 11. Cod. de re milit. lib. 12. l. penult. §. Iulianus. ff. de eo quod fals. tut. aut. gest.* Vnde cum liberos procreat suam nouam, mariti scilicet familiam per sobolem nouam constituit, siquidem illa patris non auitum mat is nomen & familiam sequitur atque adsumit *l. familiæ. 196. § fœminarum ff. de verb. signif. l. cum legitime ff. de stat. hom. l. liberis & ibi* Bald. *ff. de senator. l. nullus §. 2. C. de decur. lib. 10. §. fin. & ibi* Wesemb. *instit. de pat. potest.*

Dum vero in alienam familiam viri scilicet transit filia, in qua nata est, in ipsa desinit, ex quo eadem familiæ suæ etiam finis nedum caput dicitur. *d. l. pronunciatio. §. vlt* & ibi Alciat. & pulchre Gœdd. Bart. *in d. l. quicunque C. de re milit. lib. 12.* Math. de Afflict. *in c. un. §. item si fidelis num. 24. quibus mod. feud. amitt.* Tiraquell. *de retract. p. 1. §. 1. glo. 9. num. 198. & in LL. connubialib. l. 1. num 31.* Ripa respons. *79. num. 5.* Artius Pinel. *in l. 3. num. 26. C. de bon. matern.*
44 Rol. à Valle *cons. 82. nu 16. vol. 3.* Hinc Antistius † Labeo iuris Ciuilis peritissimus lib. 4. ad edictum Prætoris: Soror, inquit, appellata est, quod quasi seorsi nascitur, separatur que ab ea domo, in qua nata est, & in alienam familiam transgreditur. vt testatur Gell. *lib. 10. noct. Attic. cap. 13 & refert* Tiraq. d l. 9. Atque hinc etiam illud.
45 Filia aliena possessio patri. Hinc † etiam priuilegium alicui concessum pro se & suis descendentib siue posteris. & genere suo; ad natos ex Fœminis non porrigitur, vt Vlpian. de personarum immunitatibus respondit *in l. 1. § personis ff. de iure immunit.* cuius tamen respon-

sin-

si intellectum & in cæteris priuilegiis limitationes vide apud Pinel. *in d. l. 3. numero tricesimo secundo, & sequen.* Prugman. *in tract. de diff. sexus part 1. prin. memb. 3. artic. 24. num secundo, tertio, & sequentib.* Sed & ne † ad ipsas quidem filias, postquam nuptæ sunt, recte ei simodi priuilegia extendi. crebriori DD. sententia prævaluit: *argumen. d. l. 1 § personis*, vt idem *in de leg 3. num. 34.* Pinel. scribit, quam tamen ipse contrariis iuris textibus ibidem refutat. 46

Hinc † denique vxor viri suorum, priuilegiũ domicilium dignitatem sequitur & sortitur. *l cum quædam ff. de iuris dict. omn. iud. l. exigere ff de iud. l. filii. 22. §. i. ff. de municip. l fin. §. iidem responderunt mulierem §. e. d. tit. l. ciues. vbi* Barr. *l. vlt. C. de incol. lib. 10.* Neque tamen ea, quibus à familia viri non distrahitur mulier, suæ ciuitatis atque originis commoda & fauores amittit, vt notat Bald. *in d l cum quadam vers. & faciunt ista ff. ad S. C Syllanian* Bart. *in l. vlt. §. iidem responderunt ff. ad municip.* sed de his & similibus late Tiraq. *in LL. connub.* Pinel *in d. l. 3 num. 29. & seqq.* Prugman. & Gedd. *dd. locis.* 47 41

Siquidem ergo familiam patris, & in qua natę sunt commutant cum nubunt fæminæ, eandem eas tueri non posse constat. Et consequenter, qui nominis & familiæ suæ splendorem, dignitatem & amplitudinem conseruare & propagare velit, hanc illi curã incumbere vt simul cum nomine bona transeant, hæcque se inuicem concomitentur, hoc est, in masculos potissimũ non fęminas diuitiæ per successiones deriuentur. Non enim alia re magis post genus & virtutem præstat nobilitas, quam diuitiarum affluentia quæ genere & virtute nobilem etiam ad summum nobilitatis culmen euehit, † efficitque nobilissimum. Imo sola hæc tantam vim habet, vt multis hæc sola sine genere & virtute nobili, nobilitatis existimationem adiecerit: quidam etiam hodie per eam vera & genuinæ nobilitatis priuilegia quidem & feuda emtitia (vt vocant) possideant: veram autem nobilitatem arbitratu meo minime. 48

Non † enim emitur sed nascitur, estque familiaris sanguini vera nobilitas Ideoque hi velut ex balneo nobiles plerunque ortum suum indicare pudent, more illius muli, qui interrogatus vnde oriundus esset, metuens, ne cum diceret matrem esse asinam, hoc generi probro esset, equi se cognatum esse respondit. 49

Proin-

Proinde illustres atque nobiles pecunia non gignere quidem potest? claras autem virtute & antiquitate generis illustres nobilesque familias tueri & propagare, exornare & summe nobiles efficere atque conseruare potest; quas è contra paupertas & inopia rerum labascere cogit, præcipitat deprimit, humiliatur ac pedetentim sordidas atque obscurissimas reddit.

Testantur hoc omnes vno ore qui de diuitiarum præstantia aut nobilitate scripserunt: prægnantes communicunt rationes, suffragantur in hoc gentium latæ leges, inducti mores, firmata statuta.

51 Adfirmat † Inprimis Ecclesiasticus Sacer *cap. 9.* inquiens: Sapientia pauperis contemta est, *& c. 10.* pecuniæ obediunt omnia. Clarius idem hoc *cap. 13.* his verbis probat. Diues locutus est, & tacuerunt omnes, & verbum eius vsque ad montes perducunt. Pauper locutus est, & dicunt omnes, Quis est hic? *Et cap 40.* melius idem putat mori

52 quam indigere †. D. Augustinus verò *lib. 3. de ciuit. Dei.* in specie testatur, quod per diuitias præcipuè in familiis decus & honor conseruetur.

53 tur. Sic (vt Math. 1. legimus) Ioseph, Mariæ † virginis sponsus, quamuis de linea & domo Regia Dauid, cæterorumque regum Israel verè descenderit, quia tamen pauper & faber lignarius erat, nedum ipse, verum etiam sponsæ illius & vnicus Dei filius, seruator noster Christus, à Iudæis ludibrio habitus, & fabri filius, qui ne literas quidem didicerit cognominatus est.

54 Inde † verò Iuris nostri sanctiones, responsa, commentaria dum euoluimus, vbique Imperatores, Iurisconsultos, & horum interpretes magis diuites quam pauperes honorare, illos prædicare beatos, at hos miserrimos pronunciare videmus.

Sic enim personę alicuius custodiam propter amplissimas facultates esse relaxandam Vlpianus scribit *in l. 1. ff. de custod. reor.* Sic quamuis aliàs maleuolum hominis animum diuitiæ non mutent, imo malitiæ stimulos addant potius, vt Calistratus *in l. 6. ff. de susp tut.* respondit; & amplius non minus pauper quam diues fidelis esse possit, vt in *§. vlt. Inst. de suspect. tut. & d. i.* Imperator Iustinianus confitetur, tamen maiorem fidem locupleti in testimoniis, quam egenti tribuendam esse idem Calistratus *in l. testium. 3. ff. de testibus* putat.

55 Ab † Imperatoribus verò tam viles & abiecti pauperes habentur, vt egestate, quasi diurno vitæ supplicio sordentes hærere, atque vnicum

cum & ſummum melioris fortunæ ſolatium, ipſam videlicet mortem expectare ſibi videantur verbis, inquiunt, egeſtate ſordentibus & mors ſolatium & vita ſupplicium. *In l. quiſquis 6. Codic. ad L. Iuliam. Maieſtat.* Et alibi paupertatem vilitatis nota Imppeṙat. Theodor. & Valent. inurunt. *l. ſecunda Codic. quando & quib. quarta pars &c. lib. decimo.*

Quemadmodum itaque ſine Cerere & Bacho (vt Terent. dicit) friget Venus, ſic quoque nobilis exutus & denudatus diuitiis alget. Et quemadmodum fides ſine operibus mortua ab Apoſtol. dicitur: ſic quoque nobilitas ſine diuitiis tanquam mortua à bono de Curtili in tract. de nobilitate *part. 7. numero tertio & quarto*, reprobatur. 56

Quo † magis autem diuitiæ nobilitatis creſcunt, eo magis ipſa quoque nobilitas creſcit, vt tradit Georg. Natta *in tractat. de ſtatut. quib. extant. maſc. exclud. fœm. in 3.* quæſt. primæ quæſt. princ. Et in ſumma nobilitatem diuitiis demum vere magnificam reddi ac inſtar ſolis radios generoſas animi vires exerere commune Doctorum ſuffragium habet. Matth. de Afflict. *in cap. vn. quis dicatur dux &c. volum. 8. verſiculo ſeptimo nobilitas.* Innocentii *in c. ſedes ex de reſcriptis.* Bartoli *in l. 1. Cod. de dignitat. lib. 12.* Tiraquelli *in tractat. de nobilitate cap. 3. numero vigeſimo ſecundo*, Alciat. *lib. 3. ff. de verbor. ſignif.* Guilhelmi Benedicti *in repetit. c. Raynutius ſuper verb. duas habens filias numero centeſimo trigeſimo ſecundo*, Guidonis Papæ. *deciſion. quadracenteſima trigeſima ſeptima, & deciſion. quadrácenteſimo ſeptuageſima ſexta.* Bartholom. Chaſſanæi. *in comment. ſuper conſuetudin. Burgundiæ titul. 7. §. 12. in prin.* Claudii de Battandier *in tractat. de legitima articul. ſeptimo, numero trigeſimo quarto, & ſeqq.* Domini Valentini Forſteri, præceptoris mei venerandi *in tractat. de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 3. cap. 13.* Henrici Breulæi *in tractat. de renunciandi more modoque &c. cauſ. 1. cap. 6. numero quinto*, Ioan. Weidenkopff *in conſ. d. tractat. de renunciandi more &c. annexo*, fol. (mihi) 209. Ioan. Bodini *lib. quinto de Republic. capitul ſecundo, numero 534.* 57

Hanc † igitur ob cauſam, Impp. Arcad. & Honorius *in d. l. quiſquis. Cod. ad L. Iulian. Maieſtat.* conſtituerunt, vt læſæ maieſtatis crimine damnati hereditas fiſco applicaretur, ne damnata malefici patris memoria eiuſque familiæ nomen, quod per filios conſeruatur *d. l. pronúnciatio centeſimo nonageſimo quinto, ff. de verber. ſignif.* amplam li- 58

beris percipientibus hereditatem, in lucem reuocaretur, clarumque fieret, sed paupertatis vtilitate obrueretur, & radicitus tolleretur. Quod etiam hodie in aurea Bulla Caroli IV. *tit. de crim. læsæ maiest.* repetitum atque confirmatum reperitur: Ac propter eandem causam Iustinianus Impp. *in §. 1. institut. per quas personas nob. acquir. l.*
59 *cum oportet. 6. Cod. de bon. quæ lib. &c.* sanciuit, † ne pater emancipans filium in recompensationem emancipationis, tertiam bonorum euis dominii, vt olim, sed dimidiam vsusfructus tantum partem bonorum aduentitiorum quasi pro emancipationis precio retineret. Inhumanum enim videbatur ei, libertatis honorem, per bonorum diminutionem & tertiæ partis eorum defraudationem rursus diminui, adeoque quam per vnam viam, emancipationem scilicet, filius ad honorem est consecutus, eandem per aliam scilicet per rerum ablationem ipsam impositam paupertatem adimere *vt in d. §. 1. no-*
60 *tat.* Angel. & post † eum Schneidvv. *num. 8.* Ipse porro Aristoteles, diuitias velut necessarium veræ nobilitatis requisitum constituit: ac viros vere nobiles non stirpe tantum & virtute antiqua, sed etiam veteri generis opulentia esse præditos oportere scribit *lib. 4. Politic. cap. 4.*

Quin etiam per se diuites nobilium moribus facile adsuefieri, disciplinam nobilitatis imitari, & ex eo etiam pacificos, bonos,
61 probos, nobiles denique † appellari idem *4. Polit. 8.* ait. A quo etiam non alienus videtur Gellius *lib. 11. noct. Attic. cap. 4.* diuites atque ignobiles inuicem sibi opponens.

62 Cicero vero † tantam diuitiarum præstantiam atque potentiam statuit, vt nihil tam munitum quad non expugnari pecunia possit, putarit. *in ver.* Contra vero ex paupertate ignobilitatem, humilitatem, ipsam videlicet egestatem atque mendicitatem arguit, & eleganter solam paupertatis patientiam commendare pauperem, ait *in Orat. contra Rull.* Est enim alias (vt vires addam verbis) grauis sane egestas & inopia, eaque non tam propter inediam & famem, qua tamen nihil est acerbius, grauis videtur, quam propter insitum, vnicuique egestatis pudorem, qui plerunque ipsa egestate durior est atque grauior.

Exce-

Excepimus fere quid Theologi, quid Iurisconsulti, & quid Philosophi de diuitiarum præstantia sentiant atque scribant: at quid Poetæ nondum constat. Quid igitur illi? Scilicet (vt dicam breuiter) summam in his beatitudinem & bonum in his præstantissimum collocant Lucretius *lib.5. de nat. rer.* 63 64

——————aurumque repertum:
Quod facile & valis & pulchris dempsit honorem.
Diuitioris enim sectam plerunque sequuntur,
Quamlibet & fortes & pulchro corpore creti.

Petronius arbiter in Satyr.

Quisquis habet nummos secura nauiget aura, 65
Fortunamq; suo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipsamq; licebit
Acbrisium credere quod Danaen.
Carmina componat, declaret, concrepet, omnes
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Iurisconsultus paret, non paret habento
Atque esto quicquid Seruius & Labeo.
Multa loquor, quiduis nummis præsentibus opta,
Et veniet; clausum possidet arca Iouem.

Marcellus Palingenius in Zodiaco: 66

Principio summum esse bonum pars maxima censet,
Nummorum plenam bene semper habere crumenam.
Diuitias cupiunt omnes, has quisque requirit
Supplicibus votis, his qui affluit esse beatum
Feliceinq; putat crassi dementia vulgi.

Namque per diuitias arbitrantur patere viam ad virtutem, ad potentiam, ad imperium, ad honores, ad dignitates, ad ipsam nobilitatem, ad omnia diuina & humana, corporis & animi & fortunæ bona;

Horatius *Satyr.3. lib.2.* 67

——————omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam Rex.
Et quicquid volet, hoc veluti virtute paratum
Sperabit magnæ laudi fore.

Idem *lib.3.Epist.*

Scilicet uxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat.

68 Ouidius. †

Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro.

Idem.

In precio precium nunc est, dat census honores.
Census amicitias.

Palingenius.

Tantum habet Imperii tantasque pecunia vires
Vt sibi nil obstare diu patiatur, ab alto
Deducit montes, & valles tollit in altum.

Idem.

Diuitiaque adsint, tunc laus, bonor & decus omne
Adueniet.

69 Contra † vero in inopia rerum, horum non reperi vllum ex quo prædicari quoque possit ipsa paupertas bonum; imo virtutem hanc eradicare, viam ad scientiam & laudem obstruere, nobilissimas quasque familias debilitare, extenuare, præcipitare, omnino deniq; sepelire testantur.

70 Ouidius: ——————*pauper vbique iacet.*

71 Horatius *lib.2. Satyr.2.*

Et genus & virtus nisi cum re vilior alga est.

72 Iuuenalis *Satyr.3.*

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

73. Palingenius: †

Heu quam sæpe gemit rerum indiga virtus
Quam contempta iacet si sacra pecunia desit.
——————*virtus sine censu languet vbique.*

74 Vnde recte † concludit Plaut. *Præstat esse diuitem & popularem, quam mendicum & Nobilem.*

Quanquam igitur per se pecunia mater siue genetrix nobilitatis veræ non sit, est tamen eius nutrix optatissima, quæ alit eam, & magnificentiam eius (sine qua nobilitas aut est nulla, aut sordida)

Susten-

ſuſtentat; & hæc illuſtri & conſpicuo auri lumine quaſi ſpeculum ſolaribus radiis percuſſum, magis reſplendet: hoc vero non illuſtrata, tenuitate non ſolum vulgari hominum opinione premitur, ſpernitur, & obfuſcatur dignitas eius & nomen præclarum; verum etiam ipſi nobiles & veteres generis clari bonique ſenſus, quaſi egeſtatis pedore & nidore quodam opprimuntur; adeoque ſimul vt ipſæ maiorum imagines & rerum præclare geſtarum, in tabulis monumenta, egregii & antiqui generis inſignia, fumo hebeſcunt etiam ipſa nobilitas ſorde & contemptu paupertatis vileſcit & extinguitur.

Vt enim ſunt hodie corruptiſſimi hominum mores (Guicciardino *hypomn. 106* teſtante) quicunque vel nobilitatem vel quemcunque honorem, authoritatemue æſtimat, diuitias ille perpendit. qui vero honorem aliquem deſiderat, primum opulentiam is tanquam neceſſarium medium hortatore Poeta expetit.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum.
Virtus post nummos.

Vtinam tam bene quam vere hæc ita ſeſe haberent; ſed habent ſane peius, & vbique contempta iacet ſine pecunia virtus. 75
Nunc ingenuus aliquis quamlibet ornatus virtutibus maximis, tamen ſine pecunia parui in eo omnes penduntur, adeoque inops grauiſſimo egeſtatis onuſtus onere demergitur.

Sic † genere nobilis & indole præclara, egregie patriis & anti- 76
quis virtutibus concreta, adeoque ad honores præcipue & digniora Reipub. munera, quaſi natura (*vt 4. Polit. cap. 9.* Philoſophus ait) deſtinata ſoboles: cum non poteſt parentum egeſtate in diſciplinis decentibus educari atque erudiri, ſed eam ab academicis ſpaciis ad ſterquilinium, à muſis ad raſtra, neceſſitatis inopia vrget atque detrudit, languet paulatim, flacceſſit, debiliatur, fitque vulgaris, rudis, & ad præclara ſtudia maioreſque actiones difficilis, planeque inutilis, quæ alias exculta ingenio & expolita fertiliſſima, hinc vtiliſſima, modo nobiliſſima euadere facile potuiſſet.

Inde nimirum fit, vt ſæpe etiam præclara gente deſcendentes, egeſtate ſibi præcluſa ſcientiæ & virtutis via, ſcandere pinum nauis remiſque in fluctibus laborioſe cum vulgaribus incumbere, & onera ſaltem Reipublicæ ſuſtinere cogantur, qui alias pro natalibus edu-

Vera nobilitas non est in stemmate longo,
Non in cerosis est sita imaginibus.
Vna est cunctorum prima & genialis origo,
Omnibus est genitor Iuppiter estque Deus.
Sola facit virtus generosum sola beatum.
Sola potest mentes demeruisse probas.
Vera nobilitas non paupertate fugatur
Fortunæ virtus succubuisse nequit.

Deinde † vero egestas & inopia nobilitatem etiam vndiquaque 77
mutilat, denudat, eneruat, centuculis relinquit obsitam, &, vt finiam, si non tollit, soluit. Dicant qui velint, quicquid velint alii, premitur si non opprimitur importuna clade paupertatis sorde nobilitas. Quamuis enim (vt iam dictum est sæpe & dicendum sæpius) opes atque copiæ rerum, quantæcunque sint, nec veram, ac ne parturire quidem nobilitatem possint, attamen tanta hic magnæ possessionis virtus est, vt ea non parum, genuina fulciatur nobilitas, ac sine ea vix suis priuilegiis diu salua & incolumis subsistere queat.

Quæ quidem virtus tam alte iam radices egit, vt etiam per se sola possessorem suum nobilitare videatur: vel ita saltem diuitiæ cum natalibus claris non secus in nobilitate vnitæ & conglutinatæ appareant, quam in homine est corpus cum anima arcte coniunctum, ac aut ratione, sensibus & viribus exornat anima corpus, atque inanimem viuificat massam, ita diuitias illustrare natales, ac iisdem nobilitatis quasi spiritum inflare, atque splendorem magnificum atque nobilem demum addere videmus.

Contra vero quemadmodum solutum ab anima corpus tabescit, ita quoque natales sine diuitiis ac densis nimium paupertatis obducti nebulis splendorem emittere nullum minusque videri nobiles possint.

Tertiam † nunc huius rei causam addo. Nimirum cogit penu- 78
ria nobilem, ignobilem sibi matrimonio vxorem coniungere quod non minimum nobilitatis incommodum arbitrantur. Hinc enim & nobile genus quodammodo annihilari inquiunt, sanguinem etiam nobilem cum ignobili confundi, ex quo minus generosi procreentur liberi addunt. Verum hoc nobilitatis incommodum qui cum Iurisconsultis & sapientissimo Platone statuerit, non agnoscet. Nam † ignobilis vxor viri nobilis dignitati nihil detrahit, 79
imo

imo hæc radiis nobilitatis mariti corruſcat, fitque & ipſa nobilis, quemadmodum etiam ſi ingenuæ nobilitatis radiis ſplendeſceret, nuberetque viro ignobili, ignobilis eadem redderetur. *argum. l. ingenua. 3. Cod. de murilegulis &c. lib. 11.* Bartol. *in l vltim. numero tertio & ibid.* Caſtr. *numero 3.* & Iaſ. *numero decimo, ff de verb. ſignif.* Bald. *in l. 1. numero ſecundo Cod. de in ius voc.* Idem Iaſ. *in l. diuortio numero vndecimo, ff. ſolut. matrimon.* Bald. Nouell. *in tractat. de dote. p. decima, priuileg. vigeſimo num 9.* Chaſſan. in Conſuetud. Burgund. *tit. 9 § 7. n. 5,* Tiraq *in l. connub. gloſſ. 2. numer. 53.* Prugman. *in tractat. de diff. ſexus. part. 1. membr. 3. articul. 9.*

Vnde melius quidem eſt muli eri non nubere, quam ſibi indigno nubere, vt Bald. ſcribit *in l. cum ita num. 2. ff. de condit. & demonſtr.* & Caſtr. *in l. ſed ſi hoc §. cum vir num. 5. argument. illius text. eodem titulo.* At non æque hoc viri intereſt. Siue enim Rex, Princeps aut Comes inferiori ſe dignitate mulieri nupſerit, ex ipſius lateris comitatu nupta quoque illuſtratur & Regina, ducıſſa, vel comitiſſa vocatur, *arg. leg. vnic. Codic. de præp. labor. lib duodecimo,* Matt. Laud. *in tractat. de princip concluſ. centeſima ſeptuageſima ſexta* Bald. *in cap. ſignificauit numero 3. de reſcription.* Tiraquell. *in tr de nobilit c. 8. numero trigeſimo nono, & ſeqq* Siue alius cuiuſcunque inferioris ſtatus ruſum ſe inferiorem vxorem duxerit, ex eo tanquam capite reliquo corpori, vxoris ſcilicet inſtillari, & non contra rationi & naturę conuenit, *c. manifeſtum. & c. cum caput. trigeſimo tertio, quæſt. 5. f. l. 1. ff. de ſenator.* Quare ſine nobilitatis detrimento nobilis ignobilem ducere poterit, & qui ſuæ nobilitati maxime cum iam ante diues ſatis eſt, conſulere voluerit: vxorem ille non tam natalibus quam moribus nobilem eligat.

80 Neque enim quæ longam generis ſeriem præſeferunt, aut opes nimias oſtentant, vt Lucianus Leucanoris, ſed quæ morum probitate atque modeſtia, vitæque innocentia præcellunt, deligendæ ſunt iis vxores, qui ex bonis parentibus nati ſunt; hæc namque ſola animi bona certa eſſe & ſtabilia prudentes iudicant, ac proinde has
81 ſolas honeſtas ducunt nuptias, in quibus nec pauperum fugiunt, nec diuitium adfinitatem præcipue ſectantur nubentes, vt Plato admonet: & canit Euripides.

Felicis

Felices quibus obtigit,
Sors nec summa nec infima, sed sanè modica, & quibus
Castos annuit aurea nancisci thalamos Venus,
Tranquillaque perenniter consuetudine perfrui,
Quorum pectore mutuis flagrant incita flammulis.

Habent † etiam qui inferioris conditionis vxores ducunt, plerunq; 82
eas obsequentiores, quam vel pares vel superiores, vt eleganter Petrarcha cecinit:

Quisquis amore voles solido tranquillus & alta
Pace frui maiora fuge, & nimis alta caueto.
Illic contemptus & iurgia mista querelis,
Atraque perpetuis bachantur nubila ventis.
Quin etiam vitare pares, licet obstrepat error
Publicus, admoneo, fidum tibi iunge minoris
Pectus: vbi obsequium pernox, humilesque vicissim
Blanditiæ, dulcisque timor res cognita paucis.

Quamobrem non tam nobilem, quam bene moratam & bonis parentibus ortam quærere vxorem expedit: quemadmodum Impe-
rator † Gordianus adolescens priusquam ad bellum proficisceretur, 83
filiam Misithei duxisse fertur, quem causa eloquentiæ suæ dignum parentela sua putarit, vt Capitolinus scribit.

Sed neque maritum natalibus & potius moribus eligendum Eugenia virgo dixisse perhibetur: & apud Herodianum legimus, Antonium Imperatorem cognomine Philosophum, † filias suas postquam 84
adoleuissent, optimis ex ordine Senatorio viris collocasse.

Exiguum igitur est vel potius nullum, quod ex imparis & humilioris conditionis nuptiis nobilitati incommodum præfigitur, quod ego etiam in magnum nobilitatis incrementum & robur redundare existimo.

Vnde † enim tam potens & magnifica Venetiana nobilitas, nisi 85
ex moribus & legibus connubialibus, quibus egentibus patriciis locupletes plebeiorum filias despondere sibi adsolent? magnum certè robur ac incrementum ex hac licentia cum equestris ordo, tum totum Imperium accepisse videtur, non tantum ad patriciarum gentium opes ampliandas, & potentiam fulciendam, sed etiam ad mu-

tuam plebeiorum & clarissimorum in Republica concordiam stabiliendam, vti Bodin. *lib. 5. de Repub. c. 2.* scribit, & nos alibi quoque diximus.

86 Maius † autem est & maximum fateor, quod quarto nobilitati paupertas obtrudit malum, id videlicet est, quod nobiles non minus quam plebeios in officinas operarias detrudit, panem mercenaria manu quærere cogit, & vel ad mercaturæ quæstum, vel ad alias sordidas artes & negociationes adpellit. At vero omnibus qui vel ex negociatorum vltimorum numero sunt, vel ex monetariis abiectisque officinis, vel deformibus ministeriis, vel stationariis, omnique officiorum fece, diuersisque pastis turpibus lucris frui aliquid gnitate interdicitur: *vt est text. ad tit. in l. nobiliores 3. C. de commerc. & mercat. lib. 12. l. ne quis ex vltimis 6. C. dd. t. & notat glos in c. qui contra Ecclesiæ pacem in vers. ignobiles pr. 24. q. 1. & s. text. in l. per id tempus. & quod ibi addit glos. C. de decur lib. 12.* dum vult, quod non minuatur officio vel dignitate, qui male eam seruat.

Imo ne vlli qui diuersarum rerum negociationibus detinentur, veluti cohortales, apparitores, officiales præsidum: item trapezitæ scilicet qui mensas & similia suppellectilia conficiunt atque vendunt, vel gemmarum, auri, argentique, vestiumue distractores, item apothecarii cæterique institores aliarum mercium, quibuscunque ergasteriis adherentes, ad prouinciales dignitates admittantur, aut si ad vllam adspirassent, omnibus impetrati honoris insigniis spoliati ad statum pristinum reuocentur, liberis etiam in tali conditione susceptis fortunæ patriæ mancipatis, vt omnis honor tali conagione segregetur, *vt habet text. in l. si cohortatis 12. pr. & §. vlt. C. de cohortalibus. principib. lib. 12.* & tradunt Bart. & Platea *in l. 1. C. de dignit. eod. lib.* curt sen. *cons* 18. Guido Papa *in decis. siue quest. 89. & 196.* vbi dicit, quod procuratores practicantes in curiis, qui sunt de genere nobili, perdant nobilitatem, quod de rabulis istis qui sine fundamentis omnia quæ in buccã veniunt, meras scilicet nugas proferunt, forte non iniuria dicitur.

Alios vero qui iuris peritos se profitentur Aduocatorum honore non immerito decoramus. Quod autem qui artes mechanicas tractat, perdat suam nobilitatem, expresse scribit Bald *in d. l.*

nobi-

nobiliores & idem tenent And. de Isern. & Math. de Afflict *in constit. Sicilæ sub tit. vt dignit. ordo seruetur* & Challan. *in consuet ad Burgund tit. 4. 9. in pr. num 4.* vbi singulariter *ad text. in d. l. nobiliores* aduertendum 88
ait, tria requiri ad hoc vt aliquis dicatur nobilis. 1. vt sit natalibus nobilis. 2. honorum luce conspicuus. & 3. in patrimonio diues. Ibidem † *num. 32.* quærit, an quis ita artium mechanicarum tracta- 89
tione dignitatem suam nobilem perdat, vt etiam diues iterum factus rel cta arte vel questu vili regressum ad pristinum statum habere non possit? Et respondet distinguendo, vtrum nobilis aliquis sit genere an Priuilegio Principis nobilitatem sit consecutus. primo casu tanto tempore nobilitatem esse obfuscatam, ait, quanto quis artes mechanicas tractat: *arg. l. iura sanguinis ff. de reg. iur.* Secundo vero casu principis priuilegium in totum dilabi, & ita se consuluisse in casu emergenti scribit. Idem *num 36* subdit, quod diuitiæ eatenus nobilitent hominem, quatenus per eas personæ vilitas tegatur, quæ alia mihi non videtur quam fucata nobilitas.

Quin † etiam sapientiæ magister (*eccles. 22. & 38.*) agricolas, 90
fabros, figulos, statuarios, cæterosque opifices ab honoribus arcet, quod (vt etiam Aristot. *3. Polit. 8. scribit*) animi excelsi vim ac robur mercede conducti penitus amittant. Qua ratione omnes qui eiusmodi artes quæstuarias, famosas & abiectas vilitate exercent, ab omnibus reipublicæ honoribus longe remoueri in sup. dd. constit. impp. sanciuere.

Illiberales † autem & sordidi questus ingenere sunt (vt Cice- 19
ro pro Ra. scribit) omnium mercimoniorum, quorum operę, non quorum artes emuntur; est enim, (inquit) in illis ipsa merces authoramentum seruitutis.

Quocirca si vllam huiusmodi artem mercenariam siue quæstuariam nobilis aliquis exercere coactus fuerit, periculum est, ne simul nobilitatis iacturam pati, seque ab omni honorum & nobilium agmine segregare cogatur. Quippe ignobiles omnes illi artifices appellantur. *Nou. de testib. 9. c. 1. verb.* artifices ignobiles, & quasi contagiosi: & feces ciuitatis habentur, *in d. l. si cohortalis* ibi omnifece *& ibi* à tali contagione.

beris percipientibus hereditatem, in lucem reuocaretur, clarumque fieret, sed paupertatis vtilitate obrueretur, & radicitus tolleretur. Quod etiam hodie in aurea Bulla Caroli IV. *tit. de crim. læsæ maiest.* repetitum atque confirmatum reperitur: Ac propter eandem causam Iustinianus Impp. *in §. 1. institut. per quas personas nob. acquir. l.*
59 *cum oportet. 6. Cod. de bon. quæ lib. &c.* sanciuit, † ne pater emancipans filium in recompensationem emancipationis, tertiam bonorum euis dominii, vt olim, sed dimidiam vsusfructus tantum partem bonorum aduentitiorum quasi pro emancipationis precio retineret. Inhumanum enim videbatur ei, libertatis honorem, per bonorum diminutionem & tertiæ partis eorum defraudationem rursus diminui, adeoque quam per vnam viam, emancipationem scilicet, filius ad honorem est consecutus, eandem per aliam scilicet per rerum ablationem ipsam impositam paupertatem adimere *vt in d. §. 1. no-*
60 *tat.* Angel. & post † eum Schneidvv. *num. 8.* Ipse porro Aristoteles, diuitias velut necessarium veræ nobilitatis requisitum constituit: ac viros vere nobiles non stirpe tantum & virtute antiqua, sed etiam veteri generis opulentia esse præditos oportere scribit *lib. 4. Politic. cap. 4.*

Quin etiam per se diuites nobilium moribus facile adsuefieri, disciplinam nobilitatis imitari, & ex eo etiam pacificos, bonos,
61 probos, nobiles denique † appellari idem *4. Polit. 8.* ait. A quo etiam non alienus videtur Gellius *lib. 11. noct. Attic. cap. 4.* diuites atque ignobiles inuicem sibi opponens.

62 Cicero vero † tantam diuitiarum præstantiam atque potentiam statuit, vt nihil tam munitum quad non expugnari pecunia possit, putarit. *in ver.* Contra vero ex paupertate ignobilitatem, humilitatem, ipsam videlicet egestatem atque mendicitatem arguit, & eleganter solam paupertatis patientiam commendare pauperem, ait *in Orat. contra Rull.* Est enim alias (vt vires addam verbis) grauis sane egestas & inopia, eaque non tam propter inediam & famem, qua tamen nihil est acerbius, grauis videtur, quam propter insitum, vnicuique egestatis pudorem, qui plerunque ipsa egestate durior est atque grauior.

Exce-

Excepimus fere quid Theologi, quid Iuriſconſulti, & quid Philoſophi de diuitiarum præſtantia ſentiant atque ſcribant: at quid 63
Poetæ nondum conſtat. Quid igitur illi? Scilicet (vt dicam breuiter) ſummam in his beatitudinem & bonum in his præſtantiſſimum collocant Lucretius *lib. 5. de nat. rer.* 64

——————aurumque repertum:
Quod facile & valis & pulchris dempſit honorem.
Diuitioris enim ſectam plerunque ſequuntur,
Quamlibet & fortes & pulchro corpore creti.

Petronius arbiter in Satyr.

Quisquis habet nummos ſecura nauiget aura,
Fortunamq; ſuo temperet arbitrio. 65
Vxorem ducat Danaen, ipſamq; licebit
Acriſium credere quod Danaen.
Carmina componat, declaret, concrepet, omnes
Et peragat cauſas, ſitque Catone prior.
Iuriſconſultus paret, non paret habento
Atque eſto quicquid Seruius & Labeo.
Multa loquor, quiduis nummis præſentibus opta,
Et veniet; clauſum poſſidet arca Iouem.

Marcellus Palingenius in Zodiaco: 66

Principio ſummum eſſe bonum pars maxima cenſet,
Nummorum plenam bene ſemper habere crumenam.
Diuitias cupiunt omnes, has quiſque requirit
Supplicibus votis, his qui affluit eſſe beatum
Feliceimq; putat craſſi dementia vulgi.

Namque per diuitias arbitrantur patere viam ad virtutem, ad potentiam, ad imperium, ad honores, ad dignitates, ad ipſam nobilitatem, ad omnia diuina & humana, corporis & animi & fortunæ bona;

Horatius *Satyr. 3. lib. 2.* 67

——————omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens etiam Rex.
Et quicquid volet, hoc veluti virtute paratum
Sperabit magnæ laudi fore.

Idem *lib.3.Epist.*

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat.

68 Ouidius. †

Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro.

Idem.

In precio precium nunc est, dat census honores.
Census amicitias.

Palingenius.

Tantum habet Imperii tantasque pecunia vires
Vt sibi nil obstare diu patiatur, ab alto
Deducit montes, & valles tollit in altum.

Idem.

Diuitiaeque ad sint, tunc laus, bonor & decus omne
Adueniet.

69 Contra † vero in inopia rerum, horum non reperi vllum ex quo prædicari quoque possit ipsa paupertas bonum; imo virtutem hanc eradicare, viam ad scientiam & laudem obstruere, nobilissimas quasque familias debilitare, extenuare, præcipitare, omnino deniq; sepelire testantur:

70 Ouidius:————*pauper vbique iacet.*

71 Horatius *lib.2. Satyr.2.*

Et genus & virtus nisi cum re vilior alga est.

72 Iuuenalis *Satyr.3.*

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

73 Palingenius: †

Heu quam sæpe gemit rerum indiga virtus
Quam contempta iacet si sacra pecunia desit.
————*virtus sine censu languet vbique.*

74 Vnde recte † concludit Plaut. *Præstat esse diuitem & popularem, quam mendicum & Nobilem.*

Quanquam igitur per se pecunia mater siue genetrix nobilitatis veræ non sit, est tamen eius nutrix optatissima, quæ alit eam, & magnificentiam eius (sine qua nobilitas aut est nulla, aut sordida) Susten-

ſuſtentat; & hæc illuſtri & conſpicuo auri lumine quaſi ſpeculum ſolaribus radiis percuſſum, magis reſplendet: hoc vero non illuſtrata, tenuitate non ſolum vulgari hominum opinione premitur, ſpernitur, & obfuſcatur dignitas eius & nomen præclarum; verum etiam ipſi nobiles & veteres generis clari boniqne ſenſus, quaſi egeſtatis pedore & nidore quodam opprimantur; adeoque ſimul vt ipſæ maiorum imagines & rerum præclare geſtarum, in tabulis monumenta, egregii & antiqui generis inſignia, fumo hebeſcunt, etiam ipſa nobilitas ſorde & contemptu paupertatis vileſcit & extinguitur.

Vt enim ſunt hodie corruptiſſimi hominum mores (Guicciardino *hypomn. 106* teſtante) quicunque vel nobilitatem vel quemcunque honorem, authoritatem ue æſtimat, diuitias ille perpendit. qui vero honorem aliquem deſiderat, primum opulentiam is tanquam neceſſarium medium hortatore Poeta expetit.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum.
Virtus poſt nummos.

Vtinam tam bene quam vere hæc ita ſeſe haberent; ſed habent ſane peius, & vbique contempta iacet ſine pecunia virtus. 75
Nunc ingenuus aliquis quamlibet ornatus virtutibus maximis, tamen ſine pecunia parui in eo omnes penduntur, adeoque inops grauiſſimo egeſtatis onuſtus onere demergitur.

Sic † genere nobilis & indole præclara, egregie patriis & anti 76
quis virtutibus concreta, adeoque ad honores præcipue & digniora Reipub. munera, quaſi natura (*vt 4. Polit. cap. 9.* Philoſophus ait) deſtinata ſoboles: cum non poteſt parentum egeſtate in diſciplinis decentibus educari atque erudiri, ſed eam ab academicis ſpaciis ad ſterquilinium, à muſis ad raſtra, neceſſitatis inopia vrget atque detrudit, languet paulatim, flacceſſit, debiliatur, fitque vulgaris, rudis, & ad præclara ſtudia maioreſque actiones difficilis, planeque inutilis, quæ alias exculta ingenio & expolita fertiliſſima, hinc vtiliſſima, modo nobiliſſima euadere facile potuiſſet.

Inde nimirum fit, vt ſæpe etiam præclara gente deſcendentes, egeſtate ſibi præcluſa ſcientiæ & virtutis via, ſcandere pinum nauis remiſque in fluctibus laborioſe cum vulgaribus incumbere, & onera ſaltem Reipublicę ſuſtinere cogantur, qui alias pro natalibus edu-

Vera nobilitas non est in stemmate longo,
Non in cerosis est sita imaginibus.
Vna est cunctorum prima & genialis origo,
Omnibus est genitor Iuppiter estque Deus.
Sola facit virtus generosum sola beatum.
Sola potest mentes demeruisse probas.
Vera nobilitas non paupertate fugatur
Fortunæ virtus succubuisse nequit.

Deinde † vero egestas & inopia nobilitatem etiam vndiquaque 77
mutilat, denudat, eneruat, centuculis relinquit obsitam, &, vt finiam, si non tollit, soluit. Dicant qui velint, quicquid velint alii, premitur si non opprimitur importuna clade paupertatis sorde nobilitas. Quamuis enim (vt iam dictum est sæpe & dicendum sæpius) opes atque copiæ rerum, quantæcunque sint, nec veram, ac ne paturire quidem nobilitatem possint, attamen tanta hic magnæ possessionis virtus est, vt ea non parum, genuina fulciatur nobilitas, ac sine ea vix suis priuilegiis diu salua & incolumis subsistere queat.

Quæ quidem virtus tam alte iam radices egit, vt etiam per se sola possessorem suum nobilitare videatur: vel ita saltem diuitiæ cum natalibus claris non secus in nobilitate vnitæ & conglutinatæ appareant, quam in homine est corpus cum anima arcte coniunctum, ac aut ratione, sensibus & viribus exornat anima corpus, atque inanimem viuificat massam, ita diuitias illustrare natales, ac iisdem nobilitatis quasi spiritum inflare, atque splendorem magnificum atque nobilem demum addere videmus.

Contra vero quemadmodum solutum ab anima corpus tabescit, ita quoque natales sine diuitiis ac densis nimium paupertatis obducti nebulis splendorem emittere nullum minusque videri nobiles possint.

Tertiam † nunc huius rei causam addo. Nimirum cogit penu- 78
ria nobilem, ignobilem sibi matrimonio vxorem coniungere quod non minimum nobilitatis incommodum arbitrantur. Hinc enim & nobile genus quodammodo annihilari inquiunt, sanguinem etiam nobilem cum ignobili confundi, ex quo minus generosi procreentur liberi addunt. Verum hoc nobilitatis incommodum qui cum Iurisconsultis & sapientissimo Platone statuerit, non agnoscet. Nam † ignobilis vxor viri nobilis dignitati nihil detrahit, 79
imo

imo hæc radiis nobilitatis mariti corruscat, fitque & ipsa nobilis, quemadmodum etiam si ingenuæ nobilitatis radiis splendesceret, nuberetque viro ignobili, ignobilis eadem redderetur. *argum. l. ingenua. 3. Cod. de murilegulis &c. lib. 11.* Bartol. *in l vltim. numero tertio & ibid.* Castr. *numero 3.* & Iaſ. *numero decimo, ff de verb. signif.* Bald. *in l. 1. numero secundo Cod. de in ius voc.* Idem Iaſ. *in l. diuortio numero vndecimo, ff. solut. matrimon.* Bald. Nouell. *in tractat. de dote. p. decima, priuileg. vigesimo num. 9.* Chassan. in Consuetud. Burgund. *tit. 9 § 7. n. 5,* Tiraq *in l. connub. gloss. 2. numer. 53.* Prugman. *in tractat. de diff. sexus. part. 1. membr. 3. articul. 9.*

Vnde melius quidem est mulieri non nubere, quam sibi indigno nubere, vt Bald. scribit *in l. cum ita num. 2. ff. de condit. & demonstr.* & Castr. *in l. sed si hoc §. cum vir num. 5. argument. illius text. eodem titulo.* At non æque hoc viri interest. Siue enim Rex, Princeps aut Comes inferiori se dignitate mulieri nupserit, ex ipsius lateris comitatu nupta quoque illustratur & Regina, ducissa, vel comitissa vocatur, *arg. leg. vnic. Codic. de præp. labor. lib duodecimo*, Matt. Laud. *in tractat. de princip conclus. centesima septuagesima sexta.* Bald. *in cap. significauit numero 3. de rescription.* Tiraquell. *in tr de nobilit c. 8. numero trigesimo nono, & seqq* Siue alius cuiuscunque inferioris status rursum se inferiorem vxorem duxerit, ex eo tanquam capite reliquo corpori, vxoris scilicet instillari, & non contra rationi & naturę conuenit, *c. manifestum. & c. cum caput. trigesimo tertio, quæst. 5. f. l. 1. ff. de senator.* Quare sine nobilitatis detrimento nobilis ignobilem ducere poterit, & qui suæ nobilitati maxime cum iam ante diues satis est, consulere voluerit: vxorem ille non tam natalibus quam moribus nobilem eligat.

80 Neque enim quæ longam generis seriem præsefferunt, aut opes nimias ostentant, vt Lucianus Leucanoris, sed quæ morum probitate atque modestia, vitæque innocentia præcellunt, deligendæ sunt iis vxores, qui ex bonis parentibus nati sunt; hæc namque sola animi bona certa esse & stabilia prudentes iudicant, ac proinde has
81 solas honestas ducunt nuptias, in quibus nec pauperum fugiunt, nec diuitium adfinitatem præcipue sectantur nubentes, vt Plato admonet: & canit Euripides.

Felicis

Felices quibus obtigit,
Sors nec summa nec infima, sed sanè modica, & quibus
Castos annuit aurea nancisci thalamos Venus,
Tranquillaque perenniter consuetudine perfrui,
Quorum pectore mutuis flagrant incita flammulis.

Habent † etiam qui inferioris conditionis vxores ducunt, plerunq; 82
eas obsequentiores, quam vel pares vel superiores, vt eleganter Petrarcha cecinit:

Quisquis amore voles solido tranquillus & alta
Pace frui maiora fuge, & nimis alta caueto.
Illic contemptus & iurgia mista querelis,
Atraque perpetuis bachantur nubila ventis.
Quin etiam vitare pares, licet obstrepat error
Publicus, admoneo, fidum tibi iunge minoris
Pectus: vbi obsequium pernox, humilesque vicißim
Blanditiæ, dulcisque timor res cognita paucis.

Quamobrem non tam nobilem, quam bene moratam & bonis parentibus ortam quærere vxorem expedit: quemadmodum Imperator † Gordianus adolescens priusquam ad bellum proficisceretur, 83
filiam Misithei duxisse fertur, quem causa eloquentiæ suæ dignum parentela sua putarit, vt Capitolinus scribit.

Sed neque maritum natalibus & potius moribus eligendum Eugenia virgo dixisse perhibetur: & apud Herodianum legimus, Antonium Imperatorem cognomine Philosophum, † filias suas postquam 84
adoleuissent, optimis ex ordine Senatorio viris collocasse.

Exiguum igitur est vel potius nullum, quod ex imparis & humilioris conditionis nuptiis nobilitati incommodum præfigitur, quod ego etiam in magnum nobilitatis incrementum & robur redundare existimo.

Vnde † enim tam potens & magnifica Venetiana nobilitas, nisi 85
ex moribus & legibus conubialibus, quibus egentibus patriciis locupletes plebeiorum filias despondere sibi adsolent? magnum certè robur ac incrementum ex hac licentia cum equestris ordo, tum totum Imperium accepisse videtur, non tantum ad patriciarum gentium opes ampliandas, & potentiam fulciendam, sed etiam ad mu-

nobiliores & idem tenent And. de Isern. & Math. de Afflict. *in constit. Sicila sub tit. vt dignit. ordo seruetur* & Chassan. *in consuet. ad Burgund tit. 4. 9. in pr. num 4.* vbi singulariter *ad text. in d. l. nobiliores* ad vertendum 88
ait, tria requiri ad hoc vt aliquis dicatur nobilis. 1. vt sit natalibus nobilis. 2. honorum luce conspicuus. & 3. in patrimonio diues. Ibidem † *num. 32.* quærit, an quis ita artium mechanicarum tracta 89
tione dignitatem suam nobilem perdat, vt etiam diues iterum factus rel. cta arte vel quæstu vili regressum ad pristinum statum habere non possit? Et respondet distinguendo, vtrum nobilis aliquis sit genere an Priuilegio Principis nobilitatem sit consecutus. primo casu tanto tempore nobilitatem esse obfuscatam, ait, quanto quis artes mechanicas tractat: *arg. l. iura sanguinis ff. de reg. iur.* Secundo vero casu principis priuilegium in totum dilabi, & ita se consuluisse in casu emergenti scribit. Idem *num 36* subdit, quod diuitiæ eatenus nobilitent hominem, quatenus per eas personæ vilitas tegatur, quæ alia mihi non videtur quam fucata nobilitas.

Quin † etiam sapientiæ magister (*eccles. 22. & 38.*) agricolas, 90
fabros, figulos, statuarios, cæterosque opifices ab honoribus arcet, quod (vt etiam Aristot. *3. Polit. 8. scribit*) animi excelsi vim ac robur mercede conducti penitus amittant. Qua ratione omnes qui eiusmodi artes quæstuarias, famosas & abiectas vilitate exercent, ab omnibus reipubiicæ honoribus longe remoueri in sup. dd. constit. impp. sanciuere.

Illiberales † autem & sordidi questus ingenere sunt (vt Cicero pro Ra. scribit) omnium mercimoniorum, quorum operę, non 19
quorum artes emuntur; est enim, (inquit) in illis ipsa merces authoramentum seruitutis.

Quocirca si vllam huiusmodi artem mercenariam siue quæstuariam nobilis aliquis exercere coactus fuerit, periculum est, ne simul nobilitatis iacturam pati, seque ab omni honorum & nobilium agmine segregare cogatur. Quippe ignobiles omnes illi artifices appellantur. *Nou. de testib. 9. c. 1. verb.* artifices ignobiles, & quasi contagiosi: & feces ciuitatis habentur, *in d. l. si cohortalis* ibi omnifece *& ibi* à tali contagione.

Oo 2 Quid

Quid autem de mercatura dicemus? circa quam non satis conuenit Iurisconsultis & antiquitatis scriptoribus inter ipsos? Certe quidem nobiliores & honorum luce conspicuos, quin etiam patrimoniis ditiores in vrbibus mercimoniis tanquam perniciosis interdictum constat *dict. l. nobiliores Cod. de commerc. & mercat. lib. 12.* Sed & omnium mercium institores sub illa contagione plebis, à qua honores debent seperari comprehenduntur, *in dict. l. si cohortalis.* Quare etiam mercaturæ professionem nobilitati repugnare à plerisque receptum est. Bald *in d. l. nobiliores.* Bartol. & Platea *in d. l. 1. Cod. de dignit lib. duodecimo,* Tiraquell. *in tract. de nobilit. capitul. trigesimo tertio, numero decimo,* Chassan. *d. loco* & ibi plures, quibus adde. Port. *consil. centesimo sexagesimo septimo, numero quinquagesimo volum.* 4. Beneuen. Stracch *in tractat. de merc. part. 3: numero decimo quinto, & p. 2. numero 17.* Alciat, *de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 48. numero 6. & benef. text. in l. 13. 15. & 16. Cod. de re milit. lib. 12. l. penult. Cod. de cohortalib. &c. l. 1. Cod. de perfectiss. dignit. l. 1. C. de negociat. ne milit. d. lib. 12.*

Verum mercaturam non solum ciuitatibus vtilem, sed etiam necessariam, qua ratione adeo sordidam plerique autument, vt hanc etiam nobilitati & quibusuis obstare dignitatibus arbitrentur; est quod mirer non immerito.

93 Certe quidem † inimicam virtutibus mercaturã sapientes statuunt, Plato *in dialogo de legib.* Aristotel. *7. Polit.* 8. Apollonius apud Philostratum, & proniores ad turpia lucra mercatores Vlpianus respondit *in l. iustissime, §. proponitur. ff. de ædilit. edict.* & industrium mercatorem sine fraude esse non posse, Chrysostomus dixit, *homil. 21. super Matth.* Atque etiam sunt fateor magnæ, variæ atque innumeræ mercatorum fraudes & fallaciæ, iisque mendacia & periuria familiaria, neque habent (vt Sapientiæ. Princeps *Eccles. 24.* ait.) puras à scelere manus: vt mirum non sit Deum ipsum quoque in populo suo sancto pollutos malitia mercatores ferre non potuisse, *Deuteronom. cap. 23.* nec immerito Baldus exclamat: O quo vadit anima mercatoris, *in cap. eam causam ex. de testibus.*

Verum

Verum in generosa nobilitate captiosas istas mercatorum artes, fraudes, deceptiones atq; præstigia † nę mihi iniuriosum asserere vel præsumere videtur. In nobilibus enim ante dictum est, sinistri non præsumi iure quicquam, sed in his ex nobili stemmate iudicii rectitudinem Imperatorio nobilitatis encomio præfulgere *dict. leg. inter clar. u. octaua. Codic. de sum. trinit.* Sed & in ditioribus splendidior vitæ disciplina & studium honestatis, animi malitiam fere obtegit. 94

Quod autem DEVS immortalis populum quem singulari quodam iure ac delectu sibi sacrauerat, abstinere mercatura prohibuit, ad cæteros populos non est æque transferendum, quoniam hunc pietate & integritate cæteris excellere voluit; quam ob causam & multa alia id genus interdicta ei dedit, quæ ab aliis obseruata non fuerunt. Quid igitur an non mercaturæ quæstum tanquam turpem atque sordidum nobilitati aduersari, eamque obliterare atque tollere, in persona mercatoris iniuria dicimus? Imo iure etiamnum dicimus: sed modo duplici hoc perspergentes sale modestiores nos erga venerandam nobilitatem exhibeamus. Nam † primo 95 quidem nobiles Imperio suisve Principibus aut dominis iure militiæ addicti atque obstricti, solis debent Imperiali iussione publicis vtilitatibus occupari & non mercimoniorum exercere quæstum, sed suis insudare muniis militiæ, ad quam sunt destinati. Aut si aliquam forte aliam solicitudinem susceperint, & militia statim & priuilegiis militaribus denudari: vt Imperatoriæ serenitatis motum formident, qui leuitate saluberrimis statutis obuiam ire tentauerint, vt Imp Leo constituit *in d. l. milites 15. & l. nobiliores seq. C. de re miletari lib. 12. & f. l. nemo 13. eod. & d. l. 1. C. negoc. ne milit. eod. lib.*

Alii vero nobiles non ad imperii militiam, aut Principum suorum clementiæ diurno obsequio deputati, militantes nemini sibi tantum modo vacantes; sine principali offensione suorumque priuilegiorum amissionis metu possunt quidem mercaturæ se suaque addicere, sed non hanc in vrbibus perniciosam exercere, & plebeiis in his & negociatoribus emendi vendendique facultatem præripere eis permittitur. *d. l. nobiliores.*

Sordidi enim mercatores & negociatores illi tantum reputantur, qui vt iterum statim vendant à mercatoribus mercantur, vt 1. *Offic.* Cicero scribit, & probatur *dict. l. ne quis in pr. ibi.* ex vltimis, hoc est, infimis negociatoribus. *C. de dign. & d. l. si cohortali. ver. aliarūq; institores. C. de cohortalib. d. lib. 12.* Hi.n. nihil facile proficere aut lucrari possunt, nisi admodū mentiantur. Qui vero nobiliores aut honorabiliores ditioresque extra vrbes præcipue totaque prouincia, & cum exteris etiam nationibus sua mercimonia habent, magnis sumptibus necessaria ciuibus, aut certe vtilia aduexerint, inutilia atque superflua euexerint, horum honesta est omnino ac sine sorde mercatura: illo Cicer. testimonio, [Mercatura, dum inquit, si tenuis est, sordida putanda est; si magna & copiosa, multa vndique apportans, multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperanda.] Vnde videmus in maximis & populissimis Germaniæ ciuitatibus, Norinberga, Augusta, Argentina aliisque, & in ea quoque quæ maris mediterranei decus est, Venetia scilicet, negotiationes & mercimonia, rerum omnium affluentia copiosa, nihil natalium splendori, nihil ordini, non vlli quicquam dignitati derogare. Qui igitur militiæ nobiles adstricti sunt, & quotidiano ad bella armorum exercitio Principibus suis se sistere paratos debent, *vt dicitur in d. l. milites. 15. C. de re militari lib. 12.* his simpliciter est interdictum omni mercatura, sub pœna priuationis omnium priuilegiorum quæ militiæ iure alicui competierunt.

6 An vero † salua & integra suæ nobilitatis dignitate possit aliquis per alios mercaturam exercere? curiosus non sum. Videmus enim hodie vtcunque excusari nobiles, vel etiam in maiori dignitate consistentes, qui institorum opera in mercatu vtuntur; quod etiam non vulgarem iuris pertextum habet. Expresse enim institores tantum & ex negociatoribus vltimi à dignitatibus repelluntur. *d. l. 6. d. l. si cohortalis:* quod autem in vrbibus eminentioribus interdictum est mercimoniis, *d. l. nobiliores.* id non tam dignitatis quam vtilitatis publicæ rationem habet; estque non tam, quod indignum sit clarioribus emere & vendere, quam quod publice perniciosum sit, plebejis & vltimis negociatoribus emendi & vendendi facultatem per superiores præcipi nobi-

nobilioribus & ditioribus in Republ. mercari prohibitum. Si quis ergo à militiæ iure liber, quamuis per se negotietur, modo non vt vilis negociator, neque plebeiis & vilioribus noceat, cum forte etiam prosit & merces illis cumulatim aduehat atque suppeditet, vtique cessante prohibitionis ratione impune & sine dignitatis læsione mercaturam ille exercebit. *d. l. nobiliores.* Mynsing. *centur. sexta, obseruatione 54.* secundum quem ad communis obseruantiæ normam stylum merito dirigimus. Alciat. *in l. mercis, ff. de verborum significatione.* Bonus de Curt. *in dict. tractatu de nobilit. part. 7. numero quinto.* Tiraquell. *in eodem tractatu, cap. 33.* Cæpolla, *in tract. de Imperat. milit. elig. c. 4. de nobilitate. numero 12. opinione 18.* & ibi plures.

Quinta † porro quę ex paupertate descendit obliterandæ nobilitatis causa est, quod patriæ necessitas & amplitudo nominis requirit, vt nobilis equos alat; & quo est generosior, eò liberaliores in generosum animal, docile ad pugnam, ad sessorem facile, idoneum ad corporis defensionem, forte & animosum ad victoriam, sumptus faciat, vt *4. Polit. 3.* Aristotel. admonet. Mouet Alexander qui generosum Bucephalum, Perseus qui Pegasum volantem habuit. Mouent Eretrienses, Chalcidonenses, Magnesii, aliæque Asiaticæ ciuitates, quarum nobilitas equitatu maxima aduersus finitimos bella exercuit, & ciuitates suas defendit, & conseruauit. Sed & ratio in his probat equorum vsum. 97

Quippe proprium hoc Equitis nobilis munus est, in gyrum assiduo equos ducere, summo studio edomare, ad agilitatem informare, ne clamorem pugnantium, armorum strepitum, & machinarum fulminalium bombos perhorrescant, adsuefacere: insuper ipse loricatus & armis circumdatus omnibus cum summa admiratione equũ ascendere, strenue atq; fortissime equitare, hastas & missilia perite iaculari, fortiter dimicare gladio, docte scutum rotare & conto scienter vti, breuiter omnem armaturæ artem studiose addiscere atque exercere. Non vero potest omnia quæ huius muneris sunt vel discere vel facere nisi qui diues sit, vt & equos alere, & his operam dare libere possit. Quapropter cum facultates amplitudini nominis, quæ vt ve-

vere equites armigerique in defensionem Reipublicæ prodeant nobiles requirit, minime respondeant, ipsa quoque nobilitas & nominis amplitudo admittitur. Nā cur nobiles ordinis equestris viri dicerentur, si neque equos ad Reipub. vsum alerent, neque ipsi vt equites armati in turmas hostium prosilirent. Conseruandæ itaque sunt nobilibus diuitiæ, vt habeant ex quo alant: cumulandi honores iisdem, vt habeant cur alant, vt & cum hostem patriæ respiciunt habeant in quem fidem alant, videant. Honorificum olim hoc erat nomen apud Romanos, qui primum hunc ordinem instituerunt: cur igitur vt vigeret diu vt ampliaretur, vt propagaretur, vt floreret vbique omnes libenter non prospicerent.

98 Accedit † sexto, quod nobilitas hanc sibi quodammodo legem imposuit, vt debere se existimet, quod sponte tribuit, & nisi creuerit in beneficiis nihil se præstitisse putet, vt Greg. Pontif. *c. de donat.* scribit. Neque certe diuitiæ etiam cum generis splendore coniunctæ, hominem illustrant, imo obscurant, si non magnificentiam & munificentiam adglutinatam habeant, ac honorifice & pro nobilitatis dignitate expendantur. Nam (vt eleganter ciuilis iste conuersator ait) nobiles qui amplas quidem diuitias possident: ex ædibus vero nihil præter inutilem fimum & fumum emittunt, & quasi necessitate constricti, pallio attrito, pileo illunie inquinato, tibialibus & calceis sordidis ac resarcinatis incedunt, & in sordium & turpitudinis huius defensionem nihil habent nisi quod omnes nos inuicem norimus, & quod dum equum in stabulo non vnum pluresue aluat, cum honore possint pedites incedere: hitam aridi atque tenaces, si viles appellare nolueris, minime cum iis comparandi sunt nobilibus, qui frugali atque fertili nobilitate sua honestam alunt familiam, & ædes non minus peregrinis, quam incolis, præcipue vero pauperibus & virtute præditis apertas habent, quo ipso pro facultatibus obligatos sese profitentur, Maiorum dignitatem & amplitudinem sustentare, & dignos ac legitimos illorum successores se ostendere. In summa, Diuitiæ bene expensæ, Nobilitatis sunt ornamentum quasi peculiare atque proprium.

Vnde etiam † Iuriſconſulti noſtri indecorum exiſtimant; Illuſtrium perſonarum donationes quantaſcunque ad certa ſolennia, vt plebeiorum, adſtringere, atque ſub monumentorum obſeruatione, etiam eorum largitiones fieri, quorum velut proprium magnificentiæ decus eſt donare, *arg. l. ſancimus 34. & l. ſeq. C. de donat. l. pen. C. de don. inter vir. & vxor. Nou. 52. c. 2.* 99 100

Ex quibus tandem omnibus, ad conſeruandam nobilitatem, potentiam, hoc eſt, idonearum rerum opimae facultatem eſſe maxime neceſſariam conficitur. Hæc eſt ipſa illa directa & regia ad ſolidam nobilitatis exiſtimationem via. Cætera omnia adſint, hæc abſit, quid iuuabunt. Scito parum tutam ſine viribus eſſe; non eſt diu ſtabilis ac firma etiam magnificentiſſima domus quæ non bono fundamento eſt ſuperſtructa. Dei dy grymáton, kæ ànev túton ùdèn èſti 101
geneſtæ, ait Demoſth. Olynth. 1. Opus ſunt opes, & ſine ijs nihil fiet, quod opus. Vt ille neruos Imperij, pecuniam, experiens calliduſque vir exclamabat: ſic nobilitatis fundamentum ſola ſuſtinet pecunia.

diuina humanaque pulchris
Diuitiis parent: dictum eſt ante ex Horatio.

Haſtis pugna argenteis atque omnia vinces: quod prouerbio Menandrum dicere ſolitum ferunt.

Eſt enim Cicerone teſte, nihil tam firmum quod non expugnari 102
pecunia poſſit: adeo omnia ſunt venalia nummis, vt dixit Ariſtotel. *lib.* II. *Rhet. c. 16.*

Vt igitur clarum cuiuſquam emineat maneatque in ſobole genus: ac prædicetur habeaturque Generoſus ac Nobilis, generoſa de ſtirpe patreque Nobili prognatus, in eo nominis amplitudinem & generis claritatem comitari quoque potentiam omnino neceſſe eſt, vt ex his vera demum atque ſtabilis progerminet coaleſcat, confirmeturque nobilitas

Proinde quiſquis familiæ ſuæ dignitatem conſeruare & ſtabilire cupidus eſt, eamq; non poſteris inuidet, conſulat ille agnationis inopiæ, caueatque in numeroſa prole, ſuis in tenues diuiſis aliquando poſſeſſionibus, emergentem facile paupertatem, quæ homnes ridi- 103
culos facit, vt Iuuenal. teſtatur *Satyr. 3.*

Nil habet infœlix paupertas durius in ſe
Quam quod ridiculos homines facit.

Et Plautus in Sticho. 104

Iam inde à pauxillo puero, ridiculus fui
Eo, quia paupertas fecit ridiculus forem.

Ipsis hominibus eandem de semetipsis vile iudicium paupertas
105 instillat, atque † vt Terent. *in Adelph.* ait:

Omnes quibus res sunt minus secũdæ, magis sunt nescio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis;
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Cæterum si debilitantur familiarum facultates, saltem ijs (vt videmus) inter liberos aut æquales gradu agnatos masculos numero sæpe plures diuisis: quanto magis extenuari easdem putas, quando etiam filiæ cum filijs, fœminæ cum masculis, cognati cum cognatis ad bonorum successionem admittuntur. Certe misere multæ hactenus
106 (qnod dolendum est) illustres & amplæ Germanorum familiæ per hanc successionis legem, qua omnes differentiæ sexus in successionibus sublatæ sunt, opibus scilicet in tenues semper diuisis interierunt, quæ diuites olim atq; diuitijs consolidatę celeberrimo nomine claruerunt, nunc oppressæ paupertate penitus extinctæ iacẽt, Quod certe ijs qui forte reliqui ex ijs sunt non dolorosum atque acerbum recogitantibus esse non potest.

Quamobrem huic vt subuenirent querelæ, neq; etiam masculorum plurium in successionibus concursus, familiarum potentiam, amplitudinem & dignitatem per diuisionem labefactare, soluere aut diminuere posset, vicinæ quædam gentes ad ius primogenituræ vetustissimum relapsæ sunt: aliæ ad differentias tantum inter masculos & fœminas regressæ sunt, statutisque cauerũt, extantibus hæredibus masculis, vt fœminæ cum dotibus elocarẽtur, à successionibus vero arcerentur. Nostrates vero, quo & ipsi fœminarum saltem nimiam bonorum in familijs extenuationem auerterent, eoque ordinum & familiarum dignitatem & distinctionem reseruarent, primum quidem quod scripta inducere lege difficilius atque periculosum erat, sensim pactis & conuentionibus inducere consueuerunt, vsq; dum eo rẽ deduxerũt, vt dudum, iã in omnibus prope illustrioribus familijs pactis inducta primum, nunc peculiaria statuta & consuetudines gentilitiæ vigeant, quibus extantibus masculis fœminæ dotatæ ab omni successionis iure excluduntur, & soleãt nobiles pleræq; omnes fœminę etiam sponte & iurata fide omni sibi competenti & competituro iuri in quibusuis familię bonis in fauorẽ agnationis renunciare, iuxt. c. quamuis, de pact. in 6.

Hæc

Hæc igitur statuta & pacta gentilitia itemque dictas fœminarum de successionibus renunciationes, nostrum nunc est exemplo maiorum, acri cura summoque studio tueri, defendere atque custodire: eadem instãter vrgere, augere, ampliare atque dilatare magis, quam vlla parte minuere aut negligere: curiose circumspicere ne vlla ratio ne vel ad feudorum vel bonorum allodialium successionẽ simili fœminæ cum masculis iure adspirare queant; abarceantur, vbi non arcentur, quam longissime; excludantur, quę non excluduntur; in quãtum possint; & (vt verbo dicam) repetantur, & in vsum reuocentur ma vetustatis differentiæ sexus, & vbiq; honeste dotentur fœminæ, mares autem in successionibus præferãtur. Ita nimirum eius quod voto ingenus quisque nobilis complexus est suo, compos fieri & præclaram nominis memoriam, laudem atque gloriam in multos posteros facilius propagare atque deriuare poterit. Hac enim ratione apud masculos bona remanent, per masculos nomini connectuntur, in agnatione paterna prædia conseruantur, nec per fœminas transferri ad alias possunt: proinde per amplas & antiquas possessiones atq; diuitias, etiam (quod ipsum votum parentum est) nominis & familiæ cuiusque dignitas atq; splendor, suus nobilitati honor & amplitudo, conseruatur, confirmatur & propagatur, vt hactenus deductum est.

CAPVT XXIX.

Septimo etiam eo in illustribus ac nobilibus præcipue familijs differentias sexus in successionibus stabiliri magis, quam abrogari æquum probatur: quod istis abrogatis, ac nimirum fœminis cum masculis æqualiter succedentibus, prædia & bona auita & gentilitia, vna cũ fœminis in extraneas peregrinas familias, easque quandoque etiã vilissimas, maxima parte trnsirent: qnod videre

masculis atque agnatis luctuossissimum esset.

SUMMARIA.

1 *Nihil est posteris grauius, quam maiorum prædia ad exteram familiam transijsse videre.*

2 *Quæ suis laboribus alicui acquisita sunt, ea ad alios transferri iniquum est.*

3 *Valde lugubre est, in qua domo defecit pater, creuit minor, maiorũ imagines non videre fixas aut reuulsas videre easdem.*

4 *Omnium luctuosissima res est, nobilissimæ alicuius gentis bona prædiaque forte ad vilis conditionis homines peruenire, id quod filiarum succedentium connubiis facile euenire potest & solet.*

5 *Nimia cupiditate sæpe sine vlla vel commodi vel honestatis ratione nubunt fœminæ.*

6 *Adeo plerunque sunt in nouos maritos mulieres propensæ, vt & seipsas totas, & liberorum bona, vitamque ipsis addicant.*

7 *Crudele matris facinus, quæ propter vnius proci nuptias sibi amabiles, duorum filiorum iugulum hausit.*

8 *Aliud simile exemplum eiusque pœna.*

PRæterea vero quemadmodum parẽtibus nihil tristius, & ad dolorem in vita acerbius accidere potest, quam videre sine prole genus & nomen suum interire, ita è contrario alicuius antiquæ & il-
1 lustris olim familiæ agnatis † atque posteris, nihil est, quod euenire grauius possit, quam bona prædiaque maiorum ad sui nominis illustrationem & totius familiæ splendorem, amplitudinem, dignitatem, gloriam & vtilitatem comparata, ad extraneas transijsse famili-
2 as videre. Grauius † id quidem multis videtur, quę suis laboribus alicui acquisita sibique possessa sunt, ea ad extraneos transferenda adspicientes & lugentes non iuuare, vti Imp. Iustinianus conqueritur, *in d. l. cum oportet, C. de bon. quæ lib.*

3 At † quanto hoc magis lugubre est, in qua domo defecit pater, creuit minor, maiorum imagines non videre fixas, aut reuulsas videre easdem, vt idem Imperator dicit, *in l. lex quæ tutores 22. C. de administr. tut.* Luctuosum sane non potest viro bono videri, ita alicuius amplam, splendidam, instructissimamque domum exspoliari, vt qui in ea nati sunt, de maiorum suorum prouentibus, & ab auitis laboribus,

bus, sudoribus, & industria prouenientibus bonis, ditari alios, eorumque stipatos subsidio florere videre cogantur, ipsi vero ijsdem exuti ab omnibus, natalibus viles existimentur ludibrioque propter paupertatem ab omnibus habeantur.

Sed luctuosum † magis & luctuosissimum hoc est, cum forte ad 4
homines contemptibiles atque indignos illustris alicuius familiæ bona prædiaque perueniunt, quod vtique ex indiscreta sexus successione, videlicet filiorum & filiarum, agnatorum & cognatorum æquali, non raro minus quam facile euenire potest, atque etiam euenire videmus quam sæpe hodie filiæ succedentes parētibus & amplam possidentes hæreditatem, crastino forte (vt muliebris fert leuitas) in totius generis atque agnationis ignominiam atque dedecus vili alicui garcifero nuptui se cum omni possessione tradant, quā 5
sæpe puellæ, vel etiam vnius matrimonij iam lege solutæ mulieres, sine consensu atque consilio propinquorum, nulla vel propriæ vel procerum habita dignitatis vel existimationis aut vllius alterius rei te ratione, nimia cupiditate victæ ad prima vel vlteriora matrimonij vota transeunt. Sunt nimirum ad illicita semper proniores fœminæ, 6
ac in rebus serijs leuiores, in leuibus curiosiores atque grauiores. Sic in illis propriæ salutis meditationem & liberorum curam sæpe amoris vis expellit, & vnico puerulus Veneris naturam iaculo vincit. Nam vt idem Imperator Iustinianus testatur adeo plerunq; sunt in nouos maritos propensæ, vt illis non semetipsas tantum & corpore, & substantia, & omni vita tradant, *l. assiduis 12. C. qui pot. in pign.* sed etiam liberorum vitam non raro ne dum bona ijsdem addicant *d. l. lex. quæ tutores.*

Imo addo, quandoque etiam ipsas nimio placendi studio procis liberos suos, omnis quo pepererunt doloris & amoris quo dilexe- 7
runt oblitas, crudeliter necare. Cuiusmodi † immane matris facinus Bruschius author manu scriptus in Belgia accidisse memorat, vbi vidua quædam prædiues, quo facilius in sui amorem nuptiasque alliceret eum, quem amabat, & ambiebat venustum iuuenem: neque primi matrimonii soboles illius hinc animum alienaret, duos quos habebat vnicos filiolos, propter eximiam formam & indolem omnibus amabiles pueros, quauis ferocior bestia mater nō solum e complexu abiecit suo, quos intempestiuo non capta amore vel potius furore etiam vi ereptos grauatissime dimisisset, verum etiam hoc,

quod omne maternum genus honore percutit, est aggressa facinus ac nimirnm vtriusq; filioli iugulum abtorta gula hausit.

8 Dignissima † sane tam atrox atque dira mater, Romildæ illius, matris libidinis pruritu erga filios, impietate simillimæ, fortuna: de qua M. Antonius Sabellicus, *lib.5. Enneadis octaua*, sic scribit. [Romilda Gisulphi vxor tenebat vrbem mœnibus & præsidio munitam erantq; cum ea Rhodobaldus & Grimealdus filij cum liberis & Gaza omnium primorum Longobardici sanguinis, defendebaturque oppidum valide aduersus omnes Bemarum conatus. Sed qꝫ vis nulla potuit, muliebris intemperies vrbem alioqui munitissimam hostib. patefecit. Romilda Regem forte intuita mœnibus obequitantem forma & ætate, crispo adhæc, rutilantiq; capillo, eius amore capta, misit, qui cum eo vrbis proditionem pacisceretur, si se in matrimonium reciperet. Accepit Barbarus conditionem, victoriæ cupidus, fideq; in id quod promittebatur, data & acceptata, Romildæ opera in vrbem admittitur. Hic Rex ne fidem falleret, nocte vna, Romildam pro coniuge habuit, inde effrenatam mulieris libidinem duodecim robustissimis militibus subiecit, qui per ludibriũ & dedecus eam assiduis compressibus explerent: postremo mulierem miserabiliter vexatam, palo affixit, vt omnibus sui sexus documento esset, ne libidinem rationi anteponerent, voluptatem vtili & honesto, simul vt omnes scirent perfidiam, ne apud eum quidem cui gratificari se putet, tutam esse oportere. Hactenus Sabellicus. Sæuus quidem extitit ille Barbarus: at magis erga filios truculenta mater: vnde ille sua in sæuitia laudem meruit, quod hæc se suosque ob effrenatam libidinem perdere voluit.

Quid igitur confidemus bona mulieri? quæ filijs non, proprioq; sanguini parcit, multo minus eadẽ bonis, vel famæ, vel etiam familias splendori parcet. Eripiamus ergo tã furenti naturę, familię bona, quibus in familię dedecus abutũtur, & immodice in maritos ea conuertunt: aut etiã hoc non agentes, in alienam tamen domum ex domo patria conferunt, & hanc exinaniunt atque debilitant, maritorum autem locupletantur, illustrant atque confirmant, quod ipsũ quoque satis durum videre est genticolis, *l. si emptionem 35.* ibi veluti quod maiorum eius fuisset, *ff. de minoribus, l. in fundo 38.* ibi laribus sepulchris auitis, *ff. de rei vendicatione, & d. l. lex qua tutores, 22. §. nec domum, C. de administr. tut.* quam rationẽ summe ponderat Ancharan.

tan.*in conf.341.vol.4.In princ. & adducit Koler.in methodo iuris emphyt.c.9.n.6.* & notat Geyl. *2.obf.122.n.10.* & late explicant Zaf. *confi. 1.vol.2.Mynf.resp.49.Hottom.conf.*1. *Bodin.lib.*1. *de Repub.c.22.*

Moueat itaq; vel hæc quoq; caufa legiflatorem a fucceffionibus arcere fœminas, hifq; dotandis, omnia reliqua bona mafculis addicere, vt & auorum maiorumque cuiufque familiæ vnicum, & vltimum votum gentilis gloriæ inpofteris propagandæ expleatur ipfique etiam pofteri non maiorum fuorum prædia poffidere alios luctuofe videre cogantur, maxime vero cum hoc etiam multis modis rei inferuiat publice, quod, vt promifimus, demonftrare nunc tandem aggredimur.

CAPVT XXX.

Deinceps differentias fexus præcipue in Magnatum familijs circa fucceffiones protegēdas, variafque inter mafculos & fœminas Prncipatuū & Imperiorum diuifiones tollendas effe, publica vtilitate commonftratur.

Et quidem primo: quod plerunque nouos Dominos, noua fequitur etiam legum motumq; inftitutio, qua nihil eft in repub. perniciofius. Vnde quoq; nihil citius magifq; publicam difturbet tranquillitatem, quam affidua Principum & Magiftratuum mutatio.

SVMMARIA.

1 *Subditorum intereft fub vnius familia iurifdictione diu manere, neq; peregrinis fubijci.*

2 *Principatuum & Rempublicarum mutationes periculofæ & plerunque conuerfionem afferunt.*

3 *Nouus Princeps, noua leges.*

4 *Nouos & Peregrinos Principes atque dominos, vbi aeque cum mafculis*

sculis fœminæ succedunt, illæ tum succedentes per connubia subditis plerunq; obtrudunt.

5 *Semper lex vetusta melior noua, hac licet optima.*

6 *Lex antiqua licet iniqua, vtilior noua, ex communi Politicorum sententia antiquari non debet.*

7 *Nihil perniciosius in quacunque Republica legum nouitate.*

8 *Satius est peccatis inueteratis legum non mederi, quam earum assidua mutatione, vt facile leges antiquare soleant ciues adsuescere.*

9 *Apud Locrenses, qui legem nouam tulisset, id vt collo laqueum inserto faceret, cogebatur; quo si improbatam tulisset, moreretur; sin probatam, liberaretur.*

10 *Apud Athenienses indicta maiestatis pœna prohibitum erat, inconsulto Senatu legis rogationem fieri.*

11 *Idem apud Venetos vsu obseruatur.*

12 *In rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet.*

PRimum itaque quemadmodum paterna & gentilitia bona, prædia, adeoque territoria, comitatus Ducatus, regna & Imperia multoties dispertita ad eorum inclinationem & interitũ vergunt, nobiles, illustres, regiasque domus & familias opibus suis & potentia exhauriunt, labefactant, & magnificentia sua exspoliant: sic etiam subditis eiusmodi variæ atque iteratæ Imperiorum diuisiones sunt perniciosissimæ, quorum vtique tam sub vnius familiæ
1 imperio & dominatione se quietos diu permanere & conseruari, neque pluribus & varijs alienigenis etiam, peregrinis atque ignotis dominis subijci, quam publicam inter ipsos & magistratum conseruari atque stabiliri pacem & tranquillitatem, interest.

2 Quam enim assidua † Principatum variatio perniciosa atque periculosa cum subditis tum magistratibus esse soleat, & quantam omnis fere mutatio Reipublicæ conuersionem afferat, siue melior siue deterior in ea Dominus vel Princeps succedat in confesso est.
3 Primo namque nouos dominos nouæ leges, noui in prouincia & municipijs magistratus, noua instituta, noui mores, noui hostes sequuntur; sequitur noua ratio vitæ: eaque omnia necessario sequuntur, quando exterus aliquis & vel familiæ vel nationis peregrinę no-
4 ui principatus † fit particeps; quem vtique fœminæ vbi ex æquo cũ masculis iure succedunt sæpius per peregrina connubia non sine magna Reipub. clade inducunt. Cum

Cum enim hoc quodammodo natura insitum sit omnibus Principibus, vt nouos adepti principatus nouitati studeant neque sinant eo omnia stare sedereque loco, quo inuenerint: quanto magis alienigenus suis patrijs & peregrinis nouis subditis imperare moribus studebit; quod non tantum singulis, verum etiam vniuersis magnũ salutis detrimentum adfert, etiam tum quando meliora subsequi statura vel instituta videntur.

Nam † vt ingeniose disserunt scriptores nostri politici, etiam lex 5
optima si sua nouitate contemptum cæterarum legum adferat, fit perniciosa & vix vlla præmiorum spe aut metu pœnarum aut magistratuum officijs consistere durareque diu poterit. Ipsa vero vetustatis species tam chara cuique est, vt lex antiqua etiam sine magistratibus seipsam facile tueatur. Quo fit, vt ea, quæ putatur nouæ legis vtilitas, tanta non sit, quanta sunt, quæ ex vnius aut omnium legum contemptu profectura sunt incommoda.

Quanquam ergo sapientibus inter † ipsos plane nondum conue- 6
niat, an lex iniqua, quæ sua vetustate nititur, antiquari debeat, vt noua vtilior feratur? est tamen hæc communis & ab omnibus accepta diuque confirmata; scilicet in ea republica quæ diu eodem statu, ijsdem legibus ac moribus floruerit, quantacunq; vtilitatis species appareat insperata conuersione, in ijsdem tamen nihil esse mutandum.

Sic † in summa nihil esse perniciosius in quacunque ciuitate le- 7
gum morumq; nouitate sapientissimus Plato *lib. 7. de legibus* statuit. Et in vniuersum aliquid vel in Reipublicæ forma mutare, vel maiorum instituta tollere, aut loco leges aliaue mouere, viri prudẽtes ita semper fugere sunt & detestari soliti, vt etiam minus bonis atque vtilibus, modo vsitatis acquiescere satius, quam introducere noua duxerint. Ac † ipse quidem Stagirita maius Reipublicæ in commodum existimauit, adsuescere ciues, vt facile leges antiquare soleant, quam peccatis inueteratis quibusdam legumlatorum & magistratuum mederi, adeoq; cicatricem potius ferendam, quam nouum & lethale vulnus Reipublicæ infligendum esse docuit 2. *Polit. 6.*

Hinc † vetus Locrensium institutum scriptores commendant, 8
quos vsque adeo veteribus legibus, moribus & institutis vtendum eaque populo patriaque retinenda singulari sanxisse lege referunt, vt si quis legem ferre nouam vellet, collo in laqueum inserto id face-

re cogeretur: ita quidem vt si honesta atque vtilis illa videretur, im-
pune nouæ legis dictator & author abiret, sin minus attracto laqueo
10 moreretur. Veteri autem Atheniensium lege, quam Publius Philo
dictator tulit, cauebatur; ne vlla rogatio ad populum inconsulto se-
natu ferri posset, maiestatis ijs indicta pœna, qui in legem commi-
11 sissent. Quam etiam Venetorum Rempublicam amplexam esse le-
gem, eandemque inuiolabiliter tueri Bodin. *lib. 4. de Repub. 3.* testa-
tur, quod in ea ne ad senatum quidem de Repub. inconsulto sapien-
12 tum collegio ferre liceat. Sed † & Vlpiano nostro placuit, in rebus
nouis constituendis euidentem esse vtilitatem debere, vt recedatur
ab eo iure, quo diu æquum visum est, *leg. 2. ff. de constit. Princip.* quo
pertinet etiã, ꝙ Paulus respondit, minime esse mutanda, quæ inter-
pretationem certam semper habuerunt, *l. minime, 24. ff. de legib.*

Quamobrem etsi præscribat nouo vel peregrino Principi vtilitatis ratio aliqua, recentiorib. inuentis antiquas, vel suę nationi vsitatis nuper sibi subiecti populi patrias leges e tabulis esse eradendas: plena tamen periculis, plenaq; procellis esset illa, vt est omnis rerum periculosa cõmutatio, innouatio, & quam difficulter nouarum rerũ vsus approbaretur, tam difficulter veterum relinqueretur consuetudo, ac ne vix quidem sine tumultibus & seditione aboleri omnino posset. Expedit ergo primũ ad euitãdã perniciosissimã in repub. legũ morumq; assiduam mutationem & nouitatem, & subditis & magistratibus totique Reipub. ne varij & multo minus peregrini obtrudantur Principes atq; Domini, quos per fœminarum successiones non raro obtrudi modo dictum est.

CAPVT XXXI.

Secundo, in eorum familijs, qui alijs dominantur, etiam hac causa publice vtiles sexus differentiæ in successionibus perhibentur: quod videlicet ne subditi per peregrina fœminarum connubia, etiam peregrinis & alienigenis subijciantur, Principibus atque Dominis prospiciunt: quos vtiq; vix vllam æquo animo perferre gentem constat.

SVMMARIA.

1 *Plerunq; Principum ingenia in peregrinos subditos duriora.*

2 *Non cogitur, cui fideicommissaria libertas relicta est, si sua intersit, patronum alium agnoscere, quam eum, qui manumittere rogatus est, licet ab alio sit manumissus.*

3 *Dominus feudi, nisi vniuersum territorium aliquo transferat, non potest inuitum vasallum alij Domino vt vasallum mancipare.*

4 *Fœminis etiam in iurisdictione succedentibus, quot & quanta tum per connubia peregrina subditis mala contrahantur, exemplis declaratur.*

5 *Nulla ratio propter morum diuersitatem diu ferre peregrinum Imperium potest. Comin.*

6 *E Gallia pulsus Rex Anglus.*

7 *E Neapoli pulsus Rex Gallus.*

8 *Ex Anglia Imperij Hispani metu, pulsus Hispanus Castiliæ Princeps Philippus Reginæ sponsus.*

9 *Nuptiarum inter Reginam Angliæ Mariam, & Philippum Castiliæ Principem iniquæ pactiones.*

10 *Nunquam Princeps peregrinus etiam bonus, qua indigena apud subditos gratia pollet.*

11 *Vnde sub peregrino Principe dissensionum occasiones.*

12 *Commineus beatum prædicat Galliæ regnum, quod in eo fæmina non succedit.*

13 *Principalis Salicæ legis lata ratio, ne per fæminarum connubia ad regni successionem etiam peregrini aditum haberent.*

DEinde vero etiam varia variorum sunt ingenia Principum, aliaque alijs, hocq; huic, illa alij tolerabiliora populo, plerunque vero in peregrinos & nouos subditos duriora. Quare et- 1
iam hoc secundo subditorum interest, domesticos & natos suisque moribus adsuetos habere & retinere dominos atq; Principes. Qua † 2
ratione commotus olim D. Pius etiam priuatorum iure constituit, ne cogeretur, cui fideicommissaria libertas relicta esset, alium quā eum, qui manumittere rogatus proponeretur, quantumuis ab alio manumissus, patronum agnoscere, si se manumissione læsum, forte quod duriorem in manumissore quam in rogato, patronum se habiturum esse, docuisset. Vt Vlpian *in l. generaliter. 23. §. vlt. & Pompon. in l. inuitus 34. in pr. ff. de fideicommiss. libert. scripserunt.*

 Cu-

Cuius † constitutionis argumento vlterius etiam Accursius *in d. l. inuitus*, arguit. neq; dominum feudi Vasallum suum alij, tanquam Vasallum iure mancipare posse, si is forte durioris conditionis metu consentire nolit. Sed & ipsis feudorum moribus & vsu receptum hoc & comprobatum est, quod nisi Dominus vel Princeps totum aliquod territorium siue curiam vendat, alioue modo transferat, non possit Vasallum cogere, vt alterius fiat Vasallus, si hoc ille inuitus faciat, *tex. in c. vn. § ex eadem 1. de Lege Corradi. 2. F. 34. & in c. vn. § firmiter 1. in fin. de probib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55. & in c. un. § si quis fecerit, 1. quo temp. mil. inuest. pet. deb. 1. F. 22.* & & tradunt Bald. Aluarot. Isern. Dn. Baro a Tautenberg. & Feudistæ communiter, *in d. § ex eadem, d. § firmiter.* And. Gayl. *lib. 2. de pace publ. c. 15. n. 13.* Hartm. in pract. obs. *tit. de feud. obs. 40.* & esse notabilem hanc opinionem ait Clarus, *in § feudum, q. 28. nu. 1.* & dicit esse commuem Gratus, *cons. 147. n. 5. & 6. vol. 2.* esseq; de natura feudi scribit Mozius, *de nat. feud. n. 77.* & hoc iure nos vti testatur Zas. *in epit. feud. par. 9. n. 9.* & plurib. confirmant Fernand. Vasquius, *lib. 1. illustr. contro. c. 5. n. 5.* Borcholt. *in tract. de feud. c. 8. n. 29. & n 136.* & D. Vult. *lib. 1. de feud. c. 10. n. 71.*

4 Ex quibus † vtiq; facile est intelligere, quot & quanta succedentibus etiam in iurisdictione fœminis & ijsdem tum peregrina connubia sectantibus, inde Reipublicæ incõmoda immineant. Omnia videlicet ea, quæ ex eadem occasione multis aliis regnis atq; Ducatibus impendisse, atq; etiam euenisse necessario legimus atq; conijcimus: Nam vt magnæ prudentiæ & multæ experientiæ Gallicarum rerum scriptor ait: *lib. 8. Comment. de reb. gest. Ludouici:* Vix vlla

5 est natio, quæ propter morum diuersitatem diu ferat peregrinũ Imperium, & vbicunq; populus est aliqua mediocri potentia, eum fere ab indigenis gubernari videmus.] Ante annos centum & sexaginta maximas in † Gallijs possessiones Angli tenuerunt, ac circiter annos 40. post temporis fere puncto omnia rursum amiserunt, ac ne

7 hodierno quidem die nisi pauca in ijs vestigia detinent. Sic † per cõplures annos Siciliã & Neapolim Galli possiderunt: his autem omnibus ita nunc sunt exuti, vt præter maiorum suorum sepulchra, ni-

8 hil ibi reliquum habeãt. Angliæ quoq; dominatum connubij & religionis specie nuper Hispani præsumebantur saltem affectare, pactis videlicet nuptijs inter Mariam Angliæ Reginam & Philippum Castiliæ Principem, vnicum in spẽ Hispaniæ Regni a Carolo V. susce-

sceptum filium an. 1554. Aprili mense. At quid Angli? sc. peregrini impatientes imperij, occultis coniurationib. (vt fama percubuerat) Hispanos vno tollere & eodem momento decreuere. 9

Et etiam certis conditionibus ab ordinibus in Comitijs comprobatis initum connubium erat; atque vno quidem capite hoc interdictum, ne Reginam consentientem, neue liberos communes extra Imperium seduceret, hoc item alio, ne quis peregrinus siue Hispanus honores ac Magistratus in Angliæ Regno adipisceretur: atque illud insuper sanctius cautum, vt iura Maiestatis omnia & quidem in solidum penes essent Reginam: ne leges, edicta, rescripta, beneficia, nisi iubente Regina vim vllam haberent: & denique hoc etiam exceptum (vt Bodinus ex libris Neuatij legati docet) ne quis Hispanus arces imperio subditas præsidio teneret: ne item milites Anglos Hispanis conscribere aut extra fines Imperij educere exercitum liceret Anglorum; nihilominus Angli Hispanos, & præcipue Hispanum Principem, tametsi imperijs, opibus, ætate, gratia propinquitatibus florentissimum ac potentissimum, ferre minime potuerunt. 10
Nec dubium est quin aut Hispani tyrannidem aut Angli Hispanos inuasuri fuissent, nisi Reginæ occasus imperio valde salutaris, vtrorumque cæptis finem attulisset. Nam † etiam vt Princeps aliquis externus bene rem gerat & commode gubernet: tamen quia moribus 11
& ingenio à subditis differt nec eadem apud populum beneuolentia qua indigena pollet. Ea vero dum non pollet, quo facilius principatum nouũ suasq; simul fortunas tueatur, aliunde externæq; nationis proceres, ministros regni atq; milites adducere eorũq; se præsidio munire cogitur: ex quo certissime dissensionũ occasiones nascũtur.

Augentur enim tum honoribus & beneficijs peregrini, & negliguntur ciues domestici, quo cum nihil tam acerbum, minusque tolerandum his videtur, non in Principem tantum, sed etiam in omnẽ eius stipatum, familiam & gentem odio atque inuidia concitantur, eoque in turbulentũ & periculosissimum Reip. statum deducitur. 12

Atque † hinc Gallicus iste commentator, magno beneficio Dei factum gloriatur, quod Imperium Gallici regni non defertur ad fœminas, vt ne summa regni aliquando penes externum aliquem Principem deponi, atq; inde dissidijs atq; tumultibus agitari contingat.

Neque † certe ipsa Gallis sanctissima Lex Salica non principaliter 13
ad fœminas hæreditate Regni arcendas scripta videtur, quod videli-

cet propter infirmitatem consilij, tanti Imperij summam atque molem obtinere ac sustinere non valeant: sed ob id potissimum lata & perpetuo omnium ætatum vsu confirmata videtur, ne per fœminarum connubia & affinitates peregrini ad Regni successionem aditum sibi facerent. Intolerabilius enim multo esset Gallis (vt bonus auctor aduersus Machiauellitas *com.1.cap.vlt.* scribit) externi Regis imperio subijci, quam Gallicæ stirpis Reginæ; Adeo Gallis inuisa est peregrina dominatio. Qua dominatione, fortuna vel hominum culpa dicam scissa sæpe regna, multas in dissidia diuulsas ciuitates abundat exemplis, Aristotel. 5. Polit. 3. & multa domestica recordatur Bodinus *lib.6. de Repub. 5. n. 742. & seq.*

Gratulamur itaque & nos merito Germaniæ nostræ, hoc dudum in ea quoque inter Principes, Comites, Nobiles & omnes qui alijs imperij iure dominantur, successionis ordine introducto ac stabilito, quo masculis solum ad iurisdictiones est aditus, idem autem præclusus fœminis, ne extraneos subditis dominos obtrudant.

CAPVT XXXI.

Tertio ad dictas differentias sexus maxime vtiles & in repub. proficuas commonstrandas, ostenditur etiam, illas Rrincipũ ac Dominorum pluralitatem, magis in vnitatem contrahere: ac ne subditi varijs distinguantur imperijs, sed vnius præcipui, vel saltem marium tantummodo contineantur, atq; regantur, nec etiam fœminarum mancipetur imperio efficere. Est enim valde inimica subditis, ipsisque non minus infesta Principibus, Principum pluralitas: Principatus autem vnius communi opinione optimus.

SVM-

SVMMARIA.

1 *Quisque sibi de vnius imperio merito gratulatur, vni tantum subditus Principi ac Domino populus.*
2 *Optimum vnius imperium multis commendatur.*
3 *Vnus est Deus, Rex Regum, & Dominus dominantium.*
4 *Vnus ab initio, qui cæteris animalibus dominetur, creatus homo.*
5 *Vna in homine ratione reguntur cupiditates.*
6 *Vnus semper populi Dei Princeps in Israel.*
7 *Sol, vnus omnium syderum Princeps.*
8 *Vnum sequuntur Ducem cerui.*
9 *Vni parent regi apicula.*
10 *Vnum in ordine volantes obseruant grues.*
11 *Rem familiarem paterfamilias vnus, adeoq; & publicam vnus optime administrat.*
12 *Optimum vnius in plures inferiores imperium, auctoritatib. & exemplis probatum.*
13 *Egregius virtutis pater Homerus.*
14 *Entia nolunt male disponi.*
15 *Vbi vnitas, ibi pax.*
16 *Fortior & præstantior est virtus vnita, quam dispersa.*
17 *Inter plures potentes in vno eodemque regno adeoq; plures Reges atq; Principes, arduum est esse diurnam concordiam.*
18 *Par paris imperium non fert.*
19 *Exclusione fœminarum pluralitas Principum diminuitur, & ad paucitatem proindeque vnitatem redimus.*

MAgis autem † hinc tertio, & hilariori vultu sibi gratulatur de 1 vno summo Imperatore vniuersus Romanus, tũ de suo quisque vnico & hæreditario Rege, Principe atque Domino, cui subditus est populus. Exultant in Lege Regia omnes ciues Romanis, de vno summo imperio lata, qua ei omne imperium suum & potestatem dedere, *l.*1.§.*cum enim, C. de vet. iur. enucl.* §.*sed & quod Principi 6. Instit. de iur. nat. gent. & ciu.*

Liuius *li.44*. Triumphat Germana Romana Illustris ac generosa, Nobilitas, cum in antiquis feudorum vsibus, tũ etiã receptis statutis pactis gentilitijs, & fœminarũ renunciationibus, quib. Principatus, Comita-

Comitatus, territoria continentur & imperia contrahuntur, ne hinc inde subditi distrahantur, in quo ipso quoque subditi plurimum habent, quod gaudeant.

2 Optimus † enim ac vetustissimus est Principatus, vnius videlicet super multos Imperium, atque omnes antiquas gentes primum Regibus obtemperasse constat. Cic. *lib. 3. de legib.* Idque in terris primũ Imperij nomen erat, vt Salustius *in Catilin.* dicit, vt ita verissime Iustinus *in hist.* prȩfatus sit, Principio rerum, gentium nationumq; im-
3 perium penes Reges erat. Vnus † est ab æuo, eritque in æuum Deus, in & à quo sunt, quæ in rerum hac vniuersitate omnia: qui vnus omnibus in terris Rex summus Olympo prȩsidet & dominatur superius omnibus inferius dominantibus: estque solus & vnus optimus, altissimus & sanctissimus totius mundi Monarcha, in quem vnum omnes merito maxime respicimus, & à quo Reges & Principes terrenos bonos ac salutares petimus.

4 Idem † creauit Deus vnum tantum ab initio hominẽ, & non plures, vt ipse solus & vnus esset sup omnes alias creaturas in terris Do-
5 minus. *Gen. 1.* Ipsum vero hominem quæ regeret, ac † veluti fasces in eo obtineret, imperaretque cupiditatibus, vnam illi rationẽ quasi ductricem indidit. Idẽ post lapsum hominis humano genere in populos dilatato, quem ex ijs sanctum sibi populum delegerat, eũ sem-
6 per per vnum videlicet Moysen. *Deut. 33.* Dauidem, Salomonem, & alios regi atq; moderari voluit: indignatusque est omni semini Israel, quod dissipatus à domo Dauid elegit sibi Regem Hieroboam, vt
7 scribitur in libro Regum. Idem inter sydera quoque, † reliquorum luminum omnium Principem, Ducem, & Moderatorem, vnum videlicet Solem, constituit; vt sua luce compleret lustraretque cuncta: quem etiam inferiora, quæ errantia vocantur, sydera, velut Regem suum colunt, obseruant, venerantur. Duo vero aut tres cum conspecti fuerint Soles, prodigiorum loco habentur, multa etiam magnaque adferre mala consueuerunt. Idem denique eandem etiam rationis expertibus animantibus naturalem vnius imperij obedientiam implantauit.

8 Habent † enim & cerui vnum aliquem quasi Ducem quem sequuntur. Habent & apiculæ suum Regem, cuius bombitu quasi tu-
9 ba † quadam ad prælium incitantur, à latere nunquam discedunt,
10 mortem dolent, lugubriq; velut sono lamentantur. Habent deniq; grues

grues aliæque non paucæ aues vnam quam reliquæ omnes ordine literato obseruant. Quanto magis igitur & nos inter homines hoc obseruatur, & † in quâ re familiari recte atque ordine cuncta geri 11 volumus, ei vnum patremfam. qui vxori, liberis, seruis, imperet, præficimus: & quam stabilem diuque saluam cupimus Rempublicam, vnius Regis vel Principis Imperio subijcimus, quem omnes pro terreno numine obseruent, *d.§ sed & quod princip. cum similib.*

Hinc ad modum superiorum & naturæ aptissimum, quin etiam multis præclaris Rerumpublicarum exemplis vtilem & frugiferum, egregijsque cum sapientum tum diuinis insignitum elogijs, 12 etiam inferiora optime omnes populi regi, vni dum se singuli subijciunt regi, credunt: Suntque Assyrij, Medi, Persæ, Ægypti, Parthi, Macedones, Celtæ, Arabes, Indi, Æthiopes, Schytæ, Tartari, Turcæ, Dani, Moscouitæ, Galli, Poloni, Brittanni, Africani, nosque Germani, vnum summum Principem omnes, quamuis diuerso iure, amplectentes, agnoscentes, adamantes, & pluribus vnum secundum scriptorum prudentiam, & rerum experientiam, ipsamque ratio- 13 nem maxime merito præferentes. Nam vt Homerus scribit:

Egregius virtutis pater
Multos imperitare malum est: Rex vnicus esto,
Vnicus & Princeps.

Et Rex, Deus quispiam Romanus, clamat Plato, & ex Ioue natos Reges effert Callimachus: à Ioue eosdem educatos denuo Homer. inculcat.

Addit quoque Liuius *libro 26.* Regnum res inter Deos hominesque pulcherrima; alijsque commendant hoc plures alij verbis grauissimi scriptores: Herodotus *libro 3.* Aristoteles *12. metaph.* Xenophon. *in Cyri pæd.* Plutarchus, Philo *in libro de creat. reg.* Apollonius apud Philostratum, Tyaneus, Hieronymus, Cyprianus, Maximus Tyrius in Orat. quos referunt & sequuntur Bodin. *lib. 6. de Repub. 4. n. 715.* & Lyps. *2. Polit. 2.* quibus addo Lucanum.

Nulla fides regni socij, omnisque potestas
Impatiens consortis.

Et ex nostris Anton. de Rosellis *in tract. de potest. Imperat. ac Papa in confirmatione conclusionis, pacem & tranquillitatem Imperij conseruari non posse, nisi vniuersi sint ab vnius imperio.* Bart. *in tract. de regimine ciuitatis, n. 10.*

Ratione quoque vnum Imperij corpus, vnius anima regendum
14 videtur: ficuti ab vno Gubernatore vna nauis regitur. Plures † quid mihi adfers? nolunt male difponi, entia; perniciofa pluralitas Principum, vnus ergo Princeps, vt in metaph. Philofophus arguit.

15 Vbi † vnitas ibi pax, & qui vnitatem non quærit pacem refugit, *cap. Nouatianus, 7. quæst. 1. §. etiam, cap. hæc imago, 33. quæst. 5.* Quin &
16 fortior † ac præftantior eft virtus vnita, quam difperfa, & plus habet virium ac dignitatis, eftque liberior & expeditior iuncta potentia in vnum, quam in multos diffufa. De multis trahentibus nauim experimentum petamus; nifi enim momento vires iungant vniantq; omnes, difficilius aut nunquam trahunt, *arg. l. ita vulneratus, 51. in fi ff. ad leg. Aquil.*

Infuper eft & arduum femper, eodem loci potentiam & concor-
17 diam effe, vt Tacit. dixit *4. annal.* Nam † qui pares funt, plerunque eodem fefe iure vti arbitrantur, neque fibi inuicem vel latum (quod aiunt) digitum cedere volunt. Vnde æmulationes inter eos perpetuo oriuntur, ex æmulationibus exiftunt fimultates, nafcuntur ex fimultatibus odia aperta, ex his feditiones erumpunt, ex feditionibus
18 denique cædes exfurgunt. Et reuera † par in parem imperium non habet; paribus ergo multis male conuenientibus, diuifum in fefe regnum confiftere non poteft.

Sed quorfum argumēta multa in re manifefta & aperta? redamus ad fcopum, & tandem.

Contingat metam miffa fagitta fuam.

Nimirum itaque quam ex Principatu & cuiufque regni Principatus, Comitatusq́, fiue territorij vnius imperio & regimine vtilitatem fiue fubditi fiue magiftratus habent, eam omnem ftatuta illa fiue pacta Nobilitatis gentilitia proferunt.

19 Hæc enim † funt quibus terrarum diuifiones coercentur, in familijs bona & prædia gentilitia conferuantur, quæ fubditos non in plures & fub varios difpergi hæredes atque dominos, permittunt, interdum etiam ad vnum omne imperium, primogenitum fcilicet deuoluunt.

Adeoque hæc funt, quæ faluberrimos in Imperio principatus, quibus fere vniuerfus populus Romanus, imo vniuerfum proge genus humanum regitur, non fecus ac ipfa Romani Imperij fulcra tuentur, conferuant & ftabiliunt: publicam pacem & tranquillitatem

veluti

veluti trababali clauo figunt: ipsam denique Imperij Germano Romani aliorumque regnorum potentiam & maiestatem præclare iuuant, fulciunt atque confirmant.

CAPVT XXXIII.

Quarto etiam alia nō ineuidens vtilitas, quæ ex his differentijs sexus in successionibus emanat, notatur. Dum enim Illustres Nobilesque hominum ordines, familiarū amplitudinem atque potentiam conseruant, simul etiam suas imperio vires & quasi fulcra, quibus id firmissime munitur ac sustinetur, custodiunt, erigunt atq; confirmant. Quemadmodum enim masculi familiarū, sic familiæ Magnatum Imperij columnæ perhibentur.

Qua occasione etiam quædam de prohibita prędiorum gentilium distractione, & luxuriosa quorundam consumptione hoc c. depromuntur.

SVMMARIA.

1 *Nobiles in Republica ordines atque familiæ sunt veluti Reipublicæ fulcra, quæ per fœminarum exclusionem diuitiis conseruatis & ipsa conseruantur.*

2 *Gallia, Hispania & Anglia regna per familiarum conseruationem Bodino teste suffulta.*

3 *Masculi fœminarum columna Euripides.*

4 *Fœmina familiæ suæ caput & finis.*

5 *Vt bona in familiis conseruarentur, olim diuina lege prædiorum distractio erat prohibita.*

6 *Athenienſium legibus Teſtamentariis legare prædia permiſſum non erat.*

7 *Germanorum iure fere vſque ad Imp. Iuſtinianum prædia gentilitia tantum ad proximos agnatos deferebantur.*

8 *Similis apud Polonos lex.*

9 *In feudis quare prædiorum diſtractio prohibita.*

10 *Feudorum iure & feudalium prædiorum fructus alienari videtur prohibitum.*

11 *Apud Franco Gallos quia feuda vendere licuit ſecuta nobilium familiarium inopia.*

12 *Leges, ne feuda alienare liceat, etiam apud Gallos, Anglos & Hungaros lata.*

13 *Auitas hæreditates diſtrahere olim Locrenſes non permittebant.*

14 *Reprehenduntur nobiles illi, qui prædia bonaque ſua gentilitia & auitas hæreditates ad explendas libidines diſtrahunt, conſumunt & perdunt.*

15 *Magna eſt impietas & ingratitudo erga parentes bona ab illis nobis relicta in luxuriam conuertere.*

16 *Sputatilici gurgites ſunt Nobiles iſti, qui abdomini ſolum ſeruiunt.*

17 *Cohortantur frugi Nobiles ſua bona bene collocent.*

IN ſumma ſunt hæc Illuſtrium ac Nobiliorum ordinum in imperio, hæc ſtatuta, ſiue domeſtica iura & pacta de ſuccedendo vel nõ ſuccedendo, quibus fœminas à ſucceſſionibus excludunt, eo potiſſimum nomine Reipublicæ vtilia, quod his hominibus quaſi ſempi-
1 ternis ac firmiſſimis quibuſdam columnis Reſpublica niti videtur: quæ ſi exiles nimis atque tenues fuerint, tametſi plures, ingens tamẽ Reipublicæ ædificium ſuſtinere vix poſſent. Niſi enim opulentia atque diuitijs hæ rurſum ſuffultæ ſint, perdifficilis eſt & lubrica dignitatis & hinc ſubditorum correctio atque defenſio: nam mox ruinam minatur dignitas, vbi hanc paupertatis vilitate patitur auctoritas. Hoſtium vero vim atque impetum nuda conſpicuus egeſtate, ſuoſq; contemptus apud ſubditos Princeps ſiue Magiſtratus, quomodo propulſare, imo ipſos ſubditos ſi quando ſeditioſi rebelleſque fuerint, quomodo debellare poterit?

Qua-

Quapropter Principum & Magnatum, aut si mauis dicier optimatum, præsertim in Imperio nostro, magnificentia, vigor, authoritas atque potestas opibus & potentia alitur & sustentatur, aduersus domesticorum & externorum tyrannidem & populi rebellionẽ fortissime munitur. Ita vero Principum & magnatum familijs in Imperio suis viribus confirmatis & consistentibus, neq; vel authoritate vel potentia sua diminutis, ipsum etiam Imperium his veluti fulcris præclare fundatum a ruina facilius sustinebitur, magis confirmabitur & erigetur, atq; his veluti surculis in radicem concretis vigere ac florere diu atq; indies magis excrescere poterit.

Et † ita quidem Gallorum & Hispanorum æque ac Angelorum 2
Imperia nobilissimarum familiarum & collegiorum opibus quasi fundamentis stare, quibus sublatis facile tum tanta imperia ruitura videantur, Bodinus scribit, *5.de repub.2.n.324.*

Iterum ergo magnum Reipublicæ incrementum adferunt hæc 3
familiarum in successionibus iura & pacta domestica, vtpote quibus † gentiles diuitiæ masculis familiarum columnis (vt eas Euripides vocat) † reseruantur, & adimuntur fœminis, quarum quæq; familiæ 4
suæ caput & finis habetur, vt sup. dictum est, *d.l.pronunciatio 195.§.1.ff.de verb.signif.* Geyl.*d.obs.127.n.9.lib.2.*

Atq; hanc ob causam diuina lege olim obtinuit, vt videlicet non 5
tantum prædiorum perpetua distractio esset prohibita, sed etiam ab omni hæreditario parentum ac proximorum iure, quandiu extarẽt mares, fœminæ submouerentur, (vt habetur, *Num.27.& Leuit.25.* id etiam hodie in nostra repub. vsu fieri vtilissimum videmus.

Quod † autem ne viuentibus quidem nulla ratione Moyses per- 6
misit, vt videlicet prædia distrahere possent, id saltem ne testamento liceret, ac videlicet legare prædia † permissum esset, vna olim, ex- 7
ceptis Atheniensibus, lex erat. Ac tametsi Germania post Romanorum leges testamentarias magna ex parte probauit: nihilominus tamen & ipsi prædia gentilitia ad alios quam iure legitimo ad proximos deferri fere ad Imperatorem Iustinianum, vsq; non patiebantur, *d.§.caterum, Instit.de legit.agnat.success. & similib.sup.in proœm. allegatis.*

Hodie quoque idem multis gentibus atque regnis familiare ius 8
est. Et a Polonis quidem anno 1375. lex lata, ne quicquam omnino prædiorum quocunq; iure quæsitorum legare fas sit.

9 De prædijs † autem fiduciarijs siue feudis, omnis omnino dispositio nedum alienatio vasalli, qua domini concedentis, adeoq; status publici deterior redditur, reddiue potest conditio, consuetudinario
10 feudorum iure prohibita est, tenore vtriusq; constitutionis Impp. Friderici & Lotharij de prohibita feudi alienatione, in vsibus feudorum: de quibus admonet præcipue Dn. Vulteus *in tract. de feudis lib. 1. c. 11. n. 44.* Quam quidem in his consuetudinem optime introductam dicit textus, *in c. 1. in prin. qual. olim feud. al. pot.* tum quod Vasalli bonis suis exuti vel diminuti, seruitia debita domino tanquam rebus necessarijs minus expediti, præstare & explicare non satis cõmode valeant, per quod etiam honos Imperij & Imperatoris diminuatur, qua ratione ne fructus quidem feudi, & commoditates alienare Vasallo licere debere, Imperatores est probabile voluisse, in hoc enim datur feudum, vt Vasallus eo vtatur, fruatur, non alius, in hoc autem ipse vsusfructus Vasallo non alij datus, vt ipse non alius necessitatis tempore ex maioribus feudi prouentibus & commoditatibus etiam alijs sit expeditior, vt iterum præclare Dominus Vulteius admonet, *in d. c. 10. num. 58.* & apparet ex princ. *cap. 1. de prohib. feud. al. per Loth.* tum ne inuitus dominus alium, quam quem ipse forte vellet Vasallum suscipere cogeretur, *c. in fi. de fratribus, de non.*
11 *benef. inuest.* cum non minus domino Vasallorum, quam Vasallo dominorum, vt paulo ante probauimus, perniciosa sit mutatio; vt etiam notant Socin. iun. *consi. 87. num. 80. vol. 1.* Leon inter cons. Bruni. *cons. 114. n. 56.* & ibid. Campeg.. *cons. 2. n. 38.* Bursat. *cons. 127. num. 12. vol. 1.* Menoch. *cons. 226. n. 159. vol. 3.* & refert & sequitur D. Vulteius, *d. c. 10. n. 44.* Iisdem † vero moribus Francogalli vtebantur olim, nec dubitant ipsi (Bodino teste) quin Francorum nobilitas multo clarior fuerit atque illustrior, si suis legibus atque moribus feudorum acquieuissent, vt Germanos, Polonos & Hispanos fecisse vident. Nam cum feuda apud eos nobilitati vendere eaque plebeis emere, Principum venia, dicam, an inscitia, licuisset, secuta est patritiarum gentium inopia. Cui morbo vt occurreret Petrus Britanniæ Dux, omnino plebeios feuda nobilium emere subiecta proscriptio-
12 nis pœna prohibuit. At † tametsi Ludouicus XII. Rex, legem abrogasset eadem a Francisco maiore renouata est similisq; dudum iam etiam apud Anglos lex, anno 1298. & Hungaros anno 1221. lata est.
13 Auitas autem hæreditates vendere aut alio modo distrahere, olim etiam Locrensium lege prohibitum *2. Polit. 5.* Aristot. testatur.

O vtinam, † vtinam nec hodie inter nos liceret, plures erigerentur, & reuiuiscerent illustres & antiquæ familiæ, quam hac licentia euertuntur: non tot heluones & minus frugi nobiles reperirentur, qui de die in diem suffocati, auita sua patrimonia quasi euomunt. Quid multis? Populus & villæ in pastiones non venirent, suorum maiorum pagos quisq; sibi suisq; vel inuitus retineret, nō in paucorum manus cum mediocritate dispositæ transirent possessiones, & in vna domo coaceruarentur maximæ. Hoc modo, hoc, inquam, malo, antiquæ familiæ in vmbram echo & reflexum quasi vocis cō- 14
mutantur. O ingrati & detestandi Bacchatores, impie quod natura, 15
quod maiores & parentes vestri amoris symbolum vobis reliquerunt spernitis & abijcitis, eoq; antiquitatis Nobilitatis vestræ fundamentum, maioribus, vobis ipsis & posteritati proterue admodum tollitis. Erubescite, erubescite, nec omne quod natura dedit turpi luxu consumite, hoc perdentes auitamq; leuipendentes gloriam, nō virtutis tantum auitæ sed etiam naturæ spurios vos suspectos reddite: Sputatilici gurgites non nati nobiles estis, si solum abdomini 16
vos vestro natos nec etiam laudi atq; gloriæ creditis. Indigni vita, indigni honoribus & nomine nobili, indigni bonis paternis omnibus acceptisq; beneficijs, indigni deniq; ciuitatis iure & tutela magistratus, indigni ipso quoque magistratu; si eadem non digna rependere gratia cogitatis, sed ingratitudine maiorum gloriosa obliterare nomina, præclaram abolere memoriam, passim Tusculana, Pompeiana aliaq; vetustissimarum gentium vexilla & insignia abripere atque deijcere, omniaq; vetustatis monumenta delere, adeoq; ordines in Republica peruertere, imperij fundamenta destruere, ruinam construere. Si hoc solum est animi vestri propositum atq; studium, tanquam ignauum, contagiosum, pestiferum Reipublicę pecus non decus, non præmijs sed pœnis digni, damnandiq; ad remos potius quā ad honores euehendi estis. Audite ergo quicunque præclara stirpe prognati estis, in diuini Platonis Menexeno siue oratione funebri, Socratem, grauiter in hæc vos verba ad imitandas maiorum vestrorum virtutes admonentem; existimate quæso ipsos quasi audiretis parentes in hunc modum vos enixe & paterne cohortantes & rogātes ac videlicet cum ipso Socrate dicētes. [Quod ex pręclaris parentibus orti estis, o filij, egregia nostra præclaraq; gesta, & pro patria libentissime suscepta atq; subita grauamina atq; pericula testantur.

Nobis

Nobis etsi liceret viuere turpiter, honeste tamen emori multo, quam vos cæterosque posteros nostros infamiæ cuiquam subijcere ac parentibus maioribusque nostris dedecori esse maluimus. Ita vobis persuadentes, non esse viuendum homini suos vel maiores vel posteros dedecoranti, cui quippe nec viuo nec mortuo, vel hominũ vel Deorum amicum aliquem esse fas sit. Oportet igitur vos verborum nostrorum memores, si quid agitis aliud, id cum virtute agere, existimantes, absque virtute omnes exercitationes possessionesque malas esse atque turpes. Diuitiæ namque splendorem afferunt nullum, nec sibi, sed alijs diuitias parat & possidet, eas qui cum ignauia possidet.

Quocirca & primo & postremo ac semper & vbique omni studio diligentiaque contendite, vt & nos & maiores nostros virtutis gloria superetis. Alioquin scitote si vobis virtute præstemus, victoriam hanc vobis dedecus allaturam, sin superemur, felicitatem. Ita vero maxime nos quidem superabimur, superabitis autem vos ita, si vitam institueritis, vt maiorum gloria non abutamini, neque eam quasi dilapidetis, sed ita iudicetis; Viro aliquid se esse existimanti, nihil turpius accidere posse, quam honorandum se, non ob virtutẽ propriam, sed ob gloriam superiorum præbere. Gloria enim parentum natis præclarus est magnificusque thesaurus. Vti enim pecuniarum honorumque thesauro, & hunc ad posteros non transmittere propriæ possessionis gloriæque penuria, turpe & animo generoso maxime indignum est. Si igitur hæc exercueritis, vitæ demum fatis exactis, chari ad nos filii charos patres proficiscemini; sin autem ne-
17 glexeritis hæc & improbi euaseritis, nemo vos libens excipiet.] Solonis ergo legem legite, perpendite & qualem tum inueneritis eam, talem iudicate, suo exemplo & obsequio probabitis, non auita bona turpiter disperdetis, ad vsum honestæ vitæ, illustrationem generis, stabilimentũ domus, subsidium Imperij vsq; ad extremam fortunã cõseruabitis, vosq; pocul. & tesseris abstinebitis vltimo proceres Im-Imperij ac Principum condignos, atque Vasallos vere nobiles, graues & iustos in regimine populi, in consilijs prudentes, in armis fortes, atque strenuos exhibebitis. Sic tandem quod ego verbis ago, re ipsa vos probabitis, & generosam nobilitatem esse firmissimum Imperij fundamentum, addito experimento confirmabitis: simulque mecum applaudet vobis vniuersus populus, conseruandas esse apud mascu-

masculos hæreditates atque diuitiæ, vt nobiles illustrentur, & propagentur familiæ, quibus Romanum præclare fulciatur atque fundetur imperium.

CAPVT XXXIV.

Quinto fœminarum in successionibus eliminationes etiã magna, quæ alias in rempub. irreperent, latiusque semper serperent mala abarcere demonstratur. Ac primo quidem nimiam mulierum potẽtiam, qua æqualiter cum viris succedentes, breui illis ditiores atque superiores euaderent, comprimunt. Secundo amplis mulieribus auctis hereditatibus, atque hinc locupletiores præcipue omnibus vxores ambientib. ne paucissimi maximis opibus affluant; & tertio, ne in contrahendis nuptijs turpis quidam quasi quæstus exerceretur præcauent.

Quarto ne diuitiarum causa proci plus ęquo mulieribus conniueant, & hinc illæ adsuetum virorum imperium excutere iterum, effrenes pro libidinibus viuere pertentent, atque etiam contra decus & dignitatem tandem imperare viris sibi pręsumant, prouident.

Quinto, amplis liberos, defunctis patribus dotalitijs restituendis non onerant.

Sexto diuitiarum hydropicis suam pecuniæ sitim in repub. valde pestiferam, quodammodo restinguunt.

Incidenter vero etiam amplæ dotis incommodis, diues vel mediocris ne diuitẽ; pauper vero diuitem magis, quam pauperem, leuioribus tum amplę dotis, quam paupertatis incommodis existentibus, sibi eligat vxorem persuadetur.

Vita autem pudica dos optatissima probatur.

Tum de mulierum tractatione quædam subnectuntur. Denique ad continendas domi forisque decenti sub imperio mulieres, inprimis pręcludendas illis esse amplas possessiones, dotesq; certas & modicas definiendas, gentium morib. & quotidiana nobilitatis consuetudine probatur.

SVMMARIA.

1 *Fœminis cum viris æque succedentibus, earum potentia breui supra virilem excresceret, quia non maior est in Republica pestis.*
2 *Vbiq; fœminæ mares numero superant.*
3 *Venetijs habito censo numerus fœminarum duobus amplius millibus superauit.*
4 *Duæ causæ quibus fœminæ semper plures sunt.*
5 *Pluribus fœminis non plures hæreditates æqualiter succedentes acciderent.*
6 *Puellæ orbæ quæ dicantur.*
7 *Amplæ fœminarum successiones quid incommodi habeant.*

8 Omnes

8 *Omnes fere in nuptijs contrahendis diuitias affectant.*

9 *Hinc secundum ex æquali fœminarum & masculorum successione malum est, quod paucissimi maximis opibus affluerent, dum semper diues diuiti nubit.*

10 *Tertio cum nec mulieres potentes non nisi æque potentes in suos amores admitterent, diuitiis magis quam honestati tum proci studerent.*

11 *Quarto diuitibus vxoribus omnia conniuere cogerētur mariti, vbi tum in maritos imperium arrogare sibi demum tentarent mulieres.*

12 *Exemplum mulierum Lacedæmoniarum.*

13 *Fœmina non caret bile.*

14 *Ampla dote viri imperium etiam domesticum venditur, nedum de publico est periculum.*

15 *Mulieres plerunq; continuarum rixarum tædio viros sibi subiugare conantur.*

16 *Dotis ampla incommoda.*

17 *Felix matrimonium pacificum.*

18 *Societas coniugum Aristocratica esse, hoc est, præstantior infirmiori imperare debet.*

19 *Viris imperare decorum, dignum est & vtile.*

20 *Vt bene regatur ciuitas, inprimis bene regantur in ea domus oportet.*

21 *Vt felix sit ciuitas, tam in mulieribus quam viris necessaria est morum probitas, quam deserunt mulieres diuites.*

22 *Mulier Catoni indomitum animal.*

23 *Vt imperium maritale facile obtineas, pauperem ducas vxorem Plato suadet, & quare.*

24 *Præcipua virtutis dos est.*

25 *Pauperem nubere pauperi non expedit, neque suadet author, & quare.*

26 *Prouerbium: Cœlebs qui non litigat.*

27 *Paupertate vxoris non semper prospicitur coniugali concordiæ, & quare?*

29 *Vita pudica dos pulcherrima.*

20 *Vir & vxor non litigant, nisi natura.* Alciat.

31 *Pauper si possit, mulierem non tangat, si nequeat, diuitem ma-*

gis ducat, cui satius est indulgere, quam cum paupere in inopia viuere.

32 *An & quando castigare viris mulieres liceat?*

33 *Meliores patienter ferendo, quam castigando mulieres redduntur.*

34 *Maritelli & gallinacei, qui mulieres sibi imperare patiuntur.*

35 *Quatenus conniueendum sit rixosis & petulantibus mulieribus.*

36 *In castigatione mulieris verba præcedant verbera.*

37 *Fustibus quando mulieres tractare liceat.*

38 *Non sublatis prius amplis mulierum dotibus & successionibus nũquam eorum arrogantia comprimi poterit.*

39 *Lex Voconia & eius causa & tenor.*

40 *Massiliensium dotes centum aureorum maxima.*

41 *Quinto ampla dotes propter amplum quod mutuo debetur dotalitium, pauperes reddunt liberos.*

42 *Laudabilis consuetudo inter nobiles, quæ filiabus modicas tantum dotes assignant.*

34 *Sexto diuitibus multis in Republica mulieribus existentibus pauperes negligerentur, unde diuitiis omnes inhiarent, & connubia quodam quasi quæstu venirent, deniq; immensa diuitiarum cupiditate auaritia irreperet.*

44 *Noua pecuniarum sitis quæ mala secum ferat.*

45 *Non cuique debet pro sua libidine ditescere licere.*

46 *Denuo moderatæ dotis commoditates repetuntur. & eas Reipublicæ vtilissimas esse concluditur.*

QVinto ex æquali fœminarum & masculorum successione etiam graue Reipublicæ malum immineret. Nam si fœminæ æquo iure cum masculis semper succederent, sub hoc æqualitatis & Iustinianeæ æquitatis prætextu, sen-
1 sim mulierum potentia (pestis † perniciosissima & qua nulla fere potest esse grauior) excresceret, & efficerentur mulieres maribus superiores citius, quam animaduerteremus eas æquales: quas tum reprimere ac decenti atque virili rursum subiugare imperio, res laboriosissima magis quam possibilis esset.

Hæc enim impotens natura postquam semel in libertatem erupit, seq; effrenem senuit, forte etiã vires aliquas circumspicit, protinus superbo sexus inflatus spiritu, tumet naturæ fastu & ambitione conci-

concitatur, vt iam parendi facultates amittat, paucis subnixa viribus ad altiora adspiret, & ad dominandum magis quam obsequendum cogitationes suas extollat. Quod autẽ superiores futuræ sint mulieres, si æquo iure partes hæreditarias cum masculis sortirentur, fallere non potest.

Constat † enim fœminas vbique mares numero seu multitudine 2
vincere, potissimum in regionibus medijs & Australibus. Idque planum facile cuique esse potest antiquitatum memoriam ab vltimo principio cum Bodino *lib.5. de Repub.ca.*8. repetenti. Nam hoc primum Athenis experientia comprobauit, vbi fœminarum numerus vrbi Deę nomen imposuit, vt Pausanias in Atticis scribit: nec ita pridem, eodem Bodino teste, Venetijs, cum census ageretur, tametsi in
eam † vrbem peregrini vndique confluant, nihilominus tamen nu- 3
merus fœminarum duobus amplius millibus mares superauit: siue id fiat propterea, quod fœminæ à bellis, à peregrinationibus, ab o-
mnibus † periculis, quæ viros obire necesse est, seducũtur; siue quod 4
in naturæ vniuersitate rerum deteriorum maior est affluentia, quam preciosarum, & mala herba, vt fœmina, citius crescit, vt alicubi scribit Accursius.

Cum ergo plures vbique sint fœminarum æquali successionis inter eas & masculos iure constituto, etiam maximam bonorum opũue copiam ad eas & minimam ad mares deuolui eueniret: quemadmodum in Lacedæmone factum Aristot. *2. Polit.7.* testatur: vbi quã-
doque † mulierum ex quinque partibus agri duæ fuere; quia ad mul- 5
tas orbas puellas paterna bona hæreditario iure peruenerunt. Puel-
las orbas dicit Philosophus, eas † quę licet sint plures, sunt tamen si- 6
ne fratribus, & ex eo omne patrimonium acquisiuerunt, vt patet *5. Polit.4.eod.* Erat autem illa ampla orbarum puellarum successio cõtra Reipub. rationem, quæ ita erat instituta, vt exiguam potius mu-
liebris sexus habere debuisset. Sic eadem apud nos est † detrimento- 7
sa, quia familiarum iura violat, gentilia prædia distrahit, sexum muliebrem potentia & opibus supra virilem extollit, inde arrogantem & imperij potentioris naturæ impatientem reddit, Cuius rei supra exempla quędam sunt à nobis proposita. Eo vero magis hoc exaggeratur malum, quo frequentius viri locupletes non tenuibus sed lo-
cupletiores semper coniungi vxoribus cupiunt. Nam vt inquit 8
Poeta.

Obsequio generatur amor, sed maxima lucrum
Pars hominum sequitur, nummos & munera cuncti
Adfectant, donis multi acquiruntur amici.

Et ille alter:

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias vtilitate probat.

9 Ex quo † demum fit, vt paucissimi maximis opibus affluant, quod alterum Reipublicæ malum est, ex æquali marium & fœminarum successione dependens, quod ipsum ex se quoque tertium; ac videlicet, vt auidius tum diuitias quam honestatem viri sectentur illos impellit; non quidem in eum finem, vt melius, sed vt liberius viuatur, & quisque libidine apud fœminas potiatur sua. Cum † enim potentes euadunt mulieres intemperantius & tam luxuriose viuunt, vt nullo non turpitudinis genere vitam suam contaminent; Veneri fenestram aperiunt, in sui amores non nisi potentes diuitesque & qui muneribus pollent, admittunt: adeo etiam in nuptijs, tam licitis, quam illicitis, quasi quæstum quendam excogitant atque exercent: cum tamen nihil indignius sit, quam consensum & amorem coniugalem precio sicut adulteria conciliari & venalem haberi, *arg. l. 1. ff. de donat. inter virum & vxor. & ibi* DD. Paul. *sent. 2. tit. 23.* Vlpian. *in fragm. tit. 7.*

11 Vnde † demum quarto eo vsque hoc malum serpit, vt etiam viri omnia conniuere mulieribus, inde vero mulieres commoda arre-
12 pta occasione, etiam imperitare viris pertentant. Cuius † rei documentum idem Philosophus d. loco proposuit.

Cum enim, vt etiam Trogus Pompeius refert; Lacedæmonij decem annos cõtinuos in obdione Messenæ (ob suas virgines in Messeniorum conuiuio stupratas) à suis laribus & focis abessent; illorum fœminæ interea nullius imperio subiectæ ac domatæ, tam turpiter & libidinose vixere, vt Lycurgus eas obsidione finita sub leges redigere volens, de illarum candore, pudore & honestate plane desperarit. Sed quid hic Lacedæmonem ciuilis noster Sphæricus accusat?

O vtinam aliæ vrbes ac ciuitates hoc dulci mulierum veneno nõ caperentur. Diana in syluis viuit, Minerua secessum quærit: ac Laides in altis turribus Corinthi locatę splendent. Demosthenes Athenas deseruit, vt istam Laidem, Antonius Romam vt Cleopatram cerneret; ille tanti emere pœnitentiam noluit, hic misero amore desperauit.

rauit. Quid porro dicam? Mollicies huius ſexus eſt refrenanda, nam
aliter canities ciuitatis ſequitur; at dicas tam mollis columba ceruicem iugo non ſubmittet, gratioſus eris, qui † fœminam bile carere 13
doces, ſed fabula hæc eſt. Quapropter inſtemus indomitam fœminarum arrogantiam & libidinem coercere: vrgeamus eas inopia, & priuemus tam amplis hæreditatibus; dotem Philoſopho ſuadente exiguam ſaltem, aut certe mediocrem ipſis definiamus, ne nos aliquãdo cum ignominia ſupprimant, ſuaque velut mancipia Lacedæmonum mulierum more efficiant.

Neque vero magiſtratus tantum mulieres in Republica viris opibus potentiores adfectare, ſed etiam & multo magis domeſticum in maritos & familiam imperium ſibi vendicare tentarẽt. Nam cum immoderatas dotes vxores ferunt, vel alias multis pecunijs affluunt, ex eo fit, inquit Ariſtot. dicto loco, vt etiam domo maritis imperent, à quibus etiam blandiſſime dominæ appellantur; imo dote deliniti
etiam vltro ipſis ancillantur. Adeoque nimis pecunioſæ mulieres 14
non ſolum publicum ſed etiam priuatum atque domeſticum imperium ſibi vendicant; neque tantum in familiam, ſed in maritos quoque contra decus & dignitatem idipſum litigioſe ſibi ſumunt, &
cum non poſſunt † aliter ſaltem continuarum rixarum tædio eos 15
ſubiugare conantur, vt ſupra ex Auſonio probauimus, & hoc breuiter ſed lepide Plautus exprimit *in Aſin.* inquiens: *Dote imperium venditur.*

Et in Aulularia:

Nam quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri,
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Et Iuuenalis. 16

veniunt à dote ſagittæ.

Item Auſonius:

Sæpe in coniugibus fit noxia ſi nimia eſt dos.

Et Ouidius.

Intolerabilius nihil eſt quam fœmina diues.

Hinc Aureolus Philoſophus dixit: Qui ducit vxorem diuitem, ponit in domo ſuo tempeſtatem.

Et Themiſtius, Malo vxorem quæ pecunia egeat, quam pecuniam egentem vxore.

Et grauiter Seneca diuitem diſſuadet vxorem cum inquit:

Inſa-

Insolens malum est beata? (diues) vxor:
Cum vniuersum auri pondus orba attulerit.

Quibus denique pulchre alludit Martialis:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Tantas porro contentiones amplissimæ dotes sæpe inter coniuges excitant, vt propter eas etiam pietatis religionem violare, & maritalem plane deserere concordiam malint, quam inuicem sibi cedere, *arg. l. cum te*, 18. *C. de inoff. testam. l. reprehendenda*, 5. *C. de institut. &*
17 *substit.* quod & impium atque durum: ita viciſſim † pium dulce atq; fœlix est matrimonium cum pace & concordia indiſſolubile: Iuxta illud Horatij 1. *Carm. Od.* 13.

Fœlices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus quærimoniis
Suprema citius soluit amor die.

Et Propertij *lib. 2. Eleg.*

Exemplo iuncta tibi fiat in amore columba:
Masculus & totum fœmina coniugium.

Cæterum debet, vt *lib. 8. de morib.* Philosophus ad Nicomachum
18 scribit, † societas viri & mulieris Aristocratica esse, & vir mulieri tāquam præstantior infirmiori imperare. Nam vt idem Philosophus 1. *Polit. 2.* differit. Ita natura est comparatum, vt præcipiat sitque Dominus naturalis, qui intelligentia præualet, estque consilijs & prudentibus iussis validus atque potēs: qui vero corporis membris hæc facere possit, subiectus sit, faciatque imperata merito. Mulieres autem intelligendi & consulendi vim habēt imperfectam, at qui tenet imperium, eum perfecta virtute morali esse prędítum conuenit. Nō ergo mulier imperare potest, sed vt Homerus ait:

Iure suos quisque vxores natosque gubernat.

19 Porro viros imperare, & parere fœminas, non tantum decorum atque dignum est maribus, itemque imbelli pulchrum naturæ videlicet fœminis: sed etiam publicam hoc vtilitatem concernit. Cum enim domus quæque sit pars ciuitatis, & in omni ciuitate primum sit
20 requisitum maris & fœminæ cōiunctio procreandorum hominum causa, vt Hesiod. dixit: *Sit*

Sit domus in primis, uxor, & taurus arator:

partis autem & membri cuiusque virtus ad virtutem totius siue sui capitis sese conformare debeat: est certe etiam domus, familiæ, & præcipue vxoris disciplina & institutio ad communem in republica viuendi normam redigenda; quæ secundum naturam optima est, vt præsint mares, fœminę autem obediant. Nihil sane est non modo ad familiarum, sed etiam ad Rerumpubl. salutem ac dignitatem maius ac melius, quam honesta vxorum erga maritos obsequia tueri. Vnde licet magna semper in magna rerumpubl varietate, legum vicissitudo fuerit; summa tamen omnium consensione, vxor maritum reuereri, (*l. 1. §. quod autem, C. de rei vx. act. l. alia, §. vbi, ff. solut. matr.*) eiq; obsequi debet: adeo vt ne quidem maritum sine venia magistratus in ius vocare licuerit, *l. generaliter, ff. de in ius voc.* Dec. *in l. vlt. in fine, C. eodem.*

Ergo si bene velis regi ciuitatem, regatur bene cum primis vnaquæque domus: si imperium iustum & obsequium decens in ciuitate desideras, in primis viris mulieres domi obsequentes reddantur: 21
Si probos omnes ciues expetis, mulieres simul cum viris bonis moribus imbuantur: quippe mulieres dimidia interdum etiam maior liberorum capitum pars est in ciuitate, vt 1. *Polit. 8.* pulchre Philos. tradit.

Quam rem concinne admodum Megadorus Euclioni in Aulularia Plauti explicat.

Nam meo quidem (inquit) *animo si idem faciant cæteri*
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum:
Et multo fiat ciuitas concordior:
Et inuidia nos minore vtamur, quam vtimur.
Et illæ malam rem metuant, quam metuunt magis:
Et nos minore sumptu simus, quam sumus.

Et paulo post.

Hæc sunt atque alia multa in magnis dotibus
Incommoditates, sumptusque intolerabiles.

Danda sunt igitur frena impotenti † naturæ & vt Censotius Ca- 22
to dicere solebat, indomito animali: nam vt semel pares esse cœperint, exemplo superiores erunt. At quæ nam illa? dicam ingenue. Est
primo diuinus Plato qui dicit ad obtinendum iustum, † decens atq; 23

dignum in matrimonium maritale imperium cæteris paribus pauperiorem semper vxorem esse ducendam, idque & ipsis coniugibus atque coniugijs, & familijs atque ciuitatibus conducere. Quod enim (inquit) moderatum est mediocre, immoderato & excedente nimirum in modum ad virtutem præstat. Addit rationem: Etenim singuli semper ad sibi simillimum natura feruntur. Vnde disparibus inuicem sibi nubentibus, ciuitas tota & diuitijs & moribus inæqualis quam maxime redditur. Ex quibus etiam Petrus Godofred. *libro secundo, de amoribus* putat, ea quæ minime nobis euenire velimus, maxime ciuitatibus plurimis accidere, vt idem Megadorus Plautinus modo conquestus est. Quare & idem Megadorus sponsam suadenti diuitem lepide in hæc verba Eunomiæ sorori respondit:

Ego virtute Deum & maiorum nostrorum diues sum satis,
Istas magnas actiones, animos, dotes, dapsiles,
Clamores, Imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror: qua in seruitutem sumptibus redigunt viros.

24 Et egregiam virtutis potioremq; diuitiarum dotem in Amphitr. Alcmena vxor suo marito Amphitrioni exprobat dicens:

Non ego illam mihi dotem duco esse qua dos dicitur:
Sed pudicitiam & pudorem & sedatam cupidinem.
Deum metum, parentum amorem & cognatorum concordiam.
Tibi morigera, atque vt munifica sim bonis, prosim improbis.

Et subdit Sosia:

Ne ista adepol ex amussim est optuma.

Et concinit Flaccus:

Dos est magna parentum
Virtus: & metuens alterius viri
Certo fœdere, castitas & peccare,
Aut pretium mori.

Et alibi:

Probamque pauperiem sine dote quæro:
Scilicet vt vel sic sit sine lite dies.

Et rursum Megadorus Plautinus ad Euclionem, cum nihil habere se quod filiæ dotis daret conqueritur, dicit: ne dicas.

Dum-

Dummodo morata recte veniat, dotata eſt ſatis.

Atqui † pauper pauperem ducere non vis; ac ne ducas ipſe equi- 25
dem ſuadeo, niſi miſerrimus eſſe velis.

Sed forte etiam te parum neq; plus pauperem duxiſſe iuuabit, vt
imperes facilius, quam diuitem; nam prouerbio † dicitur: Cœlibem 26
eſſe eum qui non litigat, quod quidem ſemper eſſe litem, & inter cō
iuges iurgia non obſcure innuit.

Et certe M. Cato Cenſorius vxorem habuit Hectoriam Paulam
humili † loco natam, pauperem & impotentem, & tamen violen- 27
tam atque ipſi Catoni ſuperbam. Ne quis ergo putet, ſi pauperē du-
cat, eo ſe ſatis concordiæ couiugali proſpicere. Ducis pauperem im-
becilliorem naturam communis coniugij domus in ſuperbiam eri-
git, ducis æqualem, æqualitatis iure munita ne digitulo quidem tibi
cedet æqualis: ducis te ditiorem in eiuſque domo permanes, ſola illa
domina, tu ſeruus eris, quam ſi etiam offenderis, migrare hoſpes co-
geris, vt dicit Hieronymus.

Siue etiam adagij vice obieceris, non debere canere gallinam, vbi
ſit gallus: illa continuo replicabit, imo in ſua cohorte & iugo pro-
prio debet, vt Petrus Godofr *d. libro 2.* ſcribit. Vnde fere commune
malum † eſt, mala vxor: friuolæ, rixoſæ, faſtidioſæ pleræque omnes, 28
nam vt dicit Poeta:

Naturam expellas furca tamen vſque recurret.

Si quis igitur diues aut mediocris fortunæ cum Biante Auſonij
quæſierit,

Quæ dos matronis pulcherrima? ei cum Petro Gotofred. reſpon- 29
derim: [Vita pudica.]

Hæc ſane ſi adſit, abſit, quæ huius Comites humilitatem & mo-
deſtiam frangat, miraculum non erit, quod clamat relatum in Parer-
gis ab Alciato Epitaphium, virum & vxorem non litigare: niſi quod
natura; nam † quoniam ſumus filij iræ, ipſa communio parit diſcor- 30
diam etiam inter perfectos & ſanctos, vt vel beatorum Pauli & Bar-
nabæ monſtrat diſſenſio apud Lucam ſcripta: & ſuſpicio quam de
intemerata Deipara coniuge habuit Ioſeph iuſtus, donec illi ab An-
gelo eſt denunciatum arcanum.

At quodnam inquis pauperi mōſtras medium, qui ſic ſemper ha-
bet hoc impedimentum, nec vllum maius, quod neque pauperem
nec diuitē, etiamſi contingat, vxorē ducere commode videtur poſſe.

Tt 2 Siqui-

Siquidem à paupere grauabitur,diuiti,vt dixti,seruire cogetur,&tamen diuitem ductam quam pauperem pauperi mauis?

31 Certe † quidem suaderem inopi, si suæ velit consulere saluti, se sustineret ab atroci mulierum ingenio : quia tamen hoc abstinere pauper non potest magis, quam vel diuitijs auctus posset,multa ille, si velit quantum sua virtute potest, pacifice viuere, concedat naturæ necessitati dico.

Nam plura certe vt alias multum cogit egestas, ab inope marito, vxori sunt conniuenda ditiori:multa condonanda, multa dissimulāda,pleraque plane parcenda,nonnulla etiam probanda; quæ omnia forte minori cum malo feceris,quam si pauperem duxisses. An igitur nunquam castiganda est vllo modo vxor diues pauperi? Vereor
32 sane † ne durus sis Demea,vxorem cum redargueris, durior cum cōtempseris,barbarus si percusseris.

Deus enim sociam æqualem natura fecit. Vnde lex humana ac diuina eam domus sociam appellat,*l aduersus, C.de crim. expilat.here.* Si infirma sit,imitare Socratem : si fidelis & casta, vt parem,non vt seruam amplectere,quippe nata ast parere non parêre: paret tamen merito vt libera suo viro,iugo vt barbara non submittitur. Æquam familiæ curam gerit, cur ancillam ? Pars tui est in sinu, cur seruam? Fœcunda spes gregis est,cur mancipium appellas? Labor præmium, amor fidem, vteri tumor honorem postulant. Iuppiter cum apud Homerum I. Iliad. Iunonem increpuisset, nec monitis ea obsequeretur,minas adjicit,non tamē vlterius ad verbera progreditur. Quin etiam Cato,quem tamen mulierum hostem fuisse plerique aiunt,vxorem percutere sine sacrilegio non posse putabat ; vt de eo Plutarchus scribit in Catone Censorio. Cui etiam consentit vates:

Offendit cœlum sanctumque offendit honorem,
Vxorem sæua qui ferit vsque manu.
Ah lapis est ferrumque,suam quicunque puellam
Verberat: è cœlis deijcit ille Deos.

33 Et plerunque† qui temere ad atrociorem vxorum castigationem prouolant,peiores eas reddūt,quas patienter ferendo meliores redderent.

Atqui sic, effœminate homo, an non sentis sexus natura inhians imperio, quod imperitare conabitur, hincque magnus exurget viro-

virorum numerus, quibus turpiter dominabuntur mulieres, vt dicit noster Cynus, *in l.2. C.de testam.* multæ etiam verberabunt forsitan maritos vt Hostiensis admonet, *in sum. de iureiur. § quomodo vers. sed & cum metus, &c.* Quod non tantum Reipublicæ, vt dictum est, nocumento veni-, sed inde etiam viles & abiecti, omnibusq; contemptibiles mariti fiunt, sui generis nobilitatem, cum sexus virilis dignitate amittunt, maculam cum sexui tum familiæ inurunt, vt docuit Alex. *cons. viso processu 156. vol.3. vers. secundo respondeo, lib.5.* Quos quidem viros deridet etiam Cyn. *in l. curatorem, Cod. de interd. matr.* dicens nim: quod cum viri Diui Pauli, *ad Ephes. 5.* sententia vxores diligere non timere debeant, sint tamen plerique adeo miseri & gallinacei, vt non audeant inuitis vxoribus sibi extrahere sarabulas. O miseri maritelli, quos vere miserrimos, in atrocis dominæ misera 34 seruitute & turpi miseria constitutos dicit Petr. de Bell. Petr. *in d.l. curatorem,* & ibidem Baldus, itemque Angelus, *in lege prima, Cod. de his, qui patr. vel libr. occid.* quos refert Tyraquellus, *in l.1. connub. gl. 1. num. 19.*

Quocirca † conniuendum quidem statuo atque moneo esse ali- 35 quid mulieribus: sed ne forte nimis vxorius alicui videar, volamque medio tutus, si nimiæ fuerint petulantiæ, insolentiæ, contumaciæ, proteruitatis, libertatis, lasciuiæ, in alijsque vitijs honestatis limina transgrediantur, non dico non esse eas, quibuscunque possunt modis coerceri, coercendas, ita tamen vt leuiora semper præmittamus, & primo quidem emendare tentemus verbis, quod verberibus ne corrigendum sit metuimus. Quæ † si non proficiunt demum etiam 36 modicam castigationem, quæ modo ab ingenuis hominibus aliena sit, nec flagellis aut fustibus, † nisi forte propter talem aliquam cau- 37 sam, quæ ad matrimonij solutionem sufficiat, fiat, DD. nostri permittunt, *per l. consensu, & auth. seq. C. de repud. Nouell. vt liceat matri, & auiæ, &c. 117. cap. 14. & arg. l. 17. §. 1. ff. de vsufr. l. 5. in fin. l. 6. ff. ad L. Aquil. leg. 13. §. 4. ff. Locati, l. 2. in fin. ff. de obseq. l. 1. Cod. de emendat. propinq. cap. duo ista, 23. quæst. 4. cap. sicut alterius, & ibi gloss. 7. quæst. 1. gloss. in cap. quemadmodum de iureiur, & in cap. placuit, 23. quæst. 2. gloss. in l. sed etsi, §. vlt. ff. ad L. Aquil. Bald. in l. si filius, Cod. de patr. potest, & in l. cum patron. C. de oper. libert.* Hippol. de Marsil. *in pract. crim. in §. aggredior, num. 81. & in §. vlterius, nu. 7. 8. 9.* Signor. Homod. *cons. Titius calce 63. n. 1. ex l. si adulterium, § Impera-*

res, ff. ad L. Iul. de adult. Alex· *conf. 115. num. 2. lib. 4.* Alciat. de præsumpt. *regul. 1. d. præsumpt. 3. in fi. Dec. in l. vt vim, num. 22. Digest. de iust. & iur. & in l. 2. num. 52. ff. de reg. iur.* Alexan. *in l. miles, §. qui iudicati, num. 3. & ibid. Iason n. 7. ff. de re iud.* Alb. de Gand. *rub. de pœn. reor. in fin.* Angelus Aretinus *in tractat. malef. verb. ad mœnia-nit, num. 2.* Tyraquellus *in l. 1. connub. num. 22. & l. 8. num. 13.* Menochius, *in tract. de arbit. iudic. quæst. lib. 2. cent. 4. casu 364. num. 8.* Prugmannus *in tractat. de differen. sex. p. 1. prin. memb. 3. art. 29.* vbi plures refert & ampliationes & limitationes suo more subiungit, adde Gotofr. *in Nou. 117. d. cap. 14. & Anton. de Rosel. in tract. de potest. Imp. & Papa.*

38 Verum † enimuero nisi commue primum & vniuersale adhibeamus remedium, & demamus per iura successionum mulierum potentiam, nunquam comprimemus earundem fastidiosam arrogãtiam, & certissimam sponsæ ditioris imminere sibi persuadeat atque confidat seruitutem, aut certe quietem nullam, nullam pacem in coniugio sibi futuram, nisi muliebre imperium patienter perferat, quisquam sibi expectet. Huic itaque malo, quo nullum fere gra-
39 uius esse potest, vt Censorius Cato obueniret, legem Voconiam, cuius supra meminimus, suasit, rogante populum Voconio Saxa tribuno plebis, qua quidem fœminas ab omni iure hæreditario, extantibus quocunque gradu eiusdem nominis propinquis summoueri placuit: item ne ex alterius testamento legatoue plus ad fœminas quam hæreditatis quadrans perueniret, neue plus quam qui ex hæredibus testatoris minimum ex asse consequeretur, vt in Comment. ad d. l. Voconiam Baldvvin. probat. vt supra in prælud. dictum est.

40 Idem † hoc amplissimis dotibus grauissimum ac præsentissimum adhærens Reipublicæ malum, vt e sua ciuitate Massilienses expellerent centum aureorum dotes maximas, & quinque aureorum vestes nubentium preciosissimas constituerunt, *vt libro 4.* Strabo scribit.

Similiter itaq; in omni Reipublicæ statu ne dotium magnitudine exhauriantur domus, & moderata dotium erogatione ad pudicitiam magis & virorum obsequium facilius coerceantur, nec illos turpiter sibi subiugare pertentent mulieres, certas de dotibus leges esse, & multo magis ab hæreditatibus arcere fœminas oportet.

Porro

Porro † quintum quod dotium constrictione publicum declinatur malum, & inducitur bonum, est videlicet, quod bona paterna liberis amplæ dotis occasione non tam facile auferri, & de familia transferri possunt. 41

Nam cum dotes amplæ constituuntur, propter mutuum semper, quod dos vicissim exigit, dotalitium, defunctis patribus tanto sæpe liberi prægrauantur onere, vt ad id exsoluendum vix bona paterna sufficiant, quandoque etiam quæ tenent feuda, salua ea vix conseruare queant, ex quo prouerbium natum est, diuites mulieres pauperes efficere liberos, idiomate nostro ***Reiche Weiber, arme Kinder.*** Qua de causa illa inter nobiles potissimum consuetudo primũ inualuit † multum sane commendanda ac studiose conseruanda, qua filiabus ex feudo exiguam dotem constituere solent, adeo quidem vt etiamsi quis fertilissimum feudum possideat, raro tamen vltra mille florenos, sæpe etiam minus in dotem filiæ erogent, vt testatur Hartman. Pist. *quæst. parte secunda, quæst. 37. numero decimo octauo, & seq.* 42

Rursum aliud quod est sextum ex eadem dotium & hæreditatum amplitudine malum, ac vicissim ex earundem tenuitate bonum emergit: ac videlicet multis inæqualibus in Republica puellis, & alijs quidem diuitibus, alijs autem in modicis tantum facultatibus existentibus, nimia ingẽtes tum cumulandi diuitias cupiditate omnes, nec fœminæ tantum, sed etiam masculi iuuenes atque viri impelluntur; puellæ quidem ac fœminæ vt facilius inueniant sibi qui nubant, quandoquidem plerosque omnes diuites in primis inquirere sponsas, nec facile pauperes quantumuis alias honestas vllos coniugij socias adoptare puellas procos, omnesque fere æqualium sibi nuptias appetere vident. Sic è contrario quoque viri atque iuuenes, quia vident ditiores puellas procos egenos fere sordidos atque contemptui habere, ipsi quoque diuitijs inhiant, aut saltem similem diuitis apparatum cum patrimonij iactura ostentant. 43

Vnde ab vtraque parte, non solum (vt est supra dictum) quodam quasi quæstu connubia veneunt: sed etiam nimia irrepit apud omnes diuitiarum cupiditas, quæ ipsa quoque valde est Reipublicæ noxia: nec minus est turpe in immensum diuitias corradendi studium, quam est quæsitorum immodica profusio sordida.

Nam cum femel hæc cupiditas apertam fibi feneftram inuenit, ardens ifta pecuniarum fitis, fexcenta fecum mala introducit.

44 Ipfam † primum malorum radicem fcilicet auaritiam animis hominum infigit: tum potentia recens ac noua faftum, hic honorum ambitionem gignit, ex ambitione porro feditio, ex feditione denique Reipublicæ lues nafcitur.

Præterea fic auctæ in infinitum poffeffiones, inuidiam domi, foris hoftem, rugofa in fronte fupercilia, in mente labem odiofam gignunt. Non ergo debet cuiuis prout vult ditefcere licere, fibique

45 gazas cum Reipublicæ damno quærere. Nam † modus & ordo conferuant ciuitatem, fed nullo termino fine, ac freno hominum cupiditatibus in diuitijs pofito, nullus erit modus, ordo nullus. Non aureis itaque diuitiarum imbribus epulifque hanc fitim & famem extinguere: fed falubris alicuius fucci & falis medicamine reftinguere conuenit.

Quis enim ordo in ciuitate erit, fi vnius aut alterius libido domos, villas, agros multorum conciuium deuoret & confumat? An foli diuites & epulones in ciuitate viuerent? Certe vt naturalis hominis complexio in æqualitate primarum qualitatum ad pondus, vt aiunt, non con confiftit, fed in ea proportione, quam requirit fanitas, ita conftitutio ciuitatis in æqualitate hominum aut diuitiarum non ponitur, fed in ea proportione, quam æquitas & iuftitia poftulant.

Nam ficut calor, qui bilofo conuenit, nocet melancholico, ita diuitiæ aut honores, qui vni debentur, alteri fine difpendio ciuitatis accommodari non poffunt. Referenda eft igitur & coercenda hominum circa pecunias cupiditas, quæ aliter exiftens immoderata atque effrenis ad diuitiarum flumen, vt ad fontem tenderet: hoc eft, ipfas diuitias, tanquam finem & fcopum, non vt medium & inftrumentum defideraret.

Quo minus ergo diuitijs, neque his magis quam honeftati in nuptijs contrahendis tam proci quam puellæ inhient: & hoc femper agentes, non folum pauciffimi in maximam potentiam (qua ipfa quoque peftifera latet anguis fub herba) contrahant, verum etiam diuitiarum hydropicis fua fitis quodammodo reftinguatur, recte omnino atque prudenter fingulis fuæ definiuntur filiabus dotes ac modicæ faltem affignantur, maxime in illuftribus ac nobilioribus fami-

familijs, vt & ipsæ facilius modicarum facultatum procis nubant, & ipsi quoque proci non tam fortunarum & facultatum vires, quam natalium & animi dotem in ipsis respiciant; atque insuper diuitiæ maximæ non apud paucos accumulentur, sed antiquæ semper & mediocres cuiusque familiæ possessiones inter ipsas distinctæ atque saluæ conseruentur, quod certe ipsum quoque non minimum in Republica fortunæ beneficium credendum est. Etenim sola diuitiarum antiqua, eademque mediocris possessio a seditionibus maxime abhorret, hæc sola vitam cum virtute degit: hæc sola rationis imperio facillime paret & obtemperat.

Hæc sola ita Rempublicam temperat & moderatur, vt neque superfluas a vicinis & potentioribus appetendas diuitias adijciat, easque defendere possessoribus aduersus inuadentes difficile reddat: neque tam exiguas suppeditat, vt ad propulsandum bellum non sufficiant, imo pecunijs non solum ad ciuiles vsus, sed etiam ad externa pericula necessarijs prospicit: non laborare rem familiarem inopia sinit, publicam belligerendi facultate ditat, breuiter mediocri vbique contenta cultu victuque delectat, teste Cicerone, *in libro de amic.*

Optima ergo ea est ciuilis hominum societas, quæ ex mediocribus maiori parte consistit, vt late deducit Aristotelis, *libro quarto, Polit. cap. 11.*

Dum † igitur extenuatio dotium & hæreditatum circa fœminas, 46 aridam pecuniarum sitim in procis restinguit, simul quoque puellarum arrogantiam comprimit, & exquisitiorem inter pauperes & diuites delectum illis eripit, aditumque ad eas etiam tenuioris fortunæ procis aperit. His amplius ipsarum quoque possessionum in familijs antiquitatem & mediocritatem conseruat, quam quidem tanta comitantur commoda, vt vel propter hanc solam ab amplis possessionibus arceri fœminas communi hominum societati vtilissimum videri possit.

Ex quibus omnibus deniq; hoc quoq; consectarium efficitur, nō posse hoc (quod vulgo putant) aliquod nobilitati decrementum afferre, si quandoque nobiles viri ignobilium filias sibi despondeant: imo ipsam nobilitatem magnum inde incrementum ac robur accipere, cum legibus connubialibus licet egentibus patricijs plebeiorum filias locupletes sibi vxores deligere, vt Romæ fieri post legem

Canuteiam cœpit, nec, Bodino teste, vlla re Venetorum imperium maius incrementum accepisse, supra dictum.

CAPVT XXXV.

Sexto & vltimo, dum dictæ differentię sexus illustres ac nobiles in Republica familias (vt supra dictum est) conseruant; simul etiam homines illas ad Reipublicæ administrationem idoneos, viros scilicet, eosque indigenas, nec non antiqua generis virtute & opulentia nobiles atque præstantes alere producere ac suppeditare, in tribus his sequentib. capitibus; hoc vero de periculoso infelici mulierũ imperio pręcip. tractatur.

SVMMARIA.

1 *Differentiarum sexus in successionibus vltima vtilitas, quod familias conseruat, ex quibus homines ad reipublica patria administrationem idonei pullulant.*

2 *Quibus potissimum honores & munera publica in bene constituta republica sint committenda.*

3 *Viros non mulieres debere in repub. imperium tenere.*

4 *Natura genus masculinum magis ad imperandum factum est, quã fœmininum.* Aristot.

5 *Natura qui animi dotibus precellit, deterioribus imperat.*

6 *Fœminis Deus pectus instruxit dolis, sed vim negauit. Sen.*

7 *Non suppetunt vera imperij instrumenta fœmina.*

8 *A muliere regi maximum viris est dedecus, maxime potentibus.*

9 *Vniuersitatis imperium muliere tenente, facile sibi etiam in maritos & familiam domesticum mulieres subdita sibi arrogarent.*

10 *Historia de Libussa* Bohemorum *Regina.*

11 *In imperante requiritur dignitas, authoritas, grauitas; iudicium & consilium, constantia & liberalitas, quorum neutrum est in muliere.*

12 *Nulla res senatum Romanum magis commouit, quam mulieris in senatum ingressus*

13 *Plerunq; Reginarum imperia sanguinis profusiones & regnorum deuastationes secuta.*
14 *Quam periculosum sit mulieres regnare Bodini traditio.*
15 *Regina siue nubat, siue nō nubat Gynacocratia manet, quia semper imperij iura retinet.*
16 *Domesticum imperium nihil cum publico commune habet.*
17 *Ignominiosum subditis muliebre imperium, adeoque contemptibile.*
18 *Nihil est perniciosius ciuitati, quam eos qui præsunt contemni.*
19 *Fœminæ natura procorum numero & certaminibus pascuntur.*
20 *Vt imperantibus fœminis familia, sic etiam respub disturbantur.*
21 *Reginarum libido & crudelitas.*
22 *Nullus vnquam populus Gynaecocratiam probauit.*
23 *Senatus Cardinalium, regnum Neapoleos ne ad fœminas perueniret sanciuit.*
24 *Gynæcocratiæ exempla quædam enarrantur.*
25 *Apud Scotos Regum vxores ne Reginæ appellarentur quare sancitum?*
26 *Quatuor eiusdem nominis fœminæ ad Gynecocratiam aditus patefecēre.*
27 *Qua ratione Eduardus III. Rex Angliæ, Francorum imperium sibi arrogarit.*
28 *In Dania Regis creandi libertas est apud regni Principes.*
29 *Deterior est Gynæcocratia, quam Principis vel Regis per suffragia electio.*
30 *Obiectio, eiusq; solutio.*
31 *Repudiata Angliæ Regina nuptias petens a Comite Ducherio subdito.*

SExto & vltimo alia euidens & maxime Reipublicæ proficua vtilitas, ex frequenti harum differentiarum sexus in successionibus vsu emanat: quod † videlicet dum illustres nobiles ac honestiores in Republica gentes & familias conseruat, propagat, atque confirmat; simul etiam homines, eosq; mares potissimum; & hos quoq; generosos, potentes, magnanimos, fortes, graues, bonos & æquos, ac nulla non virtute præstantes nobilissimos producit; adeoq; in ipsa Republica ad ciuilem & salutarem eius administrationem viros maxime idoneos profert, alit atq; suppeditat. 1

dignum in matrimonium maritale imperium cæteris paribus pauperiorem semper vxorem esse ducendam, idque & ipsis coniugibus atque coniugijs, & familijs atque ciuitatibus conducere. Quod enim (inquit) moderatum est mediocre, immoderato & excedente nimirum in modum ad virtutem præstat. Addit rationem: Etenim singuli semper ad sibi similimum natura feruntur. Vnde disparibus inuicem sibi nubentibus, ciuitas tota & diuitijs & moribus inæqualis quam maxime redditur. Ex quibus etiam Petrus Godofred. *libro secundo, de amoribus* putat, ea quæ minime nobis euenire velimus, maxime ciuitatibus plurimis accidere, vt idem Megadorus Plautinus modo conquestus est. Quare & idem Megadorus sponsam suadenti diuitem lepide in hæc verba Eunomiæ sorori respondit:

Ego virtute Deum & maiorum nostrorum diues sum satis,
Istas magnas actiones, animos, dotes, dapsiles,
Clamores, Imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror: quæ in seruitutem sumptibus redigunt viros.

24 Et egregiam virtutis potioremq; diuitiarum dotem in Amphitr. Alcmena vxor suo marito Amphitrioni exprobat dicens:

Non ego illam mihi dotem duco esse quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam & pudorem & sedatam cupidinem.
Deûm metum, parentum amorem & cognatorum concordiam.
Tibi morigera, atque vt munifica sim bonis, prosim improbis.

Et subdit Sosia:

Ne ista adepol ex amussim est optuma.

Et concinit Flaccus:

Dos est magna parentum
Virtus: & metuens alterius viri
Certo fœdere, castitas & peccare,
Aut pretium mori.

Et alibi:

Probamque pauperiem sine dote quæro:
Scilicet vt vel sic sit sine lite dies.

Et rursum Megadorus Plautinus ad Euclionem, cum nihil habere se quod filiæ dotis daret conqueritur, dicit: ne dicas.

Dum-

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

Atqui † pauper pauperem ducere non vis; ac ne ducas ipse equidem suadeo, nisi miserrimus esse velis. 25

Sed forte etiam te parum neq; plus pauperem duxisse iuuabit, vt imperes facilius, quam diuitem; nam prouerbio † dicitur: Cœlibem esse eum qui non litigat, quod quidem semper esse litem, & inter cō iuges iurgia non obscure innuit. 26

Et certe M. Cato Censorius vxorem habuit Hectoriam Paulam humili † loco natam, pauperem & impotentem, & tamen violentam atque ipsi Catoni superbam. Ne quis ergo putet, si pauperē ducat, eo se satis concordiæ couiugali prospicere. Ducis pauperem imbecilliorem naturam communis coniugij domus in superbiam erigit, ducis æqualem, æqualitatis iure munita ne digitulo quidem tibi cedet æqualis: ducis te ditiorem in eiusque domo permanes, sola illa domina, tu seruus eris, quam si etiam offenderis, migrare hospes cogeris, vt dicit Hieronymus. 27

Siue etiam adagij vice obieceris, non debere canere gallinam, vbi sit gallus: illa continuo replicabit, imo in sua cohorte & iugo proprio debet, vt Petrus Godofr *d. libro 2.* scribit. Vnde fere commune malum † est, mala vxor: friuolæ, rixosæ, fastidiosæ pleræque omnes, nam vt dicit Poeta: 28

Naturam expellas furca tamen vsque recurret.

Si quis igitur diues aut mediocris fortunæ cum Biante Ausonij quæsierit,

Quæ dos matronis pulcherrima? ei cum Petro Gotofred. responderim: [Vita pudica.] 29

Hæc sane si adsit, absit, quæ huius Comites humilitatem & modestiam frangat, miraculum non erit, quod clamat relatum in Parergis ab Alciato Epitaphium, virum & vxorem non litigare: nisi quod natura; nam † quoniam sumus filij iræ, ipsa communio parit discordiam etiam inter perfectos & sanctos, vt vel beatorum Pauli & Barnabæ monstrat dissensio apud Lucam scripta: & suspicio quam de intemerata Deipara coniuge habuit Ioseph iustus, donec illi ab Angelo est denunciatum arcanum. 30

At quod nam inquis pauperi mōstras medium, qui sic semper habet hoc impedimentum, nec vllum maius, quod neque pauperem nec diuitē, etiamsi contingat, vxorē ducere commode videtur posse.

Siquidem à paupere grauabitur, diuiti, vt dixti, seruire cogetur, & tamen diuitem ductam quam pauperem pauperi mauis?

31 Certe † quidem suaderem inopi, si suæ velit consulere saluti, se sustineret ab atroci mulierum ingenio: quia tamen hoc abstinere pauper non potest magis, quam vel diuitijs auctus posset, multa ille, si velit quantum sua virtute potest, pacifice viuere, concedat naturæ necessitati dico.

Nam plura certe vt alias multum cogit egestas, ab inope marito, vxori sunt conniuenda ditiori: multa condonanda, multa dissimulãda, pleraque plane parcenda, nonnulla etiam probanda; quæ omnia forte minori cum malo feceris, quam si pauperem duxisses. An igitur nunquam castiganda est vllo modo vxor diues pauperi? Vereor

32 sane † ne durus sis Demea, vxorem cum redargueris, durior cum cõtempseris, barbarus si percusseris.

Deus enim sociam æqualem natura fecit. Vnde lex humana ac diuina eam domus sociam appellat, *l. aduersus, C. de crim. expilat. hære.* Si infirma sit, imitare Socratem: si fidelis & casta, vt parem, non vt seruam amplectere, quippe nata ast parere non parêre: paret tamen merito vt libera suo viro, iugo vt barbara non submittitur. Æquam familiæ curam gerit, cur ancillam? Pars tui est in sinu, cur seruam? Fœcunda spes gregis est, cur mancipium appellas? Labor præmium, amor fidem, vteri tumor honorem postulant. Iuppiter cum apud Homerum I. Iliad. Iunonem increpuisset, nec monitis ea obsequeretur, minas adjicit, non tamẽ vlterius ad verbera progreditur. Quin etiam Cato, quem tamen mulierum hostem fuisse plerique aiunt, vxorem percutere sine sacrilegio non posse putabat; vt de eo Plutarchus scribit in Catone Censorio. Cui etiam consentit vates:

Offendit cœlum sanctumque offendit honorem,
Vxorem sæua qui ferit vsque manu.
Ah lapis est ferrumque, suam quicunque puellam
Verberat: è cœlis deijcit ille Deos.

33 Et plerunque † qui temere ad atrociorem vxorum castigationem prouolant, peiores eas reddũt, quas patienter ferendo meliores redderent.

Atqui sic, effœminate homo, an non sentis sexus natura inhians imperio, quod imperitare conabitur, hincque magnus exurget viro-

virorum numerus, quibus turpiter dominabuntur mulieres, vt dicit noster Cynus, *in l.2. C. de testam.* multæ etiam verberabunt forsitan maritos vt Hostiensis admonet, *in sum. de iureiur. § quomodo vers. sed & cum metus, &c.* Quod non tantum Reipublicæ, vt dictum est, nocumento venit, sed inde etiam viles & abiecti, omnibusq; contemptibiles mariti fiunt, sui generis nobilitatem, cum sexus virilis dignitate amittunt, maculam cum sexui tum familiæ inurunt, vt docuit Alex. *cons. visо processu 156. vol.3. vers. secundo respondeo, lib.5.* Quos quidem viros deridet etiam Cyn. *in l. curatorem, Cod. de interd. matr.* dicens nim: quod cum viri Diui Pauli, *ad Ephes. 5.* sententia vxores diligere non timere debeant, sint tamen plerique adeo miseri & gallinacei, vt non audeant inuitis vxoribus sibi extrahere sarabulas. O miseri maritelli, quos vere miserrimos, in atrocis dominæ misera 34 seruitute & turpi miseria constitutos dicit Petr. de Bell. Petr. *in d. l. curatorem*, & ibidem Baldus, itemque Angelus, *in lege prima, Cod. de his, qui patr. vel libr. occid.* quos refert Tyraquellus, *in l.1. connub. gl. 1. num. 19.*

Quocirca † conniuendum quidem statuo atque moneo esse ali- 35 quid mulieribus: sed ne forte nimis vxorius alicui videar, volamque medio tutus, si nimiæ fuerint petulantiæ, insolentiæ, contumaciæ, proteruitatis, libertatis, lasciuiæ, in alijsque vitijs honestatis limina transgrediantur, non dico non esse eas, quibuscunque possunt modis coerceri, coercendas, ita tamen vt leuiora semper præmittamus, & primo quidem emendare tentemus verbis, quod verberibus ne corrigendum sit metuimus. Quæ † si non proficiunt demum etiam 36 modicam castigationem, quæ modo ab ingenuis hominibus aliena sit, nec flagellis aut fustibus, † nisi forte propter talem aliquam cau- 37 sam, quæ ad matrimonij solutionem sufficiat, fiat, DD. nostri permittunt, *per l. consensu, & auth. seq. C. de repud. Nouell. vt liceat matri, & auiæ, &c. 117. cap. 14. & arg. l. 17. § 1. ff. de vsufr. l. 5. in fin. l. 6. ff. ad L. Aquil. leg. 13. § 4. ff. Locati, l. 2. in fin. ff. de obseq. l. 1. Cod. de emendat. propinq. cap. duo ista, 23. quæst. 4. cap. sicut alterius, & ibi gloss. 7. quæst. 1. gloss. in cap. quemadmodum de iureiur, & in cap. placuit, 23. quæst. 2. gloss. in l. sed etsi, § vlt. ff. ad L. Aquil. Bald. in l. si filius, Cod. de patr. potest, & in l. cum patron. C. de oper. libert.* Hippol. de Marsi. *in pract. crim. in § aggredior, num. 81. & in § vlterius, nu. 7. 8. 9.* Signor. Homod. *cons. Titius calce 63. n. 1. ex l. si adulterium, § Impera-*

res, ff. ad L. Iul. de adult. Alex. *conſ.* 115. *num.* 2. *lib.* 4. Alciat. de præſumpt. *regul.* 1. *d. præſumpt.* 3. *in fi. Dec. in l. vt vim, num.* 22. *Digeſt. de iuſt. & iur. & in l.* 2. *num.* 52. *ff. de reg. iur.* Alexan. *in l. miles, §. qui iudicati, num.* 3. *& ibid. Iaſon n.* 7. *ff. de re iud.* Alb. de Gand. *rub. de pœn. reor. in fin.* Angelus Aretinus *in tractat. malef. verb. ad mœnianit, num.* 2. Tyraquellus *in l.* 1. *connub. num.* 22. *& l.* 8. *num.* 13. Menochius, *in tract. de arbit. iudic. quæſt. lib.* 2. *cent.* 4. *caſu* 364. *num.* 8. Prugmannus *in tractat. de differen. ſex. p.* 1. *prin. memb.* 3. *art.* 29. vbi plures refert & ampliationes & limitationes ſuo more ſubiungit, adde Gotofr. *in Nou.* 117. *d. cap.* 14. *& Anton. de Roſel. in tract. de poteſt. Imp. & Papa.*

38 Verum † enimuero niſi commue primum & vniuerſale adhibeamus remedium, & demamus per iura ſucceſſionum mulierum potentiam, nunquam comprimemus earundem faſtidioſam arrogãtiam, & certiſſimam ſponſæ ditioris imminere ſibi perſuadeat atque confidat ſeruitutem, aut certe quietem nullam, nullam pacem in coniugio ſibi futuram, niſi muliebre imperium patienter perferat, quiſquam ſibi expectet. Huic itaque malo, quo nullum fere grauius eſſe poteſt, vt Cenſorius Cato obueniret, legem Voconiam,
39 cuius ſupra meminimus, ſuaſit, rogante populum Voconio Saxa tribuno plebis, qua quidem fœminas ab omni iure hæreditario, extantibus quocunque gradu eiuſdem nominis propinquis ſummoveri placuit: item ne ex alterius teſtamento legatoue plus ad fœminas quam hæreditatis quadrans perueniret, neue plus quam qui ex hæredibus teſtatoris minimum ex aſſe conſequeretur, vt in Comment. ad d. l. Voconiam Baldvvin. probat. vt ſupra in prælud. dictum eſt.

40 Idem † hoc ampliſſimis dotibus grauiſſimum ac præſentiſſimum adhærens Reipublicæ malum, vt e ſua ciuitate Maſſilienſes expellerent centum aureorum dotes maximas, & quinque aureorum veſtes nubentium precioſiſſimas conſtituerunt, *vt libro* 4. Strabo ſcribit.

Similiter itaq; in omni Reipublicæ ſtatu ne dotium magnitudine exhauriantur domus, & moderata dotium erogatione ad pudicitiam magis & virorum obſequium facilius coerceantur, nec illos turpiter ſibi ſubiugare pertentent mulieres, certas de dotibus leges eſſe, & multo magis ab hæreditatibus arcere fœminas oportet.

Porro

Porro † quintum quod dotium constrictione publicum declinatur malum, & inducitur bonum, est videlicet, quod bona paterna liberis amplæ dotis occasione non tam facile auferri, & de familia transferri possunt. 41

Nam cum dotes amplæ constituuntur, propter mutuum semper, quod dos vicissim exigit, dotalitium, defunctis patribus tanto sæpe liberi prægrauantur onere, vt ad id exsoluendum vix bona paterna sufficiant, quandoque etiam quæ tenent feuda, salua ea vix conseruare queant, ex quo prouerbium natum est, diuites mulieres pauperes efficere liberos, idiomate nostro *Reiche Weiber, arme Kinder*. Qua de causa illa inter nobiles potissimum consuetudo primũ inualuit † multum sane commendanda ac studiose conseruanda, 42
qua filiabus ex feudo exiguam dotem constituere solent, adeo quidem vt etiamsi quis fertilissimum feudum possideat, raro tamen vltra mille florenos, sæpe etiam minus in dotem filiæ erogent, vt testatur Hartman. Pist. *quæst. parte secunda, quæst. 37. numero decimo octauo, & seq.*

Rursum aliud quod est sextum ex eadem dotium & hæreditatum amplitudine malum, ac vicissim ex earundem tenuitate bonum emergit: ac videlicet multis inæqualibus in Republica puellis, & alijs quidem diuitibus, alijs autem in modicis tantum facultatibus existentibus, nimia ingẽtes tum cumulandi diuitias cupiditate omnes, nec fœminæ tantum, sed etiam masculi iuuenes atque viri impelluntur; puellæ quidem ac fœminæ vt facilius inueniant sibi qui nubant, quandoquidem plerosque omnes diuites in primis inquirere sponsas, nec facile pauperes quantumuis alias honestas vllos coniugij socias adoptare puellas procos, omnesque fere æqualium sibi nuptias appetere vident. Sic è contrario quoque viri atque iuuenes, quia vident ditiores puellas procos egenos fere sordidos atque contemptui habere, ipsi quoque diuitijs inhiant, aut saltem similem diuitis apparatum cum patrimonij iactura ostentant. 43

Vnde ab vtraque parte, non solum (vt est supra dictum) quodam quasi quæstu connubia veneunt: sed etiam nimia irrepit apud omnes diuitiarum cupiditas, quæ ipsa quoque valde est Reipublicæ noxia: nec minus est turpe in immensum diuitias corradendi studium, quam est quæsitorum immodica profusio sordida.

Nam

Nam cum ſemel hæc cupiditas apertam ſibi feneſtram inuenit, ardens iſta pecuniarum ſitis, ſexcenta ſecum mala introducit.

44 Ipſam † primum malorum radicem ſcilicet auaritiam animis hominum infigit: tum potentia recens ac noua faſtum, hic honorum ambitionem gignit, ex ambitione porro ſeditio, ex ſeditione denique Reipublicæ lues naſcitur.

Præterea ſic auctæ in infinitum poſſeſſiones, inuidiam domi, foris hoſtem, rugoſa in fronte ſupercilia, in mente labem odioſam gignunt. Non ergo debet cuiuis prout vult diteſcere licere, ſibique

45 gazas cum Reipublicæ damno quærere. Nam † modus & ordo conſeruant ciuitatem, ſed nullo termino fine, ac freno hominum cupiditatibus in diuitijs poſito, nullus erit modus, ordo nullus. Non aureis itaque diuitiarum imbribus epuliſque hanc ſitim & famem extinguere: ſed ſalubris alicuius ſucci & ſalis medicamine reſtinguere conuenit.

Quis enim ordo in ciuitate erit, ſi vnius aut alterius libido domos, villas, agros multorum conciuium deuoret & conſumat? An ſoli diuites & epulones in ciuitate viuerent? Certe vt naturalis hominis complexio in æqualitate primarum qualitatum ad pondus, vt aiunt, non con conſiſtit, ſed in ea proportione, quam requirit ſanitas, ita conſtitutio ciuitatis in æqualitate hominum aut diuitiarum non ponitur, ſed in ea proportione, quam æquitas & iuſtitia poſtulant.

Nam ſicut calor, qui biloſo conuenit, nocet melancholico, ita diuitiæ aut honores, qui vni debentur, alteri ſine diſpendio ciuitatatis accommodari non poſſunt. Referenda eſt igitur & coercenda hominum circa pecunias cupiditas, quæ aliter exiſtens immoderata atque effrenis ad diuitiarum flumen, vt ad fontem tenderet: hoc eſt, ipſas diuitias, tanquam finem & ſcopum, non vt medium & inſtrumentum deſideraret.

Quo minus ergo diuitijs, neque his magis quam honeſtati in nuptijs contrahendis tam proci quam puellæ inhient: & hoc ſemper agentes, non ſolum pauciſſimi in maximam potentiam (qua ipſa quoque peſtifera latet anguis ſub herba) contrahant, verum etiam diuitiarum hydropicis ſua ſitis quodammodo reſtinguatur, recte omnino atque prudenter ſingulis ſuæ definiuntur filiabus dotes ac modicæ ſaltem aſſignantur, maxime in illuſtribus ac nobilioribus fami-

familijs, vt & ipsæ facilius modicarum facultatum procis nubant, & ipsi quoque proci non tam fortunarum & facultatum vires, quam natalium & animi dotem in ipsis respiciant; atque insuper diuitiæ maximæ non apud paucos accumulentur, sed antiquæ semper & mediocres cuiusque familiæ possessiones inter ipsas distinctæ atque saluæ conseruentur, quod certe ipsum quoque non minimum in Republica fortunæ beneficium credendum est. Etenim sola diuitiarum antiqua, eademque mediocris possessio a seditionibus maxime abhorret, hæc sola vitam cum virtute degit: hæc sola rationis imperio facillime paret & obtemperat.

Hæc sola ita Rempublicam temperat & moderatur, vt neque superfluas a vicinis & potentioribus appetendas diuitias adijciat, easque defendere possessoribus aduersus inuadentes difficile reddat: neque tam exiguas suppeditat, vt ad propulsandum bellum non sufficiant, imo pecunijs non solum ad ciuiles vsus, sed etiam ad externa pericula necessarijs prospicit: non laborare rem familiarem inopia sinit, publicam belligerendi facultate ditat, breuiter mediocri vbique contenta cultu victuque delectat, teste Cicerone, *in libro de amic.*

Optima ergo ea est ciuilis hominum societas, quæ ex mediocribus maiori parte consistit, vt late deducit Aristoteles, *libro quarto, Polit. cap. 11.*

Dum † igitur extenuatio dotium & hæreditatum circa fœminas, 46 aridam pecuniarum sitim in procis restinguit, simul quoque puellarum arrogantiam comprimit, & exquisitiorem inter pauperes & diuites delectum illis eripit, aditumque ad eas etiam tenuioris fortunæ procis aperit. His amplius ipsarum quoque possessionum in familijs antiquitatem & mediocritatem conseruat, quam quidem tanta comitantur commoda, vt vel propter hanc solam ab amplis possessionibus arceri fœminas communi hominum societati vtilissimum videri possit.

Ex quibus omnibus deniq; hoc quoq; consectarium efficitur, nō posse hoc (quod vulgo putant) aliquod nobilitati decrementum afferre, si quandoque nobiles viri ignobilium filias sibi despondeant: imo ipsam nobilitatem magnum inde incrementum ac robur accipere, cum legibus connubialibus licet egentibus patricijs plebeiorum filias locupletes sibi vxores deligere, vt Romæ fieri post legem

13 *Plerunq; Reginarum imperia sanguinis profusiones & regnorum deuastationes secuta.*

14 *Quam periculosum sit mulieres regnare Bodini traditio.*

15 *Regina siue nubat, siue nõ nubat Gynæcocratia manet, quia semper imperij iura retinet.*

16 *Domesticum imperium nihil cum publico commune habet.*

17 *Ignominiosum subditis muliebre imperium, adeoque contemptibile.*

18 *Nihil est perniciosius ciuitati, quam eos qui præsunt contemni.*

19 *Fœminæ natura procorum numero & certaminibus pascuntur.*

20 *Vt imperantibus fœminis familiæ, sic etiam respub disturbantur.*

21 *Reginarum libido & crudelitas.*

22 *Nullus vnquam populus Gynæcocratiam probauit.*

23 *Senatus Cardinalium, regnum Neapoleos ne ad fœminas perueniret sanciuit.*

24 *Gynæcocratiæ exempla quædam enarrantur.*

25 *Apud Scotos Regum vxores ne Reginæ appellarentur quare sancitum?*

26 *Quatuor eiusdem nominis fœminæ ad Gynæcocratiam aditus patefecère.*

27 *Qua ratione Eduardus III. Rex Angliæ, Francorum imperium sibi arrogarit.*

28 *In Dania Regis creandi libertas est apud regni Principes.*

29 *Deterior est Gynæcocratia, quam Principis vel Regis per suffragia electio.*

30 *Obiectio, eiusq; solutio.*

31 *Repudiata Angliæ Regina nuptias petens a Comite Ducherio subdito.*

SExto & vltimo alia euidens & maxime Reipublicæ proficua vtilitas, ex frequenti harum differentiarum sexus in successionibus vsu emanat: quod † videlicet dum illustres nobiles ac honestiores in 1 Republica gentes & familias conseruat, propagat, atque confirmat; simul etiam homines, eosq; mares potissimum; & hos quoq; generosos, potentes, magnanimos, fortes, graues, bonos & ęquos, ac nulla non virtute præstantes nobilissimos producit; adeoq; in ipsa Republica ad ciuilem & salutarem eius administrationem viros maxime idoneos profert, alit atq; suppeditat.

Quos vtique collapsis in Republica extinctisque illustribus, nobilibus ac honestioribus familijs, nec tam genere bonos, nec tam opibus atque diuitijs potentes, nec tam virtutis antiquę & laudis auitæ studiosos atque cupidos, nec tam præstantes ingenio & animo fortes, nec tam nomine magnos & authoritate pollentes, denique quod summum est, neque indigenas eos & iam morum ciuitatis expertos, ijsdemque adsuetos habere liceret, sed magno non cum periculo solum, sed etiam dedecore ciuium domesticorum ab exteris & peregrinis intra mœnia patria aduocare necessum esset qui Rem-
2 publicam regerent. Quę † omnia cuiuis imperio ac Reipublicæ singula magna, maxima vero iuncta simul omnia incommoda atq; pericula adferunt. Siue enim mulieres non viri; siue alionigeni non patricij, siue plebeij, pauperes & abiecti, non honestiores, ditiores atque nobiliores, siue ciuilium rerum ignari & imperiti, non experiti, non experientia moribus ac virtutibus expoliti ad Reipublicæ gubernacula sedeant, pessime semper subditorum saluti consulitur.

Sunt igitur communi eorum, qui politicarum rerum scientiam profitentur, suffragio, honores & munera publica non peregrinis sed domesticis ac natis ciuibus, multo minus autem mulieribus, sed viris, atque ex his tantummodo potioribus atque dignioribus committenda ac deferenda. Sed de singulis separatim, & hoc capite de mulieribus præcipue dispiciemus.

3 Viros cum primis reipublicæ præficiendos esse, & quam longissime mulieres a curiæ limine arcendas intraq; parieres esse continendas quantumuis genere nobilissimę siue etiam diuitijs potentissimę vel etiam virtute præstantes sint, non opinor magni laboris est conuincere.

Vetus hæc est sapientia ab omnibus omni tempore sapientibus tradita & obseruata, eademq; firmissimis communita rationibus etiam in huius vsq; seculi posteres quam longissime deriuata.

4 Namq; † natura genus masculinum ad imperandum magis factũ esse quam fœmininum, *1.Polit.* 8. Aristot. scribit. Quippe prærterquam quod multis naturæ vitijs est contaminata mulier: etiam laudabilis ac bonæ mulieris a viri diuersa est virtus veluti temperantia & fortitudo, & illius quidem minime, sed huius tantum ad reipub. administrationem idonea. Etenim vir si sic fortis esset, vt est

mulier

mulier fortis;non fortis ſed timidus magis haberetur: Similiterque mulier,ſi ſic eſſet,vt vir probus, modeſta & moderata,garrula ea di- 5
ceretur,vt idem Philoſophus,*3.Polit.3.* diſſerit.

Tum naturæ legibus ita (Heſiodo teſte,) eſt comparatum,vt qui cæteros animi dotibus & ingenio ſuperat, inferioribus imperet,& qui minus induſtria valet,is meliori pareat. At quãto vir muliere ingenio & virtute prę̃ſtet iam conſtat. Nam palam eſt,quod ille conditor noſtri Deus,fœminis quidem pectus inſtruxit dolis,† ſed vim ne- 6
gauit,vt Sen.*in Octau.*dicit.

Prætérea † huic imbecilli naturæ],[nec veræ] imperij inſtrumenta 7
ſuppetunt: nam conſtantia vacillat, nec vlla diu fœmina pondus habet,vt *lib. 11.elog.*dicit Propert. Sed & conſilium muliebre plerunq: in deterius,vt ſcribit *in Annal.*Tacit.&contra propria cõmoda laborat,vt ait Imp.Iuſtinianus.

Quid etiam quod ex omnibus quæ proprie muliere ſunt innata vitia,vnicum eius imperium maxime reſpuit. Animus videlicet lubricus.Sceptro ſiquidem lubrico,neceſſario inclinat imperium. Vnde Auentinus exclamat: [Quæ dementia eſt illa mulierem dominari?varium & mutabile ſemper fœmina: nunc dat nunc aufert dominatus;modo hoc,modo illud ſtatuit.]

Grauis † porro viri, vt indecorum hoc & ſeruum nimis ſeruiti- 8
um perferunt.Nam pro maxima ignominia ſummoque dedecore à muliere regi omnes reputant: vti de barbara quapiam gente ſcribit Tacit.*de morib. Germ.* [Fœmina dominatur,in tantum non modo à libertate,ſed à ſeruitute degenerant.] Ex quibus ſub ſceptro mulieris maximo in diſcrimine Rempublicam verſari conſtar.

Sceptrum ſcilicet indignum omnibus dictamine naturę iudicantibus,ac proinde communi opinione atque ſuffragio id naturę contrarium minimeque ferendum viris declarantibus.

Minus autem ſubditi potentes inferioris naturæ imperium maxime ſeuerius tolerare poſſunt, quo tamen ipſo etiam ad maiorem Reginas ſeueritatem prouocant: & illos hæ mutuo infeſtiores ſibi reddunt:efficiunt,denique vt tumultuari tandem incipiant nec diutius muliebre regimen tolerare velint vel poſſint:coram ſolio Reginę nomen omnibus faſtidium pariat,ad nomen autem Regis omnes prouocent,idque vnanimiter exoptent.

Sed modo hoc quoque ſummum in Republica mulieris imperium par-

um parturiret malum, quod tum Reginarum adeoque ſummi in republica imperij exemplo, etiam priuatæ vxores quaſi ſub Aquilæ alis volantes vel velitantes, audaciores animo aduerſus viros proſilirent, maritorum reſpuere imperium, ipſiſque imperare ipſę, & caſtigare, nedum ridere eos, non dico dicta dictis: minaſque minis, nec non verbera verberibus, non ſupplicantibus (vt decet) verbis, equorum more recalcitrantes, excipere pertentarent. Quæ duæ potiſſimum cauſæ Bohemos † olim, commouere, vt Libuſſæ, Croci, ſecũdi Ducis ſui filiæ, imperium, alias ſatis æquum, deſumendum ab ea, idque in viros transferendum cenſerent, vt Æneas Syluius, *lib. 7. hiſt. Bohem.* ſcribit.

9 rent, maritorum reſpuere imperium ...

10 mum cauſæ Bohemos ...

Quam enim illa poſt obitum Croci patris, populo fauente, pluribus annis ſuo imperio quieta prouinciam gubernaſſet, cum tamẽ aliquando coram ea duo ex optimatibus de agrorum poſſeſſione litigaſſent: illa vero ex bono & æquo potentiorem damnaſſet, potens iſte æquiſſimæ ſententiæ impatiens, & vindictam quærens, aliam cũ inuenire vindicandæ æquitatis in Regina viam non poteſt, populares commouet, ipſis indecorum atque indignum eſſe proponit tantum populum, tot proceres, tam amplum imperium, vnius fœminæ arbitrio parere, Operę precium eſſe virum fœminę, Reginę Regem ſubſtitui, ac ſummam imperij mari, ſexu & natura præſtantiori, non fœminæ committi. Annuunt omnes tum vicinarum gentium mores, tum etiam excreſcentẽ mulierum autoritatem prætendentes, & ex templo Libuſſam adeuntes virum ſibi præfici poſtulant.

Quibus Libuſſa reſpondens. Ego vos (inquit) Bohemos ad placitum huc vſque regnaui, matrem non dominã me vobis exhibui. Sed cum more hominum, qui pium iuſtumq; Principem ſemper deſiderant magis quam cognoſcunt & ſeruant, vobis quoq; meũ ingratum ſit regimen, ab eo vos liberabo, aliũq; qui vos regat, vt optatis, dabo.

Ite ergo equum meum candidum ſternite, in campos late patentes adducite, ibique effrenem quocunque ierit, ſequentes, dimittite. Curret is aliquandiu, ſed tamen ante virum ſubſiſtet in menſa ferrea comedentem: ille mihi coniunx, vobis autem Princeps erit. Quod & factum eſt.

11 Denique ſi † eſt cõtra pudicitiam ſexui congruentem alienis cauſis etiam mulieres ſe immiſcere, vt dicit Vlp. *in l. 1. §. 2. ff. de poſtul.* itẽ ſi contra decus muliebre eſt, mulierem inter cœtus viriles conſpici? gloſſ.

gloss. *in d.l.1.§.sexum, arg.l.2.§ fœminas, C. de his qui ven.ætat. impetr.* si item tenue & exile est iudicium, Neuiz. *in sylu.nup.lib.1.n.10.* itemque debile & fragile consilium muliebre, in tantum vt etiam aduersus propria nedum publica emolumenta sæpissime laboret, *l.si pater in fin.C.de sponsal.arg.l.sicut, C.quand.mul.tut.off.fung.poss.* sed & si est animo plerunque leuis mobilis& inconstans, *arg.l.filia, Cod.de inoff. testam.* ac denique auarissima omnis prope natura mulier, *argum.l.si stipulata, in fi.ff.de donat.inter vir.& vx.l.sed si ego, in fi ff.ad S.C.Velleian.* vt omnia hactenus late demonstrata & explicata sunt; imperiũ & iurisdictionem mulieribus quis, nisi omnium horum ignarus aut sane demens, offerret.

Debet enim imperium & ius dicentis officium cum dignitate auctoritate, decore & grauitate esse, non vilitate & dedecore, coniunctum: debet esse Rex & quicunque iurisdictioni præest, discretus, *c. iudicantem, 30.q.5.* Speculat. *tit.de off.om.iud.§.vlt.n.2.* iudicio & consilio validus, animo constãs & minime auarus. Quippe nihil est quod imperantis ac ius dicentis maiestati magis obuersatur, quam vel vilitatis contemptus, vt probat doctiss. Gouean. *ad l.4.ff.de iurisdict.&c. n.7.& 8.* vel rerum gerendarum imperitia ac sensuum ruditas, vel iudicij consilijsque defectus. Hippol. de Marsil. *cons.118.nu.3.* Cagn. *in l.2.nu.3.ff.de reg.iur.* Mynſ. *cons. .n.13.* vel denique mentis lubricitas Cagn. *d.l.2.nu.3.* & detestanda auaritia, *l.solent, §.non vero in totum,* & ibi Bart. & Bald. *ff.de offic.procons.& legat.* Luc. de Penna, *in l.per Illyricum, per illum text.C.de cohort.lib.12.& in l.ad splendidioris, C.de diuers.offic.eo.lib.*

Atque his potissimum de causis cum Romanorum leges etiam ab omnibus minoribus & quibuscũq; officijs ciuilibus ac publicis muneribus, mulieres procul seduxerint, *d.l.fœmina 2.ff.de reg.iur.l.cum prætor, 10.ff.de iud.l.1.de postul. & similib.sup.allegatis,* quãto magis ab imperij limine repellendas nos dicemus. Et cum nulla res Senatum Romanorum perturbarit magis, quam quod Heliogabalus matrẽ, 12
non vt sententiam diceret, sed tantum vt sanctissimum ciuitatis ordinem atque cœtum contueretur, in Senatum induxerat; quãto maiores in populo Romano nouum mulieris sceptrum excitare turbas potuerit tum, atque etiamnum possit facile est conijcere. Quod si vero tam absurdum ac ridiculum est virorum muneribus ac cœtibus etiam fœminas implicari, quanto absurdius & magis ridiculum videri

videri debet, eaque ad Imperij maieſtatem pertinent, fœminarum libidini exponere: abſurdiſſimum profectò ab ipſo ſanctiſſimo imperialis maieſtatis tribunali fœminam conſpicere. Hinc Romanorum exemplo pleraſque etiam alias gentes Reges ex famılijs nō Reginas elegiſſe, *lib.4.c.23.* Alex.ab Alex.ſcribit. Et vbicunque Rerum-
13 publicarū † gubernacula ordine præpoſtero apud mulieres non viros fuerint collocata, plerunque innocentis ſanguinis profuſionem, regnorumque deuaſtationes eſſe ſecutos, *lib.25.* Schleidan. refert, quod exemplo Catharinæ de familia Medicea Galliæ Reginæ, & exemplo Reginæ Angliæ Eduardo VI. ſuccedēti, illoque Tulliæ apud Liuium *lib.*1. de qua omnia turbandi initium ortum eſſe exclamat, exēplo comprobat. Sed multo felicius hunc de mulierum imperio tra-
14 ctatum expediuit, & quam pernicioſum ac periculoſum ſit mulieres imperare rationibus bene ponderatis ac multis Illuſtribus Gynęcocratiarum exemplis declarat Bodinus omnium Politicorum Politikótatos, *lib.6.de Repub.c.5.* quorſum lectorem remittere, an exactiſſimam probatiſſimi auctoris diſſertatiunculam depromere eaq; noſtrum de incōuenienti & infelici mulierum imperio tractatum perficere, vtrum magis ſiue expediat ſiue liceat: licere quidem vtrumq; at illud magis expedire putabam. Placuit ergo quæ huius rei apud illum extant præcipua repetere.

Primum enim (inquit) de duobus alterum, aut connubio iunge-
15 tur fœmina, aut per ſe ipſa † imperabit: ſi nupſerit, Gynæcocratia tamen eſt; quoniam ea lege nubit, vt penes illum ſint maieſtatis & imperij iura, non autem penes maritum. Id enim diſerte exceptum eſt cum Iſabella Caſtulonum Regina Ferdinando Aragonum Regi nupſit: idque repetitum in nuptijs Philippi Principis Hiſpaniarum & Mariæ Anglorum Reginę: quod etiam cautum erat in tabulis cōnubialibus Sigiſmundi Imperatoris Germanorum & Mariæ Panoniarum Reginæ, quam ſubditi Regem Mariā appellabant. Quæ leges iniquiſſimis conditionibus latæ ſunt, propterea quod maritus qui iure
16 naturæ caput eſt familiæ ac domeſticum imperium habet, muliebribus imperijs publice ſeruire cogitur; quia domeſticū imperiū nihil cum publico commune habet, *l.nam quod attinet, ff. ad S.C.Trebell.* Vnde cum Fabius Maximus is qui cunctator eſt appellatus equo vectus ad conſulē filiū accederet, ab eo deſcendere iuſſus eſt, quē tamē patria poteſtate indicta cauſa occidere potuiſſet, *l. in ſuis, 11.ff.de lib. & poſth.*

Quod

Quod si vero Regina nuptias recusauerit, quę verissima Gynæcocratia dicitur, Rempublicam in summo † discrimine versari necesse 17
est: quoniam magno ac forti animo subditi muliebre imperium, & contumeliosum, nec diu tolerandum sibi putabunt: sed alij quidem sexum, alij fœmineas libidines, alij muliebrem impotentiam & sermonibus & scriptis irridebunt.

Nihil est † autem perniciosius ciuitati, quā eos qui maiestati præ- 18
sunt contemni. At fœmina, contumeliarum impatiens, vltionem reposcet: quod sine ciuili tumultu fieri nō potest. Quod si quem è subditis opibus & honoribus cumulauerit, vti quisque gratiosissimus erit, ita inuidissimum fore necesse est.

Ac cum difficile sit in eo genere castissimas decus & existimationem tueri, tū vero Reginas ipsas ab impudicitiæ fama vindicare difficillimum. Quis enim facem ardentissimam in altissima specula latere putet? quin † etiam fœminis natura quodammodo insitum est, 19
vt procorum numero & certaminibus pascantur. Quod si tanta est subditorum ignauia, tantus stupor, vt per summam contumeliam ac dedecus fœminam Reipublicę gubernacula torquere patiantur, singulos etiam domestico imperio fœminarum teneri necesse est, quod enim publice licet, priuatim semper licebit.

Quamobrem Persarum Optimates rogationem tulerunt ad Darium Ahasueros, vt Vastidis superbiam seuerissime coerceret, ne vnius arrogantia cæteras ab officio reuocaret. Et quemadmodum familiæ perturbantur, † in quibus fœminæ maritis imperant: sic etiam 20
Respublica disturbatur, quæ fœminæ dominatu tenetur, etiāsi prudentiæ famam assecuta fuerit: quanto magis si nec libidines domitas habere, nec cupiditates coercere possit? Nemo est, opinor, qui nesciat quales tragœdias de se ipsa excitauerit Ioanna, quæ ob impudicitiā Lupa dicta, Neapoleos Regina. Tres enim Reges eosque mari- 21
tos crudelissimis parricidijs interfecit, eodemque supplicio est affecta. Omitto Semiramidis nefandas libidines, & qua fraude dominatum Assyriorum inuasit: nam cum à Rege diurnum modo imperiū efflagitasset, Regem necari iussit. Quid Atalia? quæ cæso ab hostibus marito Rege Iudęorum, vt imperium retineret Regiam stirpem vno fuga dilapso deleuit, ac tamdiu sceptra tenuit, quoad populi furore trucidaretur. Cōsimili scelere Cleopatra, vt Ægypti regno sola frueretur, fratrem interemit.

Zenobia quidem ut Irene, cum Orientis imperium inuasissent,
22 Gynæciorum ergastulis à Principibus conclusæ sunt. Nec† vero populus tam perditæ inertiæ quisquam fuit, vt Gynæcocratiam probarit, etiamsi nonnulli fœminarum imperia tulerunt, vt Neapolitani qui Constantiam postremam gentis Normanorum, qui Neapolim tenuerũt; deinde Iolam Ioannis Brenni F. quæ cum iure successorio idem regnum adepta fuisset, Friderico II. Imperatori nupsit: at Fridericus regnum illud Manfredo naturali filio dono dedit, cuius filia Constãtia Aragoniæ Regi nupta faces diturni belli Christianis Principibus iniecit, quã non nisi fortissimorum virorum cruore largissime fuso restinguere potuerant.

23 At cum Senatus Cardinalium Rempublicam Christianam ac potissimum Italiam tot ac tãtas clades, tot bella pertulisse intelligeret, idque propter Gynæcocratiam, perpetua lege voluit, ne deinceps ad fœminas imperium Neapoleos perueniret: vt quidem exceptum est tabulis fidelitatis ac possessionis, quam accepit Alphonsus Rex Aragonum anno 1445. idque repetitum Ferdinando Rege inaugurato, anno 1458. ne scilicet fœminis ad regnum aditus peteret, quamdiu masculi etiam collateralium propinquorum superstites essent; ad
24 quintum vsque propinquitatis gradum. Sed cum † labes illa Gynæcocratiæ Hungariam ac Poloniam peruaserat, cum scilicet Maria Hungariæ & Hedwigis Poloniæ regna Ludouici patris successione ad se delata suscepissent. Iisdem fere temporibus Maria Volmara Noruegia, Sueciæ ac Daniæ sceptra tenuit. Post etiam Isabella paternum Castiliæ regnum creuit, non sine murmure populorum; quippe qui fœminarum imperia nunquam se pertulisse quererentur.

At cum Isabella Socinam Alphonsi filiam Castiliæ regnum ad Silonem maritum eodem exemplo detulisse diceret, reposuit popul⁹, vi potius quam iure id factum, quæ disceptatio Isabellam ad Ferdinandi connubium optandum citius excitauit. Ac tametsi Henricus Castiliæ Rex Imperium ad Ludouicum IX. Francorum Regem iure materno pertinere moriens testaretur, ac Princeps Hispaniæ communi consensu Ludouicum accirent, & quidem literis sigillo cuiusque comprobatis, quæ adhuc in archiuis publicis extant; iure tamen Ludouicus id fieri posse negauit.

Quibus autem fraudibus Isabella Castiliæ sceptra extorserat, iisdem

dem Ferdinandus Leonoræ F. deinde Barcinorum Comes, qui Petronillam Regis Aragonum filiam domum duxerat, Arragonense Imperium occupauit. Eadem Gynæcocratiæ pestis Nauarræ dominatum corripuit Henrico Largo Campaniæ Comite, qui Regis Nauarræ filiam sibi desponderat; Cuius item filia Ioanna Philippo Pulchro Regi Francorum nupta, Campaniæ ac Nauarræ ditionem ad Regem detulit. Sed Philippi Belli mascula prole sublata, rursum Nauarræ ditio trium fœminarum iure ad Eboracenses, Albretenses, Fuxæos, Burbonios delapsa est.

Certe quidem quadringentis plus minus annis regnum illud ad Principes septem peregrinos Reginarum maritos translatum videmus.

Regnum autem Britannorum, etsi Domitiani temporibus ad fœminam peruenisse legimus. Tacitus in vita Agricol. mille tamen & quingentos amplius annos fœminarum imperia nulla pertulerat, quousque Maria Eduardi V. Regis Anglorum soror fratris imperium excepit, decimo fere post anno quam Maria Iacobi V. Regis Scotorum F. Regni gubernacula suscepisset: quæ prius ad centũ & quinque Reges semotis fœminis delata continua serie legimus, At etiam Britero Rege vxoris veneficio quondam sublato, Senatus populusque Scotorum sempiterna lege vetuerat Regnum vxores Reginas appellari. aut publice maritis assidere. Illud tamen singulari nota dignum, † quod eiusdem nominis fœminæ quatuor ad Gynæcocrati- 25
am † aditus apud Panones, Danos, Noruegios, Suecos, Anglos, Sco- 26
tos aperuerunt.

Mathildis quidem Henrici I. F. Regni Anglici iura ad Comites Andium ante detulerat; sed id propterea factum est, cum mares propinqui etiam à stirpe remotiores nulli amplius extarent, & masculus ex fœmina Stephano Bononiensi Regi successisset, vt nulla fuisse Gy-
næcocratia videretur. Qua ratione Eduardus Tertius Rex Anglo- 27
rum recta Salicæ legis interpretatione Francorum Imperium ad se pertinere contendebat: quia tametsi Isabella, Caroli Belli sorore genitus esset, proximus tamen erat, & quidem masculus, quæ interpretatio repudiata est à Senatu Francorum, quamdiu quisquam agnatus eiusdem nominis ac gentis superstes esset.

Etenim Carolus V. Imperator Daniæ Regi Christiano sororem despondit, hac lege tabulis connubialibus inscripta, vt si mares

agnati Regiæ stirpis nulli amplius extarent, filiæ primogenitæ Regia Sceptra darentur. Sed ea lex, iura suffragiorum ordinibus eripere non poterat, ac tãtum absuit vt priuatum illud pactum Regis cre-
28 andi libertatem Danorum Principibus † adimeret, vt etiam Regem ipsum imperio spoliatum eijcerent. Poloni quoque mortuo Sigismundo Augusto, & sorores ipsius, & Suecorum Principem impuberem sororis filium ab imperio depulerunt. Ac tametsi perniciosum sit Reges suffragio creare, tolerabilius tamen est, quam perpeti Gy-
29 næcogratiam: quoniam si Regina peregrino † Principi nupserit, peregrinis legibus, peregrina religione, peregrinis statutis populũ imbuet ac peregrinis honores & imperia largietur, de quo periculo supra quoque dictum est.

30 Sed † inquies Reginam ciui nubere oportet, id quidem commodius videtur; sed res est inexplicabilis: quia nec facile ad subditorum nuptias fœminæ Principes delabuntur; nec sine potentiorum odio & inuidia ijs, quos adamauerunt, nubere licet.

31 Quid si ab eo † ciue, quem concupiat repudietur? Id enim nostra ætate contigisse videmus; Mariam scilicet Anglorum Reginã à Comite Ducherio Cortençorum gentili, quem carceribus ereptum ardenter amabat, quemque sibi despondere cupiebat, spretam fuisse, cum his Elisabethæ sororis nuptias ambiret: quæ res illi exitium ac tandem etiam exilium dicitur attulisse: tametsi à Regibus Francorũ paternam, à Regibus Anglorum maternam originem duxisset. Et hactenus Bodinus, ex quibus omnibus de muliebri imperio quid statuendum sit, facile constat.

CAPVT XXXVI.

De peregrinis sine discrimine in Rempublicam non recipiendis; & multo minus ad magistratus & honores euehendis, minimeqne natis ac domesticis ciuibus propter eos negligendis præcipitur.

SVM-

SVMMARIA.

1 Periculosum est peregrinos in ciuitatem sine discrimine adsumere.
2 Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.
3 Natura pares cum paribus iungit & vnit.
4 Morum dissimilitudo in ciuitatibus exitiosa.
5 Hospitio quidem recipiendi sunt peregrini; at non æque ciuitate, sed iusta & honesta tamen causa donandi.
6 Peregrinorum erga domesticos ciues dubia fides.
7 Peregrini sæpe Roma pulsi.
8 Apud Athenienses nulli ferebantur ciues peregrini.
9 Indi Sinarum populi Hispanis suæ regionis aditum sub pœna capitis vitarunt.
10 Deterior est vbique fere aduenarum quam indigenarum ciuium conditio.
11 Apud Athenienses peregrini singulare tributum soluere cogebantur.
12 Apud Romanos testari peregrinis concessum non erat.
13 In aliquibus Germaniæ partibus & Italia fere tota, nihil de solo dominij iure possidere peregrinis conceditur.
14 Veneti non nisi quatuordecim, Ferrarienses autem etiam decem tantum annorum incolis ciuitatis iura concedunt.
15 Peregrini vbiq; fere a magistratibus arcentur.
16 Qui peregrinos in ciuitatem receperunt, plerunq; seditionibus iactatos fuisse exemplis declaratur.
17 Peregrini patrios & antiquos mores corrumpunt.
18 Ciues in repub. potiores quam peregrini, & propinqui potiores quã alieni haberi debent. Cic. Plato. Xenoph.
19 Auspiciis patriis non alienigenis rempub. administrari debere vetustas statuit. Valer. Plato. Benedict. Chassan.
20 Non minori cum periculo peregrinos in repub. negligi, quam iuxta domesticos ciues ad magistratus admitti rationibus & exemplis ostenditur.
21 Quæ res ad omnes æque pertinet, in ea omnes æque debent (quatenus possunt) honorari.
22 Peregrinorum in repub. neglectus, diffidentiam inter conciues intestinum odium concitat.

23 *Natura sunt homines laudis atq; gloriæ cupidi.*
24 *Gloria virtutis præmium.*
25 *Naturali ratione deterior meliori paret.*
26 *Ægre ferunt, qui se honoribus dignos iudicant, cum deteriores sibi præferri vident.*
27 *Exemplum in plebe Corcyræorum.*
38 *Item Samiorum & Sybaritarum.*
29 *Eiusmodi nihil quare in Venetiana Repub. metuendum.*
30 *Venetorum Citadini.*
31 *Refutantur, qui peregrinos in magistratibus in sontes pœnas decernentibus, domesticis ciuibus præferendos esse existimant.*
32 *Ordo Venetiarum ab vrbis primitijs vnus idemq; semper mansit.*
33 *Obiectio atq; solutio.*
34 *Tutiorem esse indigenarum quam aduenarum magistratum, primo exemplo Romanorum ostenditur.*
33 *Etiam hodie plerasq; ex præcipuis ciuitates, munera publica patricijs solum nec peregrinis & aduenis demandare.*
36 *Principes peregrinis sibi subditis populis, suæ cuiq; natione magistratus commodissime præficere.*
37 *Cancellarium peregrinum in Sicilia, publicæ acæ promiscuæ cædis causam præbuisse.*
38 *Vesppera Sicula.* 39 *Parisienses Matutina.*
40 *Peregrinus Palatij magister in Gallia belli ciuilis causa.*
41 *Ochoziæ Regis Iudæ interitus peregrinorũ in regno prælatio causa.*
42 *Hamani peregrini, Assueri Persarũ Regis consiliarij, aduersus innocentem & optime de regno meritum Mardochæum molitio.*
43 *Alexandri Epeirotæ a peregrinis quos pro fidis habebat, fatum.*
44 *Indigenarum neglectus in magistratibus Eduardum Angliæ Regem Aquitania pulsit.*
45 *Item Ioannes minoris Britanniæ Dux, quod Angli magis quam Britannis fauebat a nobilitate ducatu patriaq; pulsus est.*
46 *Propter neglectum Neapolitanæ nobilitatis & Gallorum in regno Neapolitano praeminentiam. Carolus VIII. regno iterũ excidit.*
47 *Ludouicus Pius Galliæ Rex propter peregrinum regni præfectum, regno se abdicere a filiis coactus fuit.*
48 *In qualibet bene constituta repub. necessum est, tales educari & alii homines, qui aliquando vtiliter reipub. præesse possint, vt peregrinos excludant.*

Pere-

PEregrini, † quando in ciuitatem adſumuntur, quo magis iuxta 1
indigenas honorantur & extolluntur, eo maius in diſcrimen
priſtinus Reipub. ſtatus certo vocatur:

Sed etſi ab honoribus & officijs publicis eliminentur, nihilominus tamen pernicioſe de illa quoque republica agitur, in qua peregrini cateruatim aduolantes ſine diſcrimine recipiuntur. Neq; minus periculoſum eſt peregrinos in vrbē, quam angues in ſinum ſumere: nam vt hi calore recreati mordent; ita illi libertate donati ciuitatem perdunt. Nec magis tuto nati ciues cum peregrinis, quam oues cum lupis, quos ſibi natura infenſiſſimos habent, ſociari poſſunt. Et quanto locuſtæ ſunt nocumento ſegeti, tanto ſunt aduenæ damno ciuitati: nam vt illæ vaſtant & conſumunt granum ſegetis, ita hi fructum ciuitatis deuorant.

Etſi enim rami ſint eiuſdem Plantæ, hoc eſt eiuſdem vniuerſitatis membra & ciuitatis incolæ, a radice tamen non ſalutarem ſuccum ſed venenum hauriunt: radice autem infecta, tota planta cadit.

Sed ne ſine ratione tanta pleroſque a peregrinis indigenis ipſiſque ciuitatibus comminari pericula putes: perpendendi primum tibi ſunt dubitanti, cuiuſuis gentis peculiares & quaſi natiui mores, genuini ſanguinis affectus, leges rituſque gentiles, a quibus deſuefieri vbicunque degunt, vel minime vel difficulter ſolum poſſint: & quocunque migrant, ſedem non animum, ſolum non ingenium,
aerem non mores mutant: prout dixit Horat. Epiſt. 9. 2

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Proinde gens quælibet ſolum licet vertat, ſemper tamen priſtinis atque patrijs legibus vt moribus ſe viuere putat, nec quatenus poteſt viuere aliter vult ac deſinit, prout idem alibi vates alludit:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Hinc vero fit, vt diuerſis in vna eademque ciuitate concurrentibus & cohabitantibus populis, ſuos quiq; ſectentur & ſequantur ritus mores legeſque gentiles, ne indigenæ propter aduenas mutare ſuos & adſuefacere ſe peregrinis velint, neque ſuos facile deſerere peregrini, ſuiſque magis quam vetuſtis ciuitatis moribus ac legibus viuere ſemper optent. Suadet autem natura-

lis

lis ratio, pares cum paribus tantum commode & optate viuere posse, vt in lib. de amic. Cic. testatur. Nam Philosophia concedit contraria vniri, & sub eodem contineri subiecto: nec itaque prudentia dictitat ciues cum peregrinis bene sociari, aut eodem posse inuicem contrarios sibi morib. in affectibus loco cohabitare populos.

4 Nam diuersitas morum † atq; dissimilitudo aliam atq; aliam parit factorum & natorum ciuium affectionem: affectio a. diuersa non potest inter eos non excitare, quandoque offensiones, simultates, odia, seditiones, tumultus, bella, adeoq; non ipsum ciuitatis statum
5 euertere. Quapropter hospitio † quidem pie liberaliterque peregrinos esse recipiendos ipse affirmauerim, dum non minori charitate peregrinos quam viduas ac pupillos fouere atque tueri diuina lex iubet. *Gen. 18. 19. Rom. 12. 13. Hebr. 20. 13. Pet. 1. c. 4.* At non eosdem tam facile ciuitate quoque, sed non nisi vrgenti pietatis aut honestatis causa donandos esse dixerim. Peregrini erga peregrinum amor quidem candidus & affectio bona, præsertim in necessitatibus
6 apparet, sed internum plerunque venenum sapit. Addo quod vt corpus humanum citius inficit nihil, qnam pestilentium vaporum cum innatis humoribus copulatio & commixtio, ita nihil velocius corrumpit ciuitatem, quam indiscreta hominum adeoque morum peregrinorum admissio, in quibus certissima latet contagio.

7 Atque † hinc peregrinos sæpius vrbe Roma pulsos apud *Dion. lib. 7.* legimus, & de singulari lata lege, qua peregrini Roma eijcie-
8 bantur, testatur Cic. *in orat. contr. nullum.* Sed & lex † Solonis ab Atheniensium ciuitate, solis exceptis exulibus omnes peregrinos arceri voluit, vt Plutarch. in Solone scribit.

Et fuit aliquando Athenis (vt Demosthenes in orat. contra. Eubulidem refert) ad ciuitatem peregrino communicandam sex millia ciuium occultis suffragijs consentire necesse.

9 Indi † quoque Sinarum populi Hispanis intimos regionis aditus indicta capitali pœna vetuerunt. Nam ne moribus imbuti externis paulatim ab institutis maiorum abducerentur, quam difficillime exteros in suas vrbes admiserunt, *vt libro vndecimo* scribit Oro-
10 sius. Si qua v. in repub. etiam peregrinos admissos susceptosq, in ciuitatem legimus plerunq; peregrinorum & incolarum officio fungi cogebantur, hoc est, nihil ipsis præter negocium suum agere concedebatur, vt Cicero *in offic.* testatur. Ciuibus vero semper aliquid

ampli-

semplius quam inquilinis tribuebatur. Sic quamuis dicta lex Solonis, qua peregrini in ciuitatem ne reciperentur, cautum erat, paulatim antiquata fuerit, ciues tamen Athenienses à tributis † omnibus immunes remansere: à peregrinis vero tributum singulare, quod Demost. teste, *in orat. cont. Nearam*, μετοίκιον vocabant, exigebatur. 11

Sed † & testamenta ciuibus Romanis nō item peregrinis condere licebat? aut si cui quid à peregrino legatum erat earum rerum quæ extra patriam quæsitæ fuerant, caducum factum legatum & Principis fisco addictum fuisse constat. *l. 1 pr. ibi, qui sunt ciues Romani. ff. ad l. Falcid. l. 1. §. 2. de leg. 3. l. 1. §. 1. & 2. ff. qui testam. fac. poss. l. Sunt quidam, 17. §. 1 ff. de pœn. l. idem est. 13 §. & deportati. ff de milit. test. l. 1. § pen. ff. de iis quæ pro non script. &c.* Quod quidem ius & Gallis & Italis fere omnibus & Siculis, imo etiam Asiaticis & Africæ populis commune est, de quo late Bodin. *lib. 1. de rep. 6.* 12

Porro etiam † in plerisque Germaniæ regionibus, & præcipue Bohemia ac pene tota in Italia, sicut Ferrariæ, ne glebam quidem agri dominii iure peregrinis habere fas est, vt testatur Alex. *cons. 157. nu. 2. vol. 2.* Nec possessionem prædiorum Perusinorum motibus accipere peregrinis concessum esse tradit Ancharan. *in cap. canonum statut. ex. de constit.* Ac nec vsumfructum quidem Mediolani (vt idem Alex. *cons. 198. vol. 6.* refert) nec cum pergrinis connubia contrahere, indicta publicationis bonorum pœna, licet vt habetur in consti. Mediolanensium sub. rubr. de pœn. Porro Venetias annos prius 14. incolare peregrinos necesse est, † quā plebeiorum ciuium iura adipisci possint. Nam ab imperiis. & omni suffragiorum iure perpetuo arcentur. Bod. d. c. 6. Ferrarienses autē decennio contenti sunt, modo incolæ eadem, quæ ciues tantisper onera subeant. † Denique vbique fere à muneribus publicis ac præcipue magistratibus peregrini repelluntur. † Vbicunque vero sine numero atque discrimine peregrini aduenæ & inquilini ciuitate fuerunt donati, magna † ex parte seditiones commotæ sunt: sæpe etiam indigenæ ab aduenis expulsi. Sic enim Achæi & Trœzenii in Peloponeso populi Sybarim Italię vrbem in Thurino agro sitam, simul inhabitantes: cum Achæi in maiorem numerum excreuissent, ipsos Trœzenios, à quibus recepti erant expulerunt Vnde (vt inquit Philosophus) scelus sybariticum natum est. Idem in Thuriis ipsis quoque Sybaritis accidit cū suis inquilinis: Nam cum agri tanquam sui, ma- 13 14 15 16

iorem sibi partem vendicarent, exorta seditione, superati pulsique sunt. Et Bizantini Constantinopolitani in Thracia, advenarũ in se deprehensis insidiis eos commisso prælio vrbe depulerunt. Antissæi quoq; in Lesbo insula ab vrbe Antissa sic cognominati, ex Chio vrbe in Ionum Insula exules, quos in ciuitatem receperant, armis itidem eiecerunt. Similiter Zanclæi cum Samios recepissent, ab eis superati & eiecti sunt. Et Apolloniatæ qui sunt ad pontum Euxinum in Mysia regione, cum advenas intromisissent, seditionibus laborarunt. Et Syracusani post tyrannica tempora, cum peregrinos & mercenarios ciuitate donassent, seditionibus agitati sunt, & ad tumultus ac bellum deuenerunt. Et Amphipolitę in Macedonia receptis Chalcidensibus ex Thracia colonis, ab iis fuerunt plerique eorum eiecti.

Sed quid in his externis & antiquis ab Aristotele. *d. lib. 5. de rep. c. 3.* memoratis repetendis hæremus? Nonne populum Dei admissi hospites, vt sentes & spinæ vulnerarunt? Certum est Salomonem peregrinis fœminis in idololatriam incidisse. *3. Reg. 11.*

Quapropter omnino noxii sunt in repub. peregrini, ac si aliud non nocent, ad minimum antiquos & optimos indigenarum mores sua consuetudine corrumpunt & deprauantur: quam solam ob cau-
17 sam Lycurgus (vt de eo Plutarch scribit) auri † & argenti vsu Lacedæmoniis interdixisse videtur. Et nonnullis à finibus peregrinos arcere, atque etiam fines prætervectos siue belli siue pacis tempore eiicere licere. *d. cap. 6.* Bodinus scribit. Et certe hanc ob hanc causam non prudenter minus quam iuste Hispani aliique passim etiam in Imperio Romano, Principes ac ciuitates à suis finibus & mœniis Iudæos depulisse videntur.

Quandoquidem ergo tam periculosum peregrinos in vrbem vt incolas tantum admittere, vel etiam plebeiorum ciuitatis iure donare: quanto periculosius de illa agi Repub. existimandum est, in qua etiam muneribus ac officiis publicis præficiuntur: & quam periculosissime de illa, in qua propter aduenas nati ac domestici ciues negliguntur; certe vtroque casu in maius atque maius periculum excrescere ipse Aristot. lib. 8. pol. 3. arguit. Et Cicero quamuis inter alia scriptum reliquerit: [Male qui peregrinos vrbibus prohibent eosque exterminant, vt Pennus apud patres nostros & nuper Papius]
18 fortè non satis tum† perspiciens quæ mala à peregrinis pendeant? tamen ciues in repub. potiores quam peregrinos, & propinquos potiores

tiores quam alienos haberi debere, idem in Lælio existimat. Neque ab hac sententia est alienus Plato *lib. 12. de legib.* cum inquit: ἡ ξένων ὑποδοχὴ τοῖς μὲν εὖ πολιτευομένοις διὰ νόμων ὀρθῶν βλαφὴν φέρει μεγίστην πασῶν. Estque eadem doctrina Cyri filio Cambysi apud Xenophon. data, Κυροπαιδίας.η. εἰ καὶ ἄλλους τινὰς πειράσῃ συμφύλακας τῆς βασιλείας ποιεῖσθαι, μηδαμόθεν πρότερον ἄρχου, ἢ ἀπὸ τοῦ ὁμόθεν γενομένου. καὶ πολῖται τοι ἄνθρωποι ἀλλοδαπῶν οἰκειότεροι καὶ σύσσιτοι ἀποσκήνων.

Quam etiam † vetustatem laudabiliter secutam esse, Valer. *lib. 1. titul. de auspiciis* testatur. Auspiciis (inquit) patriis, non alienigenis rempub. administrari debere, antiqui iudicabant: atque ita demum rempub. saluam atque incolumẽ consistere diu non aliter posse iterum Plato *dialog. 7. de repub.* scribit. Et probat Guilihel. Benedict. *in cap. Raynutius. p. 1. verb. & vxorem nomine Adelasiam. decis. 5. numero 490.* vbi in Gallia à Carolo VII. Rege ita quondam constitutum ait. 19

Cæterum Bartholom Chassanæus, *in cathalogo de gloria mundi, part. 2 consideratione 44. §. quartum eius origo, &c.* inter decem in eligendo magistratu potissimum consideranda & attendenda, (quæ etiam scripta sunt in glossa rubricaria *Cod. quemadmodum ciuilia munera indicuntur, lib. 10.* & referuntur à Cæpolla, *in tract. de Imperatore, in fine, vers. circa hanc, &c.* & Iohan. de Platea *in dicta rubr.*) numerat etiam incolatus Originem, vers. vel etiam incolatus. per *l. 1. & l. ciues, C. de incolis. & l. in filiis. & l. exemplo. C. de de decurio. lib. 10.* nedum natalium siue ingenuitatis.

Iam † vero siue etiam in repub. magistratib. aduenæ & peregrini non æque cum natis ciuibus præficiantur, aut omnino ab his repellantur, tamen non minus graue eorundem neglectus atque contemptus incommodum reipub. parit atque creat. Nam cum semel peregrinis aditus in vrbem omnibus patefactus fuerit: in qua sensim opes & incrementa acceperint, cœperintque opibus ac potentia natis ciuibus esse pares, ab honoribus & imperiis omnibus arceri se ac prope in ergastulum ciuitatis detrudi grauissime ferent. Tunc vero si quamcunque ab optimatibus illatam sibi iniuriam censebunt, aut tributorum pondere aliove grauati onere fuerint, protinus ad arma concurrent, ac dissidentes inter ipsos optimates de imperio deiicient. 27

ſdotibus & ingenio antecellit, cæteris imperet; † qui minus induſtria valet, meliori pareat. 25

26 Quam † ad legem etſi ſumma imperia non dirigantur, propter ancipites eligendi caſus, hæret tamen hominum mentibus inſculpta, vt qui ſe non indignos honoribus exiſtimant, ægerrime ferant, ſi adſcitis deterioribus repulſam ipſi patiantur.

Quamobrem quoties fere à Principibus & magiſtratibus in Respub. adminiſtratione vel procuratione aduenæ negliguntur neque etiam cum indigenis adhibentur: ab animis contumelia incenſis magnas offenſiones, tempeſtates & turbas naſci neceſſe eſt. Namque ſic Corcyreorum plebs, † quæ ex peregrinis coaluerat, patricios ac optimates, initio belli Peloponeſiaci, comprehenſos in vincula coniecit, quos poſtea (vt apud Tucydidem legimus) crudeliſſime trucidauit, eamque optimatum cladem imperii ſecuta conuerſio eſt. 27

28 Atque idem modo memoratis Rebuſpub. † Samiorum, Sybaritarum & cæteris contigit, quorum optimates, cum peregrinorum multitudinem ſine imperiis & honoribus in ciuitatem admiſiſſent, ipſi de imperio deiecti, ciuitate expulſi, boniſque omnibus ſpoliati, & magna parte cæſi fuerunt, *vt lib. 5. polit. cap.* 4. Ariſtot. tradit. Quorum quidem nihil eſt in Venetorum Republ. Bodini coniectura metuendum: in qua ſoli patricii honoribus ac magiſtratibus fruuntur, cæteris tum nobilibus, tum plebeiis, qui ab ipſis citadini vocantur excluſis.

29 Quamobrem ſecundum aliquorum ſententiam magiſtratus omnes, qui iuri dicũdo præſunt, † quique vltionem aliquam in ſontes exercent, debent eſſe peregrini domeſticis non æquales tantum, quod alias inæqualitas diſſidia inter ciues, natos & factos excitat: ſed etiam potiores. Nam, vt ipſi dicunt, ſimultates inimicitiæ atque odia inter ciues oriuntur, cum ciuis in conciuem animaduertit. Alia autem ex parte faciliores & ad gratiam & clementiam proniores conciues inter ſe ſunt, quam ſi res à peregrinis agatur: qua quidem ratione adducti plerique Italiæ populi eiuſmodi magiſtratus aliunde accerſire conſueuerunt. vt teſtatur Franciſcus Patricius Senenſis. *lib. 3. de inſtit. reipub.*

Verũ ego (si quid modo pro mea leui experiẽtia iudicare possum) iudico, rite alias constituta politia, legibus & moribus cunctis probe auscultantibus, longe melius atque commodius tum ciues quam peregrinos imperaturos. Quod quidem non solum ex Romanis, Charthaginensibus, Lacedæmoniis, Atheniensibus aliisque compluribus, omnibus magistratus suos ciuibus potissimum & indigenis commendantibus, intelligi potest. Verum etiam ex inclyta Venetorum republica, in qua peregrinis nullus est locus, & tamen nec seueritas deest, & ex illorum iudiciis, nullæ discordiæ, nullæ seditiones, nullæque simultates aut inimicitiæ oriuntur.

30 Atqui certè vnum de Repub. Venetiana † dicere possumus, quod forte nusquam alibi de alia repub. aut lectitare aut videre est: quod videlicet ordo ciuitatis Venetiarum primus ac vt à primis conditoribus est constitutus semper mansit idem, & mutatus est nunquam qui hodie quoque durat.

Nam qui eam vrbem fundarunt primum atque ædificarunt inter se hoc sibi præcipuum, quasi in laborum suorum præmium reseruauerunt, & hanc hæreditatem posteris reliquerunt, vt in auita vrbe imperium retinerent ipsi, nec vllum ad magistratum colonum peregrinumque admitterent. Et ita apud eos quoque obseruatum est, iam pene annis mille. Quocirca posteri illorum, qui eam vrbem ædificarunt, semper reipub. præfuerunt: & senatores, patricii, ac nobiles appellati sunt: reliqui autem omnes plebei.

31 At bilem † hoc semper peregrinis mouebit, instas; & ex eo alienigenorum indigenarumque concordia diuiditur, sit ita: æquior tamen est indigenarum causa, eorumque in patria contemptus periculosior iniquior atque grauior. Ipsum etiam eorundem magistratum, quam peregrinorum, plerunque tutiorem ac Reipub. salutarem magis ac felicissimum euenisse multis præclarissimarum rerum publicarum exemplis constat.

32 Sic namque Romani † veteres (quorũ sapientia documento esse debet) non modo peregrinos, sed ne socios quidem ipsos ac prope consanguineos Latini nominis in senatum admittebant: imo illis petentibus, vt senatus æqua pars ex vtraque gente esset, vt consociato imperio alter consul Roma, alter ex Latio crearetur, bellum quam eam pacem maluere, in qua peregrinum senatum, peregrinos

con-

consules, Romę essent visuri. *vt lib. 23.* Liuius testatur. Iterum (eo-
dem *ibidem* teste) post cladem Cannensem, qua consulares aliquot,
prætoriiq; & ædilitij cum senatorib. LXXX. ceciderant, quũ maxima
in curia solitudo esset, & tantum senatorum numerũ aduersæ pu-
gnæ, adhoc sui quemq; casus, per quinquennium absumpsissent, de
ea re M. Pomponius prætor ad senatum retulit. Tum Sp. Caruili-
us cum longa oratione, non solum inopiam, sed etiam paucitatẽ
ciuium, ex quibus in patres legerentur, conquestus esset: explendi
senatus causa, & iungendi arctius Latini nominis, pro magna re se
suadere dixit: vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus,
quos patres Romani censuissent, ciuitas daretur: atque in demor-
tuorum locum legerentur. Verum eam sententiam haud æquiori-
bus animis, quam ipsorum quondam Latinorum postulatum au-
dierant Patres, & cum fremitus indignantiũ tota curia esset: & præ-
cipue Manlius; Esse etiam nunc stirpis eius virum ex qua quondam
in Capitolio consul minatus esset, quem latinum in curia vidisset,
eum sua manu se interfecturum, diceret tum: Q. Fabius Max. nun-
quam rei vllius alieniore tempore mentionem factum in senatu
quam inter tam suspensos sociorum animos incertamque fidem id
factum, quod insuper sollicitatret eos, subdidit: Eam vnius hominis
temerariam vocem, silentio omnium extinguendam esse: & si quid
vnquam arcani sanctiue ad silendum in curia fuerit, id omnium in
maxime tegendũ, occulendum, obliuiscendum, pro non dicto ha-
bendum esse. Sed † quid veterum Romanorum exempla 35
obsoleta æuo quærimus? Minimæ hodie quæque ciuitates pari
more ac iure rempub. suam administrant. Non .n. Venetiis tantum,
vt modo dictum est, sed etiam Genua aliisque Italiæ vrbibus liberis,
sed & in Germaniæ plerisque ciuitatibus, vt Argentorati, Norin-
bergę, Augustæ, Francfordiæ, Magdeburgi & cæteris, quin etiam
in tredecim Heluetiorum pagis mos hic religiosissime obseruatur:
ne sc: ad munia Reip. peregrini admittantur, imo sæpe etiam adue-
nas apud se habitare tantum non sinant.

Neque † porro minus est, quam ciuitatibus etiam Imperatori 36
Romano, Regibus ac Principibus vtilissimum, diuersarum & pere-
grinarum gentium subditos sibi populos, cuiq; populares & indi-
genas quibus regantur, præficere magistratus, nec alienigenas, etiã
qui suæ gentis ac nationis sint, inuitis illis obtrudere. Nam supra
dictis

dictis de causis vel maxime, quando à Regib. & Principib. indigenæ aduenis in Reipub. procuratione postpositæ sunt, incensis quasi contumelia subditorum animis seditiones, turbas, cædes secutas legimus.

Sic enim (vt annales Gallici habent) cum anno cIↃ. C. LXVIII.
37 Guilielmus Siciliæ Rex Cancellarii † dignitate non Siculum, sed sui ortus videlicet Gallum hominem, & quidem tanti muneris bene capacem auxisset; regni proceres indignati peregrino in sua terra tantum esse potestatis, tantumque magistratum neglectis ipsis natis ac domesticis, nouo & externo homini, demandatum esse, hoc veluti sibi contumeliosum arcere ferro factum statuerant. Neque Cancellario solum, verum etiam omnibus in Sicilia, Apulia, Calabria degentibus Gallis expulsionem vitæque perniciem machinabantur. Namq; secretis per omnia oppida & municipia nunciis emissis populares omnes & quoscunq; coniurationis conscios hortabantur, vt pro se quisque signo dato in Gallos omnes vi irruerent & trucidarẽt. Quod & factum est, nam vna literarum significatione per vniuersam Siciliam, Apuliam, Calabriam, Galli vno die omnes misere enecati sunt. Adeo autem exinde Gallorum Siculi fuerunt impatientes, vt in cædem atque odium eorum etiam posthac proni semper manserint. Nam & anno cIↃ. CC. LXXXII. coniuratum est ab iisdem Siculis aduersum Gallos, & consilio decretum, vt in ipso die solenni Paschæ ad primum signum campanæ, quo vespertinæ preces (vesperas vocant) significantur, per totam Siciliam hospes hospitem
38 Gallum interimeret. † Neque ea tantum cædes cupide patrata est, sed ab odio iraque furentium latronum & carnificum Siculis mulieribus, quas Gallorum congressu grauidas esse suspicabantur, exsecti vteri, fætus solo allisi sunt, ne quid vsquam Gallici sanguinis superesset. Hanc horribilem cædem vesperas Siculas nuncuparunt. Hoc funestum exemplum Italogalli non in Sicilia, sed in ipso Galliæ sinu, secuti, anno cIↃ. IↃ. LXXII. per nobilissimas regni vrbes ingentem stragem edidere, qua magna mortalium vis virilis muliebrisque sexus, senes & iuuenes, puerique consumpti sunt. Atque † vt tam insignis victoriæ monumentum extaret Matutinarum Parisiensium nomine, memorabilem fecere.

39 Similiter in Galliæ regno (quod & ipsum Galliæ annales testantur) anno 607. Palatii magister peregrinus belli ciuilis causam præbuit.

bui. Cũ enim † Brunechildis Hispana mulier Galliæ Regina vidua 40
Longobardum quendam Protadium nomine, quem in delitiis habebat, Palatii magistrum seu Præfectũ h.e. totius Regni Procuratorẽ constituisset: ille vero Principes & proceres regni pro se despicere; tum etiam inexhausta auri cupidine ardens, manubiis & rapinis miseros exagitare atque vexare Gallos cepisset: tandem nobilium iuxta & plebis odio flagrans arrepta causa ex procerum consilio capite damnatus fuit. Nam certabant forte eo tempore Theodebertus & Theodoricus Brunechildis filii de opibus & imperio: eos autem in concordiam redigere Proceres summa ope & industria nitentes, solus impediebat Protadius. Satius itaque duxerunt illi, iactura vnius aduenæ, qui vnus pacem morabatur, bellum intestinum finire, quã tot viros nobiles mutuis sese cladibus atterere. Quare obtruncabãt Protadium.

Ochozias † Rex Iudę, Athalię, Samaritanæ mulieris, filius cum 41
suasu matris, præcipue Samaritanis regni munia, probis ac sapientibus quos domi habebat viris præteritis, accitis hominibus invisis & qui peregrinis atque incestis sacris ritus patrios mutauerant, maturam ipse sibi perniciem conciuit. Nam cum Iehu Achabi fratris Atheliæ domum subverterat, propinquos quoque & amicos eiusdem, ac inter eos etiam ipsum Ochoziam vniuersa propemodum cum stirpe sustulit, vt habetur, *2. Reg. 10. & 2. Chron. 22.*

Asuerus, Persarum † & Medorũ Rex Amanum, minime Per- 42
sicæ stirpis hominem sed Macedonem, inter præcipuos amicos aliquando extulerat. Is autem cum opibus & gratia apud Regem polleret, non Mardochæum tantum, cui peculiariter infensus erat, sed omnes quoque Iudæos, impetrato à Rege funesto edicto, tollere è medio destinauerat. Verum edocto Rege Mardochæum de se optime meritum, non modo tum crudele edictum antiquauit, sed Amano quoque (qui tot victimas sæuitiæ suæ immolare decreuerat) laqueo gulam frangi iussit: ipsius opibus atque honoribus in Mardochæum translatis, vt legimus in lib. Esther. *cap. 6. 7. 8. &c.*

Alexander † Rex Epeiri cũ in Italiam à Tarentinis accitus esset, 43
multasque Brutiorum & Lucanorum cœpisset vrbes, ducentos fere Lucanorum exules apud se pro fidis habebat: vt pleraque eius generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. Nam cum ad suos ciues nuncios misissent, pacto reditu promiserunt, re-

gem aut viuum aut mortuum in potestatē daturos. Itaq; cum ad Acherontem amnem peruenisset cuius forte pontem ingens vis aquæ abstulerat, eumq; incerto vado transmitteret, iam prope egressum, eminus veruto Lucanus exul transfigit. Inde ipsum cum telo corpus exanime amnis in hostium præsidia detulit, vbi fœda corporis laceratio facta. Atque hunc Alexandro Epirotæ nimia peregrinæ fidei crudelitas tristem euentū attulit, teste Liuio. *decad.1.lib.8.*

44 Inter† Ioannem Galliæ & Eduardum Angliæ reges pax ita (Frossardo *lib.1.cap 116.* teste) conuenit, vt Ioannes summum ius imperiumq; Aquitaniæ in Eduardū transferret. Cum igitur Aquitania in Eduardi ditionē concessisset, eam Cambriæ principi maximo filiorū possidendā tradidit. Is cum Burdegalæ regię suę sedē locasset, eo certatim confluxere Aquitaniæ primores & Vascorum nobilissimi, cum vt hominia & fidelitatis iusiurandum præstarent, tum vt se ei per omne officii genus gratos acceptosque redderent. Eos quidem Princeps (cui multa dexteritas & humanitas inerant) benignè ac comiter quidem alloqui & in consuetudinem admittere: verum dignitatibus & præfecturis vrbanis ac militaribus solos Anglos, quos frequentes secum habebat ornare. Illi cum cupidini & sumtibus modum non facerent, neque minore comitatu, cultu, paratu quam indigenarum potentissimi conspici vellent, licentius alieno vtebātur. Itaque cum & nobiltas ab honorum aditu arceretur, & à magistratibus Anglis multa libidinis & auaritiæ exempla in plebem & oppressos ciues ederentur. atque insuper etiam nouum tributum indicere Princeps vellet: omnes Aquitaniæ vrbes aliæ aliarum exempla imitatæ ab ipso defecerunt. Ita breui Anglus ditionem illam cunctam amisit, quia cum aduenas indigenis præesse & ius dicere æquum censeret.

45 Similiter† (vt idem Frossard. *lib.1.cap. 311.* scribit) Ioannes minoris Britanniæ Dux, cum ex Anglia vxorē duxisset, Angli partes summa ope fouebat. Id cuncta nobilitas Britannica permoleste ferebat. Ergo tali animorum habitu tres totius prouinciæ nobilissimi (Clisso, Lauallius, & Rohanus) in eam, ipsum cum adissent, sententiam allocuti sunt.) Plane ignoramus (Princeps) quid tibi in mentem venerit, quamobrem adeo enixe Angli partes tuis opibus adiuues. Minime te fugit, clientes nos esse Regis Galliæ, & Britanniæ ducatum à regno & nomine Gallico pendere. Quamobrem te vehementer

menter oratum volumus, vt fœdere ac ſtudio in Anglum abiecto, Gallicam ſocietatem amplectaris. Quod ſi tibi perſuadere non poſſumus, noſtri obſequium potius, quam Principis noſtri Galliæ Regis exuemus. Quibus dictis Dux dolore incenſus: Erepta Aquitania grauem a Gallo Angliæ Regi iniuriam fieri, dixit & exinde popularium fidei diffiſus, miniſtros ſibi præfectos vrbanos & militem præſidiarium ab Anglo petiit. Quibus ab Anglo miſſis Britanniæ proceres indignati ſuam fidem ſuſpectam eſſe & Anglorum præferri, priuſquam illi appellerent maturandum rati, vrbes arces & loca munitiſſima priores occupant, In eas anguſtias Dux reductus patria excedens in Angliam traiecit. Ita ille Britanniæ Dux ſolum vertere coactus eſt, quod ſeipſum & munia patriæ externis potius quã popularibus crederet. Incredibile porro eſt, quanta celeritate (vt Commin. † *lib. 7. ca. 14.* teſtatur) Carolus VIII. Neapolitanum re- 46
gnum propemodum ſine vlla militum iactura ſubegerit: & quanta lætitia Regem exceperint Neapolitani, longa & dura tyrannide Ferdinandi & Alphonſi regum defeſſi. Minimo negotio poterat Rex, quamuis adoleſcẽs (ſi lectos & idoneos homines, quibus deſtitutus erat, in conſilio habuiſſet) nobiliſſimum illud regnum in obſequio retinere, quando omnis vltro nobilitas ac populus deficientes ab Aragonica domo ſe in Regis fidem ac clientelam dedere. Maxima igitur erat tunc omnium hominum gratulatio, ac propter depulſam tyrannidem lætitia. Sed tot ſecundarum rerum vberrimus prouentus breui ſpacio euanuit, magno Regis ac Reipub. detrimento. Quippe Galli repentina felicitate incautius & licentius vſi, nobilitatem indigne tractare cæperunt. Quin etiam Rex ipſe nulla habita ratione Neapolitanæ nobilitatis omnia munia omneſque dignitates Gallis attribuit, paſſimque præfectos conſtituit; è quibus plerique cupide & auare, nonnulli etiam parum bona fide rem adminiſtrabant. Quare nobilibus quos offenderant ad defectionem cæteros impellentibus mature regno ille Carolus iterum excidit.

Poſſent addi plura exempla quibus peregrini magiſtratus vbique periculoſiſſimi demonſtrari poſſent, & ſimilia multa congeſſit bonus author † aduerſus Machiauellitas in commen. 1. cap. vlt. Vni- 47
cum ex eo addere placet. Ludouicus Pius, Caroli Magni filius Regii præfecti dignitate Berardum quendam Hiſpanum ornauit. Eum immodice ſeſe efferentem, tres Regii adoleſcentes,

adolescentes, Lotharius, Ludouicus, Pipinus, impatientes æmuli ferre cum non possent, in ipsum Regem patremque iram conuerterunt. Coniurati ergo patrem filii capiunt suessiones abducunt, seque abdicare regno galliæ cogunt. Et quamuis postea restitutus fuerit, nunquã tamen in tantum discrimen dedecusque Rex nobilissimus incidisset, si non nimia facilitate & imprudentia lapsus, peregrini hominis fastigium supra populares & indigenas extulisset.

Quocirca peregrinos aut omnino nullos, aut saltem non indistincte omnes in rempub. bene constitutam assumere satius est, quam assumptis honores & magistratus communicare, vt natos ac domesticos ciues facilius opprimant, qui peregrinum imperium ferre nullo modo possunt. Neque etiam ipsi peregrini, cum in prouincia aut vrbe quapiam humaniter excipiuntur, protinus Reipub. negociis, se immiscere debẽt & honores appetere, eoque indigenarũ aduersus se inuidiam odiumque concitare, sed benignitatis acceptæ memores grati acquiescere, & submissione potius atque obedientia sua quam ambitione se ciues bonos & vtiles probare.

Neque vero indigenis quibusuis potius quam alienigenis honores & munera publica sunt conferenda, sed potioribus tantum, & qui possint commode patriæ reipub. præesse.

88 Est† ergo in qualibet bene ordinata politia maxime necessariũ tales ali & educari homines, qui aliquando non originis tantũ ratione adeoque patriæ amore digniores magistratibus habeantur, sed etiam virtutum suarum ac experiẽtiæ laude conciues ac populares suos vincant, peregrinis vero in nullo cedant. Tales vero vt plurimum ex illustribus & honestioribus familiis pullulant, & de generoso generosi semine procreantur. vt paulo post docebitur. Vt igitur antiquæ virtutis nomine preclaræ familiæ conseruentur, propagentur & stabiliantur, reipub maxime interest. At interirent illæ breui vt multæ hactenus (quod dolendum est) exiliere. multiplicatis inter masculos & fœminas hereditatum adeoque familiaris amplitudinis potentiæ & magnificentiæ diuisionibus; quibus iteratis etiam amplissima ac potentissima domus facile vilesceret. Quamobrem arcendæ sunt à successionibus fœminæ, quo facilius possint masculi auitis facultatibus aucti etiam in auitis virtutibus laudabiliter sese exercere, & iis aliquando communi patriæ prodesse.

CAP-

CAP. XXXVII.

De potioribus & ditioribus, hoc est, genere, virtute & diuitiis pręstantioribus, in muneribus & honoribus Reipublicæ præferendis in genere tractatur. Tum vero in specie cum primis Nobilitatis esse rationem habendam, & semper nobiliores in magistratus deligendos, I. antiquitatis exemplis. II. ab ingenuo Nobilitatis sensu. III. textibus iuris probatur.

SVMMARIA.

1 *Non sufficit officiales reipub. esse viros indigenas: sed vt sint etiam genere, virtute & diuitiis præstantes, requiritur.*

2 *Viri ad munia publica tam perfecti & idonei, non in plebe, nec ciuium mediocritate, quamuis alias virtute & diuitiis, satis pollentes; sed in illustribus & nobilibus antiquitatis familiis præcipue reperiuntur.*

3 *Semper nobiliores & patricii (si tamen virtute simul præstent) in magistratibus sunt ignobilibus præferendi.*

4 *Ita Athenienses & Romani olim obseruabant.*

5 *Lex Romuli: Patres sacra magistratusq́; soli peragunto ineuntoq́;: plebeii agros colunto.*

6 *Ita etiam Hebræi & Epidaurii obseruabant.*

7 *Item Rex Nabuchdonosor, de semine Regum atque Principum suos sibi proceres, & qui essent sine macula, deligi voluit.*

8 *Plerunque nobilis nobilem gignit.*

9 *Talis præsumitur filius, qualis est pater*

10 *Distorta facies, plerunque etiam distorti ingenii est iudicium.*

11 *Nobilitas est generis virtus Aristot.*

12 *Vilis, qui vilem sibi admouet.*

13 *Etiam Iurisconsulti qui genere nobilis est, eundem animo nobilem præsumunt.*

14 *Iuris textibus idem probatur.*

15 *Singulari nobilitatis priuilegio fit, vt habeatur fides maior nobili, quam ignobili.*

16 *Promissio Principis alicuius sub fide principali: æqui pollet ignobilis iuramento corporali.*

17 *Textibus iuris, nobilioribus munera publica esse conferenda probatur.*
18 *Honor & dignitas munerum à contagione plebis est segreganda.*
19 *In honoribus & magistratib. deferendis, inprimis persona & natalium origo eius, cui deferuntur, considerari debent.*
20 *Etiam Moyses nobiliores ex populo Israelitico, Principes illi Tribunos atq; Decuriones constituit.*

POrro vero quos commode præficiamus Reipnb. vt videlicet iudicia & magistratus, dignioraque & potiora in ciuitate munia subeant? ius dicant & regant. præmia merentibus & pœnas delinquentibus decernant, tribuant: ad incrementum ciuitatis spectare quæcunque videntur vt procurent, promoueant, aliaque omnia faciant, egregie quæ perfecta honorem publice merentur: hæc videlicet omnia quibus rite demandemus, non sufficit eos esse viros, non fœminas; esseque indigenas & natos, † non peregrinos, aduenas aut
1 factos ciues: sed amplius etiam tales eos esse requiritur? quorum non sint obscuri natales parentumque vilitas impositi muneris delatique honoris derogatoriæ, eorumque contrariæ authoritati: sed potius quibus genuina sanguinis nobilitas maiorem afferat addatque honori ex munere aduentitio dignitatem atque splendorem: & quorũ tum tanta sit virtus quæ demandati officii molem firmiter sustinere, tanta experientia & scientia rerum, qua in arduis intelligere solide atque discernere; tanta prudentia, qua scitè regere & res quascunque optime disponere: tanta animi magnitudo, qua onera & pericula ferre fortiter atque perferre, tanta deniq; sit opum vis domique copia rerum, qua rebus publicis cum dignitate & sine paupertatis sorde, nec non sine domesticæ necessitatis damno atque impedimento
2 præesse ac superesse possint. Tales † autẽ non sane vbiuis & in qualibet ciuili hominum societate obuios habes, sed dilig nti hic inquisitione, exacto delectu opus est, examen ciuium singulorum ad amussim instituendum. In vulgari & infima plebe non, no isti, hos reperies: siue nobiles, siue diuites, siue virtuosos petieri; in mediocri & honestioris conditionis ciuium ordine, diuites forte satis, at non æque genere vel virtute sufficientes: forte etiam genere sat nobili, at non similiter vel virtute vel diuitiis potentes: forsan & virtute præpollentes, non autem simulatque vel opibus vel natalibus præstantes. At quid, si etiam genere quidem ac virtute, non vero diuitiis

tiis iuxta sufficiant aliqui, vel etiam diuitiis & genere, non æque vero decenti virtute præstent: vel denique virtute quidem ac diuitiis satis idonei; natalibus autem viles nimis atque obscuri sint? Certe adhuc perfectos eos atque publico munere vel honore dignos, si modo, qui tribus his simul dotis, genere, virtute & diuitiis condecorati, supersint, non dixerim. Virtus quidem separata ac sola per se honore semper digna est; at dignior qui etiam nobilitate generis & opulentia rerum excellit.

Vbi ergo tam perfectos vbi tam idoneos ad magistratus & munera publica nos inuenire putas? nimirum in illustribus ac nobilibus familiis atque in venerabili patriciorum ordine hos quæramus necesse est; hi præ aliis sunt natalibus clari; hi antiqua generis virtute splendent, suntque virtuoso maiorum sanguine, bono animi genio quasi natura imbuti; atque hi denique nulla rerum necessitate, non egestatis sorde premuntur, sed plerique ferè omnibus hic inferius ex voto rebus affluunt, & sunt inter ciues ditissimi.

Quandoquidem ergo in quouis deligendo magistratu, vel munere publico alicui conferendo, † secundum supra à nobis di- 3
stinctos nobilitatis gradus, semper sunt, si haberi possunt, in repub. vel ciuitate nobilissimi, hoc est, & genere, & virtute, & potentia præstantissimi, inferioribus præferendi; tum his deficientibus nobiliores, scilicet genere & virtute nobiles, & denique nobiles hoc est virtute tantùm præcipui eligendi; neque viros solum eosque indigenas, verum etiam ex his omnibus potiores, hoc est, generosiores, virtuosiores atque ditiores tanquam digniores atque meliores, ad honores & munera publica merito seligimus. Atque hinc rursum atque denuo familias & ordines in repub. illustres ac nobiles omnino esse per fœminarum à successionibus exclusionem, hac videlicet antiquis & auitis familiarum bonis & facultatibus in iisdem conseruandis, tuendas, confirmandas, stabiliendas & propagandas concludimus.

Et id quidem, quod de genere nobilioribus & patriciis in hono- 4
ribus & muneribus reipub. præferendis diximus, ex antiquorum Athe-

Athenienſium & Romanorum imitatione eſt. Illi enim nobiles ἐυπατρίδας vocabant, quibus ciuitatis munia demandabant.

Ignobiles vero ἀγροίκους dicebant, quaſi agros habitantes. Romani quoque ex inſtituto Romuli nobiles patricios vocabant, quibus & munera ciuitatum commendabant. Ignobiles autem & plebeios colere agros, paſcere pecora & artes exercere quæſtuarias ſiue mercenarias iubebant. Author eſt egregius antiquitatis Romanæ ſcriptor Dionyſ. Halycarnaſſæus *lib. 2.* & idem propemodum traditum eſt à Plutarcho in Theſeo. Verba autem illius legis Romuli, quæ in Capitolio fixa erant, vt cœterarum legum hæc erant. Patres † ſacra magiſtratuſque ſoli perагunto ineuntoque: plebei agros Colun-
6 to. † Et id quoque apud Hebræos fuiſſe obſeruatum, vt nobiles in vrbibus, & ignobiles ruri habitarent. apertè D. Hieronymus oſtendit in prologo Eſaiæ, cum ſcribit: Eſaias in ſermone ſuo diſertus, quippe vt vir nobilis & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quicquam in eloquio ruſticitatis admiſtum. Sed & apud Epidaurios centum & octoginta ſenatores, quos Antynos vocabant, Rempub. in vrbe adminiſtrabant: plebs autem magna ex parte in agro agebat. vt ſcribit Plut. *probl. 114.* refert Tiraquell. *in tract. de nobil. c. 2.*

7 Eſt porro † idem hoc de nobilioribus ex populo ad magiſtratus deligendis, dogma politicum, etiam ex obſeruatione Babilonij Regis Nabuchdonoſor, cultiſſimi ingenii. Herois. Nam vt Dan. 1. habetur, poſtquam is Hieruſalem diuina obſidione tandem Dei voluntate in poteſtatem ſuam redegiſſet & occupaſſet, Magiſtro Palatii, Aſpenaz nomine, præcepit, vt ex Iſraelitis de ſemine Regum Principum & magnatum introduceret pueros, facie immaculatos, corpore & memoris integros, illæſos & robuſtos atque omnino aſpectu decoros: intellectu & indole pollentes & omnino latere Regis palatioque condignos. Animaduertit nimirum Rex prudentiſſimus, de regio ſemine & honeſtis liberabilibuſque parentibus prognatos plerunque etiam honeſtioribus & liberalioribus ingeniis eſſe præditos; fortes creari fortibus, nec ex columbis aquilas, vt ſup. quoque diximus. Nobiles igitur & magnatum filios magis quam plebeiorum exoptauit, vt pote quos etiam regno vtiliores maioremque afferre autoritatem ſciret. Sed & ne qui reci-

cipiantur, qui vitium babeant aut maculam, sed facie sint ingenua & honesta vultuque decoro; quasi etiam animo atque indole hi plerunque deformibus præpolleant. Quamuis autem non raro etiam obscuris ortis natalibus, præclaris sese nobilitent virtutibus: in deformosissimis quoque optima sæpe sese exercuerint ingenia: fit 8
tamen per frequenter, vt patres nobiles prudētes ac virtuosi, liberos quoque nobiles, prudentes ac virtuosos progenerent, vt testatur Accurs. *in l. nullus C. de decur. lib.* 12. & ex spuriis filiis liberos quoq; spurios procreari, vt author est idem Accurs. *in l. vlt. vers. consequentia. C. de naturalibus lib.* Vnde talis semper præsumitur filius, qualis pater; & talis filia, qualis mater, vt scribit Quintilian. *lib.* 5 *c.* 10. & tradit Specu- 9
lat. *in tit. de feud. § quoniam super. vers.* 5 *n.* 4. & faciunt *text. in l. non sunt. ff. de stat. hom. & in l. cum simus. C. de agric. & cens. lib.* 11. *& in nou. de referendariis.* 10. *in fi.* illique versiculi:

Sæpe solet filius similis esse patri:
Et sequitur breuiter filia matris iter.

Ad vitia vero vultus atque corporis quod attinet, plerunq; ea 10
certa sunt indicia distorti & corruptissimi ingenii: vt alicubi etiam Tiraq. admonet. Vnde forte propter certa aliquot exempla delectus non erit negligendus.

Magistratibus ergo & muneribus publicis nobiliores in primis sunt honorandi, quia ex melioribus non est improbabile procreari meliores, & ex nobilioribus prognatos magis comitari virtutem, *vt* 3. *polit* 8. Aristot scribit, Nam vt idem Philosoph. 2. *Rhet.* 32. 11
dicit. Ipsa † nobilitas nihil aliud est, quam generis virtus, cuius causa nobilitas apud omnes Reges & Principes, omnesque humaniores populos honorata est.

Et certe vilis ille, qui viles tantum sibi admouet: præcipuumque 12
indicium non magni Principis, magni liberti, vt dicit Plin.

Plane ex sententia censorum iuris, nobilitas animi ex generis nobilitate, & qui quicunque genere nobilis idem in dubio virtute 13
quoque nobilis præsumitur: ac nimirum semper, quo quis nobiliori stemmate prodiit, eo clariori indicio in eo animi rectitudinem præfulgere censemus, prout notant DD. *in l. inter claras.* 8. *C. de summ. trinit.* & Cynus *in l. prouidendum. C. de postulando.* Gayl. *in pract. obseru. lib.* 2. *c.* 27 *n.* 2. Ioseph. Mascard. *in tract. de probat. volum.* 7. *concl.* 1094. *num. quarto.* Tiraquell. *in illustri tractatu de nobilitate. c.* 20. *numer.* 21. Barthol.

Chaſſan *in conſuetud. Burgund. rubr. 4. §. 15. verſ. entre gens nobles.* And r. Alciat. *in tract. de præſumpt. reg. 1 præſumpt. 48.* & Iacob. Menoch. *tract. de præſumpt. lib. 5. præſum. 4. n. 6.* vbi nobiles genere, etiam animo innocentiores integrioreſque ſcribit *arg. l. quod ſi nolit. 31. §. qui mancipia. 19 ff. de ædilit. edict.* ad quod magis probandum ego adduco nouum & ſingularem textum *in d. nou. de referendariis 10. in fine.* vbi Imp. Iuſtin.
14 dicit, virtutem non quidem in multis, præcipue tamen in viris ex bonis patribus procedentibus apparere.

15 Porro hinc etiam maiorem fidem nobilibus quam ignobilibus Iuriſconſulti priuilegio nobilitatis tribuunt, eamque in his propter nobilitatis decus & ſanguinis generoſitatem tutiorem credunt, vt ſcribit Bonus de Curtili *in tract. de nobilit. part. 5. priu. 5. n. 26.*

Vnde cum quid à nobili viro promittitur, videmus id plerunque ſub nobilitatis fide. **Bey fürstlichen Ehren vnd Trewen/** promitti, quaſi nulla firmior ſeruetiorque habeatur quam fides viri nobiles, ſolique nobiles ſuæ fidei tam eſſent, quam ſunt ignobiles
16 præſtiti à ſe iuramenti obſeruantiſſimi. Ex quo etiam talis promiſſio præſertim à principe facta, **Bey fürstlichen Ehren vnd Trewen/** loco iuramenti habetur, nec aliter quam ſub fide principali, non vero vt alii, conceptis ſc: iuramenti verbis, iurant Principes, hocque ipſorum ſub fide principali conceptum præſtitumque iuramentum ei quod ab alio ſub animæ ſalute receptum eſt æquipollet. Cenſentur enim nobilitatis præſumptione verba principis firmiſſima, licet non iurata *c. ad Apoſtolica. & ibi.* Innocent. *ex de re iud.* Mart. Laud. *in tract. de Principib. n. 159.* Menoch de præſumpt. *lib. 6. præſumpt. 59. num. 2.* Mynſ. *in pract. obſeru cent. 1. obſ. 17. &* Gayl. *lib. 2. cap. 59.*

Conſequenter ergo, & propter hanc probabilem in nobilitate animi ingenuitatem, etiam in electionibus magiſtratuum, honorum, officiorum & aliis ſimilibus, nobilitatis cum primis rationem eſſe habendam & nobiliores ſemper præferendos iidem Iuriſconſulti omnes vnanimiter concludunt: in quo etiam multis præclaris iuris textibus nituntur.

Præcipue nou. *de defenſorib. ciuit. 15. cap.* ibi vniuerſi nobilio-
17 res ciuitatum habitatores † hoc miniſterium eis adimpleant, & in ead. nou *cap. 6. in fine.* ibi. Conuenit enim vnumquemque nobilium ſemper functionem agere ciuitatum. Et eſt ad idem hoc probandum bonus & notabilis text. *in l* 1. ibi. Ad illud autem negocium abitratu

ao

ac iudicio tuo, nobilis, prudens fidelis optime sibi conscius, pro integritatis meritis apponatur custos, &c. *C. de conditis publi. horreis. lib. 10.* & bon text. *in l. si cohortalis.12.§.vlt.C.de cohortalib. principib. Cornicularis, &c.* vbi Impp. constituunt, cunctos qui diuersarum rerum negociationibus detinentur, trapezitas sc. gemmarum venditores &c. à prouincialibus officiis arceri & remoueri, vt omnis honor atque dignitas à tali contagione segregetur. Huc etiam pertinet 18
quod I.C. Paulus *lib.1.sent.* scribit. Honores & munera publica potioribus quibusque iniungenda esse. *l. honores. ff. de decur.* Cui propemodum correspondet etiam rescriptum Imperatoris Antonini *in l. vn. C de potiorib. ad munera nominandis,* vbi si ipse ad munera ciuilia vocatus aliquis potiorum alium nominandum putauerit, ei causam suam aperire permittit. Similiter Ioannes Papa, *in extrauag execrabilis.22. in pr.* Regum filios propter eorum sublimitatem ac generis claritatem merito attolli, dicit. Et in specie decurionum honoribus fungi plebeios prohiberi. idem Paulus *in d. l honores.§ is qui 2. respondit.* Et de 19
honoribus siue muneribus gerendis cum quæritur in primis considerandam esse personam & natalium originem illius, cui honor vel munus defertur, ait Callistratus *in l. honor.14.§.de honoribus 3. ff. de muner. & honor.* Porro habet hæc in muneribus & honoribus nobilitatis prærogatiua etiam diuini vatis authoritatem. *Deut.1.* Cum enim multiplicato populo Israel non valeret Moyses amplius solus illius negocia pondus & iurgia sustinere, postulauit à populo & date, di- 20
xit, ex vobis viros sapientes, gnaros & probatos, tulitque is & sapientes & nobiles, & constituit eos principes, tribunos, decuriones populi. Est igitur tam sacro quam ciuili iure & elogio nobilium in muneribus & honoribus electio & præeminentia probata, atque insuper etiam grauissimorum scriptorum & Doctorum suffragiis communita & confirmata. Boni de Curtili. *in d. tract. de nobilitate part. 5. priu.10.n.33.* Barthol. Cœpollæ. *in tract. de Imperat. milit. eligendo. §. nobilitatis, num.23. & seqq.* Barthol. Chassan. *in Catbal gloria mundi. part. 8. consid. trigesima sexta.* Tiraquelli *in tractat. de nobilitat. c. 3. n. 19. vsque ad n. 24.* Menoch. de præsumpt. *lib.6 præsumpt.59. numero decimo,* apud quos alios plurimos allegatos reperies.

CAP. XXXVIII.

Post genus, de virtute in magistratu maxime necessaria tractatur: & nobiliores propter maiorem in illis quam in ignobilioribus præsumtam virtutem his esse in honoribus & magistratibus preponendos ostenditur. Vnde si genere simulatque virtute præstantes nulli sint, virtute præstantiores iis, qui genere tantum sunt nobiles, potiores esse habendos concluditur. Rursum virtuosis nobilibus nullis existentibus, etiam inter eos qui virtute tantum celebres sunr delectum aliquem esse habendum, & quidem eos qui animi integritate, iis qui abditarum rerum scientia tantum, qui vero hac vtraque simul, iis qui alterutra taetum præstant, esse præferendos, paucis subiicitur.

SVMMARIA.

1. *Propter virtutem pracipue nobiles ad magistratus eliguntur.*
2. *Virtus magis quam genus spectatur.*
3. *Virtus pracipue nobilitat, & generis nobilitas negligentia virtutis obfuscatur.*
4. *Virtus sine genere, est praferenda generi sine virtute tantum.*
6. *Virtus in omnibus Reipub. officialibus necessaria, etiam minimis*
7. *Melior est Respub. in qua Princeps malus, quam in qua mali Principis ministri.*
8. *In sola virtute vere viros nos gloriamur.*
9. *Melius est reipub. peccatores non praficere, quam cum peccarint damnare.*
10. *Non tantum virtus moralis, sed etiam abditarum rerum scientia nobilitat: magis autem illa: qui vero vtraq; pollet, is eo qui alterutra tantum, est nobilior.*
11. *In muneribus distribuendis, cuiusque quam addidicit disciplina & indolis ratio habenda est.*
12. *In aulis etiam viri docti & literati maxime necessarii.*

Cære-

CÆterum cum nobiles potiſſimum ad magiſtratus idoneos &
honoribus condignos iudicamus, propter virtutem præcipue,
quaſi nobilitatis propriam ac genuinam, eos cæteris & ignobilibus
præferimus. Virtutem ergo in diſtributione honorũ & magiſtratu 1
um magis quam ipſam nobilitatem, & hanc ſolum propter illam re- 2
ſpicimus & veneramur.

Virtus eſt quæ laudem & gloriam ipſumque nobilitatis nomen
meretur, hæc ab illuſtribus oriundum natalibus poſſeſſorem magis 3
magiſque illuſtrat & extollit, qua ſine contra non magis quam Apellis pictura in tenebris illi vel honori vel vſui cuiquam eſſet. Nobile genus hominem quidem & animo nobilem arguit, ſed hanc præſumptionem, ſi degeneret, & minus etiam virtute ſe nobilem præſtet, in ſe tollit, ſeque ignobilem & vulgarem, & quocunque honore omni plebeio indigniorem reddit.

Etſi itaque genere tantummodo alius, virtutis expers, alius au-
tem virtuti ſine generis claritate excellat; potior eſt virtuti locus in 4
honoribus dandus, & nobiliſſimus iudicandus, qui eſt idem optimus, eique plurimum tribuendum, cuius maxima virtus animo inſidet. Nam ſola virtute vir bonus & æquus virum metitur nobilem, nec vllum ſine honeſtate nobilitati locum relinquit, ſummam virtutis dignitatem, nullum generis ſine virtute decus æſtimat, ſiue de imperiis & magiſtratibus, ſiue etiam de teſtimoniorum fide atque grauitate ac pondere quæras.

Vbi vero virtus in aliquo cum genere concurrit, & alius qui- 5
dem iuxta ſine genere, virtute tamen cum eo pugnat, niſi etiam ſuperet, non eſt ante victoriam huic honoris palma concedenda; ſed ille ratione generis antiqui & grata anteriorum memoria à proauis acceptorum meritorum, honoris prioritate remunerandus: quod quidem apud me Bodinus aduerſus Platonem obtinuit.

Virtus † autem omnino eſt in omni tam minimo quam maxi- 6
mo & inter hos mediis ſiue magiſtratibus ſiue miniſtris & quibuſcunque officialibus, maxime neceſſaria. Veriſſimum enim eſt quod Capitolinus in Alexandro ſcribit: Meliorem eſſe Rempub. & prope tutiorem in qua princeps malus ſit, ea, in qua mali Principis miniſtri. Moribus ergo probi ſint in primis aulici quicunque ſiue curiales. valeatque illud Claudii:

————emitur ſola virtute poteſtas.

ergo cuique functioni pro ea, quam addidicit, arte, sed & pro ea qua imbutus natura facultate & indole (vt Plutarchus admonet) est admouendus.

Forte.n.ad ciuilia hic, ille ad bellica aptior est arte vel natura negocia, & vt facundus iste verbis, fœcundior dictis nouus simulatque vetus Doctor Policitus *lib.3.cap.10.* aut Mecœnas apte quædam obiverit, quæ non Agrippa. Recte enim Poeta:

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.

Prudenter autem Nabuchodonosor, non indole solum egregios & qui facultatem standi in palatio haberent, deligi sibi iuuenes ministros curauit, sed etiam in scientiis literarum & linguis erudiri eos voluit. Haud ignarus esse in aula regia viros doctos & linguarum peritos maxime necessarios.

Quam rectior tum erat nobilitatis de literarum doctrina sen- 12
sus! Hodie nostri aulici ignominiosum prope Doctoris in viro nobili titulum æstimant.

Et genus itaque & virtus digniorem quem & nobiliorem, quã sola virtus, vel nobilitas sola facit, magis autem sola virtus, & magis hæc cum scientia rerum quam nuda, quam nobilitas aliquem extollit.

CAP. XXXIX.

Post genus & virtutem, de diuitiis agitur: quę primum in eo qui magistratui vel alicui muneri publico præficiendus est, requiruntur cum genere & virtute, antiquæ & mediocres. deinde si sint in electione, genere & virtute quidem pares, alii autem egeni, alii nuper diuites facti, hos tamen illis commodius pręferri, imo in genere pauperes omnes à magistratibus debere arceri, docetur 1. quia ad malum procliuis egestas; 2. quia egestate attenuatur magistratus authoritas. 3. quia maximam bonorum in republic. partem possidentes, maximam etiam in ea tuenda curam & diligentiam pręstare censentur.

SVM-

SVMMARIA.

1 *In magistratibus diuitiæ mediocres & antiquæ, sunt optatissima, & quam minimum eos corrumpunt. Item diuitiæ mediocres quæ.*

2 *Maximum est fortunæ beneficium in repub. cui mediocres magistratus contingunt. Aristot.*

3 *Vt Tiberius nec eminentes virtutes sectabatur, & vitia oderat, ita Aristoteles nec nimium potentes suadet, & pauperes magistratus dissuadet.*

4 *Paupertatis incommoda, virtutis sunt impedimenta.*

5 *Plautus egestate coactus ad molas manuarias se locauit.*

6 *Gassius Seuerus orator, in summa inopia diem suum obiit.*

7 *Valerius publico sumptu sepultus est.*

8 *Persei filius victus causa artem ferrariam exercuit.*

9 *Homerus magnus virtutis pater, egestate vagabundus errauit.*

10 *Diuitiæ antiquæ, sunt familiarum auitæ.*

11 *Plato existimat multo magis amare diuitias, qui ipsi sibi eas parauerunt, quam qui eas à maioribus & parentibus acceptas habent.*

12 *Nobilis genere & virtute pauper: an sit præfendus nobili genere & virtute diuiti nuper facto.*

13 *Rationes, dubitandi: impedit in negociis publicis pauperes rei familiaris inopia, diuites rei familiaris amplitudo.*

14 *Deciditur diuitem esse præferendum, vtpote cuius impedimentis consult optime possit.*

16 *Pauperibus magistratibus mercedem constituere non expedit: & quare?*

16 *Imperium est cura salutis alienæ.*

17 *Iustus magistratus sui commodi oblitus, omnia ad publicam vtilitatem referre debet.*

18 *Dignitates & honores non vilib. abiectis tribui debent.*

19 *Turpe est magistratui sui muneris mercedem accipere.*

20 *Egregia Regis Pyrrhi vox: Nec mihi aurum posco, nec pretium dederis.*

21 *Fabritius, licet omnium Romanorum magistratuum pauperrimus, tamen magnifica Regis munera recusauit. Valer.*

22 *Nunquam pauperes in magistratus sede sunt collocandi.*

23 *Sceleri procliuis egestas. Salam. Eccles. Plaut. Plalo. Cic.*

24 *Leges pauperem lucri causa facile quid admittere præsumunt.*

25 *Inopia Otthonem ad Imperium rapiendum instigauit.*

26. Im-

26 *Improbum pauperum ingenium Persæ arguebant; & tam turpe egere vel æs alienum contrahere, quam mentiri, ducebant.*
27 *Diuites propter suppetentes facultates disciplinam & virtutem magis sequuntur. Aristot.*
28 *Insignis Platonis sententia, de modesti & æqui diuitis felicitate.*
29 *Bona conscientia, optima senectutis nutrix.*
30 *Egestate magistratus & imperij authoritas vilescit; opibus & diuitijs floret (& crescit.*
31 *Vulgo qui diues, idem habetur sapiens. Horat.*
32 *Cui tenues opes: tenues amici. Cic. Plaut.*
33 *Cur tam abiecta sit pauperum grex veluti fex. Plaut.*
34 *Auctoritas est anima & vita imperii. Lips.*
35 *Encomium Lipsii.*
36 *Præstat iure factum opus restitui, quam magistratus imperium contemtum videri.*
37 *Contemtus magistratus, mors imperii.*
38 *Ergo sit curia pauperibus clausa. Ouid.*

DIgnissimus autem est in electione magistratus, qui & genere & virtute & diuitiis, vel si etiam genus absit, nec tamẽ qui virtute sunt pares genere se inuicem superẽt, sintq; omnes natalibus mediocres, qui virtute simulatque diuitiis præstat. Virtus qualis in idoneo magistratu præcipue sit necessaria iam dictum est.

Diuitias † requiram quales quantas? nunc exponam restat. Eas 1
probo breuiter, quæ in qualitate sunt antiquæ, in quantitate mediocres. Mediocres intelligo ad conseruandam nobilitatis patriciæ, itemque muneris publici dignitatem & authoritatem sufficientes, non nimium excedentes nec nimium deficientes. Siue enim nimium opibus aliquis affluxerit, quod alias extra magistratum cõstituta opum potentia fretus in perniciem reipub. suamque rem promouendam moliri facile præsumpserit, iam in eo constitutus confidentius aggredietur, audacius suo adiutus imperio vrgebit, faciliusque ad effectum traducet. Siue nimium paupertate fuerit atq; inopia depressus, & inermis opum ui: cuniculis rem aget, & astutia nocebit, quam tum etiã magistratus authoritate poterit obtegere magis, vel potius quodlibet palam licere sibi tum facinus putabit. Quamobrem vere Philosophorum † columen 4. *pol.* 11. exclamat: Maximum 2
est fortunæ beneficium, si qui rempub. administrant, mediocres tantum opes, quæ tamen satis sint, possideant. Et dixit alius quispiã bo-

nus autor: pares quique negociis non supra sint, nec infra. Vt non de nihilo Tiberiana cautio; qui nec eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat: ac ab optimis periculum sibi; à pessimis publicum dedecus metuebat: Ita neque hăc Aristotelicam de vacuo haustam putes: quando videlicet, rebus nimium prosperis potentia, opibus, clientelis cæterisque id genus facultatibus excellentes fugiendos suadet: pauperiores vero expellendos dicit. Nam à grandibus istis, quia ab ineunte ætate propter delicias & indulgentiam ne in ludo quidem literario parere adsuefacti, imperia ferre neque volunt neque sciunt; imperare autem vt domini seruis optime norunt, iniurias, rebelliones, tumultus minatur: ab his autem miseris atque depressis, quia propter nimiam egestatem, nimis animo abiecti sunt obedientiam in repub. non ciuilem sed seruilem, inuidiam insuper, calumnias & insidias timendas dicit. d.c. *11*.

Medii ergo optimi; quibus olim & nunc tutissimo munia reipub. innixa. Fastuosa fit nimium magna imperans potentia virtus: at mediocri ingenua conseruatur: extrema inopia hebescit & vilescit.

4 Quemadmodŭ † .n. secundum Callimachi sententiă, diuitiæ sine virtute nunquam hominem efferunt, ita nec sine diuitiis virtus in ea enitere potest. Paupertatis siquidem metus vel in mare nos præcipites ire cogit, vt Theognis Poeta testatur: & inopia etiam præclaros magnosque virtute viros nonnunquam vrget, torquet,

5 & duriora quæque agere atque perferre compellit. † Plautus comicorum facetissimus propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistori se locauit, & ibi quoties ab opere vacaret, scribere

6 fabulas & vendere consueuit. Cassius † quoque seuerus orator egregius, cum annis quinque & viginti exulasset, in summa inopia

7 diem obiit, † vix panno verenda contectus. Et Valerius Bruti collega adeo pauper mortuus est, vt publico sumptu sepeliretur. Persei etiam legitimus filius vt scribit Marcellinus, post aduersæ fortunæ

9 calamitatem † artem ferrariam causa victus exercuit. Quam vero vagabundus errarit terra marique magnus iste virtutis pater Homerus, nimia adactus paupertate, est in eius vita proditŭ ab Herodoto.

10 Diuitias † porro antiquas dico, & expeto auitas & à maioribus in posteros deriuatas: non propriis laboribus, aliquo casu aut muneribus acquisitas; atque harum possessores, quă propria industria diuites, magis in consilio de optimo magistratu eligendo sapientissi-

mus

mus Plato commendat. Nam † qui ipsi sibi diuitias (*dialog. 1. de repub:* inquit) non peperere, non multum eas admirantur, nec magni admodum eas faciunt: qui vero ipsi sibi eas parauerunt plerunque duplo magis quam alii amant. Quemadmodum enim poemata sua Poetæ, suosque patres diligunt filios; eodem modo qui pecunias sibi acquisiuere, illis etiam operi tanquã proprio student, nec ad vsum & necessitatem vt alii conferunt. Vnde etiam difficilior est horum familiaritas, cum nihil magis quam diuitias laudare ipsis lubeat. Potiores sunt itaque Reipub. præfecti siue magistratus, antiquis (si haberi possint) diuitiis locupletati, quam nuper diuites opera manuum suarum facti: maxime cum illos vt ius in rebus antiquum. etiam antiqua antiqui generis virtus, adeoque vera nobilitas comitetur; hi vero vel nobiles tantum quas ex balneo vocant, vel plane sint ignobiles. Accedit quod hi etiam rerum suarum nimis sunt studiosi, maioremque rei familiaris quam publicæ curam gerant, magisq; turpi lucro studeant, quã ciuiũ commodo prouideant. Sin † autem non fuerint diuitiis auitis & gentilitiis satis aucti 12
vt præcesse sine rei familiaris impedimento publice commode possint: fuerint autem valde opulenti ac præpotentes, tales sc: industria vel casu aliquo facti, in cæteris autem, nimirum genere & virtute indigentioribus quibusdam æquales: ab vtraq; parte rationes qui nam ad reipub. administrationem idonei magis, magistratusq; salubriores futuri sint? forte te dubio torquere possent. Nam vt inopia † pauperes impediti indulgere minus studio reipublicæ 13
possint, *vt 4. pol. 11.* Aristot. arguit: sic quoque diuites rei familiaris amplitudo, à procuratione publicæ auocat, à concionibus, à iudiciis sæpissime excludit. Nec igitur ad magistratum diues, nec erit aptus inops. At alterum eligam vis commodius quem possim: quid enim si casus ita ferat, nec à proauis diuitem vacationis tempore Respublica capiat? Vtiq; cuius incommodis & impedimentis consuli optime possit, † eum esse eligendendum existimem. Potest autem & 14
pauperi quo magis reipub. negociis sine familiari incõmodo vacare possit, subuenire; & diuitis rebus priuatis, dũ publicis ipse est † occupatus, satis prospici. Illi ex publico, huic ex suo: illi salarii siue mercedis largitione, huic seruorũ, institorum, ministrorũ conductione.

Iam vero quod nam est reipub. vtilius? vtrum commodius & honestius fieri potest? sane quidem diuiti graue videtur, aliorum causa

Chaſſan *in conſuetud. Burgund. rubr. 4. §. 15. verſ. entre gens nobles.* And r. Alciat. *in tract. de præſumpt. reg. 1 præſumpt. 48* & Iacob. Menoch. *tract. de præſumpt. lib. 5. præſum. 4. n. 6.* vbi nobiles genere, etiam animo innocentiores integrioreſque ſcribit *arg. l. quod ſi nolit. 31. §. qui mancipia. 19 ff. de ædilit. edict.* ad quod magis probandum ego adduco nouum & ſingularem textum *in d. nou. de referendariis 10. in fine.* vbi Imp. Iuſtin.
14 dicit, virtutem non quidem in multis, præcipue tamen in viris ex bonis patribus procedentibus apparere.

15 Porro hinc etiam maiorem fidem nobilibus quam ignobilibus Iuriſconſulti priuilegio nobilitatis tribuunt, eamque in his propter nobilitatis decus & ſanguinis generoſitatem tutiorem credunt, vt ſcribit Bonus de Curtili *in tract. de nobilit. part. 5. priu. 5. n. 26.*

Vnde cum quid à nobili viro promittitur, videmus id plerunque ſub nobilitatis fide. **Bey fürstlichen Ehren vnd Trewen/** promitti, quaſi nulla firmior ſeruciorque habeatur quam fides viri nobiles, ſolique nobiles ſuæ fidei tam eſſent, quam ſunt ignobiles
16 præſtiti à ſe iuramenti obſeruantiſſimi. Ex quo etiam talis promiſſio præſertim à principe facta, **Bey fürstlichen Ehren vnd Trewen/** loco iuramenti habetur, nec aliter quam ſub fide principali, non vero vt alii, conceptis ſc. iuramenti verbis, iurant Principes, hocque ipſorum ſub fide principali conceptum præſtitumque iuramentum ei quod ab alio ſub animæ ſalute receptum eſt æquipollet. Cenſentur enim nobilitatis præſumptone verba principis firmiſſima, licet non iurata *c. ad Apoſtolica. & ibi.* Innocent. *ex de re iud.* Mart. Laud. *in tract. de Princip. b. n. 159.* Menoch de præſumpt. *lib. 6. præſumpt. 59. num. 2.* Mynſ. *in pract. obſeru cent. 1. obſ. 17. &* Gayl. *lib. 2. cap. 59.*

Conſequenter ergo, & propter hanc probabilem in nobilitate animi ingenuitatem, etiam in electionibus magiſtratuum, honorum, officiorum & aliis ſimilibus, nobilitatis cum primis rationem eſſe habendam & nobiliores ſemper præferendos iidem Iuriſconſulti omnes vnanimiter concludunt: in quo etiam multis præclaris iuris textibus nituntur.

Præcipue nou. *de defenſorib. ciuit. 15. cap.* ibi vniuerſi nobilio-
17 res ciuitatum habitatores † hoc miniſterium eis adimpleant, & in ead. nou *cap. 6. in fine.* ibi. Conuenit enim vnumquemque nobilium ſemper functionem agere ciuitatum. Et eſt ad idem hoc probandum bonus & notabilis text. *in l* 1. ibi. Ad illud autem negocium abitratu

ad

ac iudicio tuo, nobilis, prudens fidelis optime sibi conscius, pro integritatis meritis apponatur custos, &c. C. *de conditis publi. horreis. lib. 10.* & bon tex. *in l. si cohortalis. 12. §. vlt. C. de cohortalib. principib. Cornicularu, &c.* vbi Impp. constituunt, cunctos qui diuersarum rerum negociationibus detinentur, trapezitas sc. gemmarum venditores &c. à prouincialibus officiis arceri & remoueri, vt omnis honor atque dignitas à tali contagione segregetur. Huc etiam pertinet 18
quod I.C. Paulus *lib. 1. sent.* scribit. Honores & munera publica potioribus quibusque iniungenda esse. *l. honores. ff. de decur.* Cui propemodum correspondet etiam rescriptum Imperatoris Antonini *in l. vn. C de potiorib. ad munera nominandis*, vbi si ipse ad munera ciuilia vocatus aliquis potiorum alium nominandum putauerit, ei causam suam aperire permittit. Similiter Ioannes Papa, *in extrauag. execrabilis. 22. in pr.* Regum filios propter eorum sublimitatem ac generis claritatem merito attolli, dicit. Et in specie decurionum honoribus fungi plebeios prohiberi. idem Paulus *in d. l honores. § is qui 2. respondit.* Et de 19
honoribus siue muneribus gerendis cum quæritur in primis considerandam esse personam & natalium originem illius, cui honor vel munus defertur, ait Callistratus *in l. honor. 14. §. de honoribus 3. ff. de muner. & honor.* Porro habet hæc in muneribus & honoribus nobilitatis prærogatiua etiam diuini vatis authoritatem. *Deut. 1.* Cum enim multiplicato populo Israel non valeret Moyses amplius solus illius negocia pondus & iurgia sustinere, postulauit à populo & date, di- 20
xit, ex vobis viros sapientes gnaros & probatos, tulitque is & sapientes & nobiles, & constituit eos principes, tribunos, decuriones populi. Est igitur tam sacro quam ciuili iure & elogio nobilium in muneribus & honoribus electio & præeminentia probata, atque insuper etiam grauissimorum scriptorum & Doctorum suffragiis communita & confirmata. Boni de Curtili. *in d. tract. de nobilitate part. 5. priu. 10. n. 33.* Barthol. Cœpollæ. *in tract. de Imperat. milit. eligendo. §. nobilitatis, num. 23. & seqq.* Barthol. Chassan. *in Cathal gloria mundi. part. 8. consid. trigesima sexta.* Tiraquelli *in tractat. de nobilitat. c. 3. n. 19. vsque ad n. 24.* Menoch. de præsumpt. *lib. 6 præsumpt. 59. numero decimo,* apud quos alios plurimos allegatos reperies.

CAP. XXXVIII.

Post genus, de virtute in magistratu maxime necessaria tractatur: & nobiliores propter maiorem in illis quam in ignobilioribus præsumtam virtutem his esse in honoribus & magistratibus preponendos ostenditur. Vnde si genere simulatque virtute præstantes nulli sint, virtute præstantiores iis, qui genere tantum sunt nobiles, potiores esse habendos concluditur. Rursum virtuosis nobilibus nullis existentibus, etiam inter eos qui virtute tantum celebres sunr delectum aliquem esse habendum, & quidem eos qui animi integritate, iis qui abditarum rerum scientia tantum, qui vero hac vtraque simul, iis qui alterutra taetum præstant, esse præferendos, paucis subiicitur.

SVMMARIA.

1. *Propter virtutem præcipue nobiles ad magistratus eliguntur.*
2. *Virtus magis quam genus spectatur.*
3. *Virtus præcipue nobilitat, & generis nobilitas negligentia virtutis obfuscatur.*
4. *Virtus sine genere, est præferenda generi sine virtute tantum.*
6. *Virtus in omnibus Reipub. officialibus necessaria, etiam minimis*
7. *Melior est Respub. in qua Princeps malus, quam in qua mali Principis ministri.*
8. *In sola virtute vere viros nos gloriamur.*
9. *Melius est reipub. peccatores non præficere, quam cum peccarint damnare.*
10. *Non tantum virtus moralis, sed etiam abditarum rerum scientia nobilitat: magis autem illa: qui vero vtraq; pollet, is eo qui alterutra tantum, est nobilior.*
11. *In muneribus distribuendis, cuiusque quam addidicit disciplina & indolis ratio habenda est.*
12. *In aulis etiam viri docti & literati maxime necessarii.*

Cære-

CÆterum cum nobiles potissimum ad magistratus idoneos & honoribus condignos iudicamus, propter virtutem præcipue, quasi nobilitatis propriam ac genuinam, eos cæteris & ignobilibus præferimus. Virtutem ergo in distributione honorū & magistratu 1
um magis quam ipsam nobilitatem, & hanc solum propter illam re- 2
spicimus & veneramur.

Virtus est quæ laudem & gloriam ipsumque nobilitatis nomen meretur, hæc ab illustribus oriundum natalibus possessorem magis 3
magisque illustrat & extollit, qua sine contra non magis quam Apellis pictura in tenebris illi vel honori vel vsui cuiquam esset. Nobile genus hominem quidem & animo nobilem arguit, sed hanc præsumptionem, si degeneret, & minus etiam virtute se nobilem præstet, in se tollit, seque ignobilem & vulgarem, & quocunque honore omni plebeio indigniorem reddit.

Etsi itaque genere tantummodo alius, virtutis expers, alius autem virtuti sine generis claritate excellat; potior est virtuti locus in 4
honoribus dandus, & nobilissimus iudicandus, qui est idem optimus, eique plurimum tribuendum, cuius maxima virtus animo insidet. Nam sola virtute vir bonus & æquus virum metitur nobilem, nec vllum sine honestate nobilitati locum relinquit, summam virtutis dignitatem, nullum generis sine virtute decus æstimat, siue de imperiis & magistratibus, siue etiam de testimoniorum fide atque grauitate ac pondere quæras.

Vbi vero virtus in aliquo cum genere concurrit, & alius qui- 5
dem iuxta sine genere, virtute tamen cum eo pugnat, nisi etiam superet, non est ante victoriam huic honoris palma concedenda; sed ille ratione generis antiqui & grata anteriorum memoria à proauis acceptorum meritorum, honoris prioritate remunerandus: quod quidem apud me Bodinus aduersus Platonem obtinuit.

Virtus † autem omnino est in omni tam minimo quam maxi- 6
mo & inter hos mediis siue magistratibus siue ministris & quibuscunque officialibus, maxime necessaria. Verissimum enim est quod Capitolinus in Alexandro scribit: Meliorem esse Rempub. & prope tutiorem in qua princeps malus sit, ea, in qua mali Principis ministri. Moribus ergo probi sint in primis aulici quicunque siue curiales, valeatque illud Claudii:

——————emitur sola virtute potestas.

ergo cuique functioni pro ea, quam addidicit, arte, sed & pro ea qua imbutus natura facultate & indole (vt Plutarchus admonet) est admouendus.

Forte.n.ad ciuilia hic, ille ad bellica aptior est arte vel natura negocia, & vt facundus iste verbis, fœcundior dictis nouus simulatque vetus Doctor Policitus *lib.3.cap.10.* aut Mecœnas apte quædam obiverit, quæ non Agrippa. Recte enim Poeta:

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.

Prudenter autem Nabuchodonosor, non indole solum egregios & qui facultatem standi in palatio haberent, deligi sibi iuuenes ministros curauit, sed etiam in scientiis literarum & linguis erudiri eos voluit. Haud ignarus esse in aula regia viros doctos & linguarum peritos maxime necessarios.

Quam rectior tum erat nobilitatis de literarum doctrina sensus! Hodie nostri aulici ignominiosum prope Doctoris in viro nobili titulum æstimant. 12

Et genus itaque & virtus digniorem quem & nobiliorem, quã sola virtus, vel nobilitas sola facit, magis autem sola virtus, & magis hæc cum scientia rerum quam nuda, quam nobilitas aliquem extollit.

CAP. XXXIX.

Post genus & virtutem, de diuitiis agitur: quę primum in eo qui magistratui vel alicui muneri publico præficiendus est, requiruntur cum genere & virtute, antiquæ & mediocres. deinde si sint in electione, genere & virtute quidem pares, alii autem egeni, alii nuper diuites facti, hos tamen illis commodius pręferri, imo in genere pauperes omnes à magistratibus debere arceri, docetur 1. quia ad malum procliuis egestas; 2. quia egestate attenuatur magistratus authoritas. 3. quia maximam bonorum in republic. partem possidentes, maximam etiam in ea tuenda curam & diligentiam pręstare censentur.

SVM-

SVMMARIA.

1 In magistratibus diuitiæ mediocres & antiquæ, sunt optatissimæ, & quam minimum eos corrumpunt. Item diuitiæ mediocres quæ.

2 Maximum est fortunæ beneficium in repub. cui mediocres magistratus contingunt. Aristot.

3 Vt Tiberius nec eminentes virtutes sectabatur, & vitia oderat, ita Aristoteles nec nimium potentes suadet, & pauperes magistratus dissuadet.

4 Paupertatis incommoda, virtutis sunt impedimenta.

5 Plautus egestate coactus ad molas manuarias se locauit.

6 Gassius Seuerus orator, in summa inopia diem suum obiit.

7 Valerius publico sumptu sepultus est.

8 Persei filius victus causa artem ferrariam exercuit.

9 Homerus magnus virtutis pater, egestate vagabundus errauit.

10 Diuitiæ antiquæ, sunt familiarum auitæ.

11 Plato existimat multo magis amare diuitas, qui ipsi sibi eas parauerunt, quam qui eas à maioribus & parentibus acceptas habent.

12 Nobilis genere & virtute pauper: an sit præfendus nobili genere & virtute diuiti nuper facto.

13 Rationes, dubitandi: impedit in negociis publicis pauperes rei familiaris inopia, diuites rei familiaris amplitudo.

14 Deciditur diuitem esse præferendum, vtpote cuius impedimentis consul optime possit.

16 Pauperibus magistratibus mercedem constituere non expedit: & quare?

16 Imperium est cura salutis alienæ.

17 Iustus magistratus sui commodi oblitus, omnia ad publicam vtilitatem referre debet.

18 Dignitates & honores non vilib. abiectis tribui debent.

19 Turpe est magistratui sui muneris mercedem accipere.

20 Egregia Regis Pyrrhi vox: Nec mihi aurum posco, nec pretium dederis.

21 Fabritius, licet omnium Romanorum magistratuum pauperrimus, tamen magnifica Regis munera recusauit. Valer.

22 Nunquam pauperes in magistratus sede sunt collocandi.

23 Sceleri procliuis egestas. Salam Eccles. Plaut. Plalo. Cic.

24 Leges pauperem lucri causa facile quid admittere præsumunt.

25 Inopia Otthonem ad Imperium rapiendum instigauit.

26. Im-

26 *Improbum pauperum ingenium Persa arguebant; & tam turpe egere vel æs alienum contrahere, quam mentiri, ducebant.*
27 *Diuites propter suppetentes facultates disciplinam & virtutem magis sequuntur. Aristot.*
28 *Insignis Platonis sententia, de modesti & æqui diuitis felicitate.*
29 *Bona conscientia, optima senectutis nutrix.*
30 *Egestate magistratus & imperij authoritas vilescit; opibus & diuitijs floret (& crescit.*
31 *Vulgo qui diues, idem habetur sapiens. Horat.*
32 *Cui tenues opes: tenues amici. Cic. Plaut.*
33 *Cur tam abiecta sit pauperum grex veluti fex. Plaut.*
34 *Auctoritas est anima & vita imperii. Lips.*
35 *Encomium Lipsii.*
36 *Præstat iure factum opus restitui, quam magistratus imperium contemtum videri.*
37 *Contemtus magistratus, mors imperii.*
38 *Ergo sit curia pauperibus clausa. Ouid.*

DIgnissimus autem est in electione magistratus, qui & genere & virtute & diuitiis, vel si etiam genus absit, nec tamē qui virtute sunt pares genere se inuicem superēt, sintq; omnes natalibus mediocres, qui virtute simulatque diuitiis præstat. Virtus qualis in idoneo magistratu præcipue sit necessaria iam dictum est.

Diuitias † requiram quales quantas? nunc exponam restat. Eas 1
probo breuiter, quæ in qualitate sunt antiquæ, in quantitate mediocres. Mediocres intelligo ad conseruandam nobilitatis patriciæ, itemque muneris publici dignitatem & authoritatem sufficientes, non nimium excedentes nec nimium deficientes. Siue enim nimium opibus aliquis affluxerit, quod alias extra magistratum cōstituta opum potentia fretus in perniciem reipub. suamque rem promovendam moliri facile præsumpserit, iam in eo constitutus confidentius aggredietur, audacius suo adiutus imperio vrgebit, faciliusque ad effectum traducet. Siue nimium paupertate fueritatq; inopia depressus, & inermis opum ui: cuniculis rem aget, & astutia nocebit, quam tum etiā magistratus authoritate poterit obtegere magis, vel potius quodlibet palam licere sibi tum facinus putabit. Quamobrem vere Philosophorum † columen 4.*pol.*11. exclamat: Maximum 2
est fortunæ beneficium, si qui rempub. administrant, mediocres tantum opes, quæ tamen satis sint, possideant. Et dixit alius quispiā bo-

mus Plato commendat. Nam † qui ipsi sibi diuitias (*dialog. 1. de repub:* inquit) non peperere, non multum eas admirantur, nec magni admodum eas faciunt: qui vero ipsi sibi eas parauerunt plerunque duplo magis quam alii amant. Quemadmodum enim poemata sua Poetæ, suosque patres diligunt filios; eodem modo qui pecunias sibi acquisiuere, illis etiam operi tanquã proprio student, nec ad vsum & necessitatem vt alii conferunt. Vnde etiam difficilior est horum familiaritas, cum nihil magis quam diuitias laudare ipsis lubeat. Potiores sunt itaque Reipub. præfecti siue magistratus, antiquis (si haberi possint) diuitiis locupletati, quam nuper diuites opera manuum suarum facti: maxime cum illos vt ius in rebus antiquum. etiam antiqua antiqui generis virtus, adeoque vera nobilitas comitetur: hi vero vel nobiles tantum quas ex balneo vocant, vel plane sint ignobiles. Accedit quod hi etiam rerum suarum nimis sunt studiosi, maioremque rei familiaris quam publicæ curam gerant, magisq; turpi lucro studeant, quã ciuiũ commodo prouideant. Sin † autem non fuerint diuitiis auitis & gentilitiis satis aucti 12
vt præcesse sine rei familiaris impedimento publice commode possint: fuerint autem valde opulenti ac præpotentes, tales sc: industria vel casu aliquo facti, in cæteris autem, nimirum genere & virtute indigentioribus quibusdam æquales: ab vtraq; parte rationes qui nam ad reipub. administrationem idonei magis, magistratusq; salubriores futuri sint? forte te dubio torquere possent. Nam vt inopia † pauperes impediti indulgere minus studio reipublicæ 13
possunt, *vt 4. pol. 11.* Aristot. arguit: sic quoque diuites rei familiaris amplitudo, à procuratione publicæ auocat, à concionibus, à iudiciis sæpissime excludit. Nec igitur ad magistratum diues, nec erit aptus inops. At alterum eligam vis commodius quem possim: quid enim si casus ita ferat, nec à proauis diuitem vacationis tempore Respublica capiat? Vtiq; cuius incommodis & impedimentis consuli optime possit, † eum esse eligendendum existimem. Potest autem & 14
pauperi quo magis reipub. negociis sine familiari incõmodo vacare possit, subuenire; & diuitis rebus priuatis, dũ publicis ipse est † occupatus, satis prospici. Illi ex publico, huic ex suo: illi salarii siue mercedis largitione, huic seruorũ, institorum, ministrorũ conductione.

Iam vero quod nam est reipub. vtilius? vtrum commodius & honestius fieri potest? sane quidem diuiti graue videtur, aliorum causa

tanquam turpissimũ ab ingenuo & honesto ciue erga rempub. debitæ fidei debitæque vigilantiæ precium respuerent, illamque egregiam Pyrrhi Æacidarum Regis vocem nummos offerentibus
ι biicerent: Nec † mihi aurum posco: nec precium dederitis? Iu- 20
stis tum laudibus cum Fabritio posteritati memoria commendarentur, de quo valerio Max. *lib. 4. tit. 3.* precone, fertur: quod o-
mniũ magistratuum inter Romanos † pauperrimus, magnifica Re- 21
gis munera recusauerit. Absit ergo ab omni bono viro in magistratum sacculo & sicca velut in aureã messem Cum Saturnino irruere.

Atqui sic (obiicis mihi) inops negociationibus ad alendam familiam distentus, ad Magistratus dignitatem adspirare nunquam
poterit: † quem ego ad eandem euocari euehique nec esse è reipub. 22
vtilitate replico.

Primum enim, vt Poeta ait:

—— *est sceleri † proclinis egestas.* 23

Vnde salomon *prouerb. 30.* sic orat ad Dominum: Mendicitatem ne dederis mihi Domine: ne egestate compullus furer. Nam propter inopiam multi delinquere solent. vt Eccles. 27. scribit. Quod & sycophanta ille plautinus in Trinumo suo experimẽto conqueritur.

Viden' (inquit) egestas quid negocij dat homini,
Misero mali? qui ego nunc subigor trium nummorum causa, vt has
Epistolas dicam ab homine me accepisse, quem ego qui sit homo? nescio;
Neque noui, neque natus nec ne is fuerit? id solide scio.

Et probat Cicero quando inquit: Duę sunt res, quæ homines ad turpe compendium commouere possunt, inopia & auaritia. Itaque Plato *dialog. 4. in pr. de repub.* vbi inopiam cum rerum innouatione illiberalitatem & maleficia gignere tradit. Sed & legibus non parum suspecta est fides, probitas & integritas pauperum, eosque lucri
causa facile quid admittere † pręsumunt. *l. 3. pr. ff. de testib. & Non de te-* 24
stib. §. c. & vlt.

Ne itaque propter inopiam magistratus suæ rei studium (quod Cicero præter occulum & iuuenile consilium ipsum quoque Rempub. Rom. vehementer labefactasse testatur) publico commodo anteponant, maxime metuendum est. Id enim facilius egeni quam diuites audent: habent hi alias vnde viuant: illi vero cum habeant nihil, quærere quoquo modo possunt, volunt: sed & quasi necessitate licere sibi hoc per fas & nefas facere, arbitrantur: qua peruersa opi-

modo magistratus authoritati inopiam infestam esse experimur. Attenuat omnino imperii dignitatem egestas. † Estq; parum tuta sine 30
viribus maiestas qua sine non dignam Principe Principi reuerentiam subditi præstant. Ea vero multis magnis paratur, augetur, confirmatur, opibus. Ea enim est hominum stoliditas, vt sapientem solum diuitem? pauperes vero omnes, insipientes existiment, prout dixit Horat. *Epist. 19. ad Vall.*

Vos sapere, & solos aio bene viuere, quorum
Conspicitur †nitidis fundata pecunia villis. 31

Et conqueritur Scaliger in farragine:

Nunquam ego speraui, tam pessima secla futura:
Vt bonus & pauper, esset inane pecus.
Mille licet venias Musis comitatus Homerus:
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.
Mille etiam veniat cœlis comitatus Iesus:
Si nihil attulerit, ibit & ipse foras.

Ita nihil; fiunt vbique pauperes; ridiculi & contemptibiles habentur, nemo eos, raro propter virtutem, reueretur, ac ne amicitiam quidem eorum, quia sine lucro, vllus, nisi forte ex paribus miseris vnus, exoptat. Quam vere Cicero pro Quintio dixit: † Cui te- 32
nues opes sunt, nullæ facultates: ferè exiguæ esse amicorum copiæ solent. & iste senex Antipho in Plauti Sticho, quem Comicus pro more, non minori prudentia quam elegantia dicentem instruxit.

Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt. si labant
Res lassæ: ibidem amici collabascunt: amicos res inuenit.

Et Epignomus adolescens idem Plautinus ait:

Videte quæso, quid potest pecunia.
Quoniam bene re gesta, redisse me videt.
Magnasque apportauisse diuitias domum.
Sine aduocatis, ibidem in cercuro, in stega,
In amicitiam atque in gratiam conuortimus.

Sed quæ causa: quod est tam abiecta pauperum grex, veluti fex? non alia certè quam quod cum non habeant vnde viuant. suæque dignitatis statū tueri possint, † seruire ac submittere se aliis, & sic in- 33
de etiam obsequi sæpe obsequio sibi obstrictis cogantur.

Con-

Concinnè hoc parasitus Plautinus in eadem fabula expressit:

Nunc si ridiculum hic hominem quærat quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis, omnibus
Inanimentis supplementum quærito.
Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater:
Propter paupertatem hoc adeo nomen repperi:
Quia iam inde à pusillo puero ridiculus fui,
Eò, quia paupertas fecit ridiculus forem.
Nam illa omnes artes perdocet, vbi quem attigit.

Contemptu itaque paupertatis consequenter etiam magistratus egeni authoritas vilescit, hebescit dignitas, euanescit religio. Vili
34 autem & abiecta subditorum de † magistratu opinione, non est, quod sit in repub. perniciosius: auctoritas quippe est anima & vita imperii, vt testatur in suis doctissimis politissimis ac sapientissimis musis politicis nouitius iste Regni conditor, quo tamen nullus ex antiquis antiquior, LIPSIVS.

O vere Phœbum, longe semper aciem ingenii iaculantem:
35 memoria lectionis † infinita, diuina exquisitissimum ciuilis prudentiæ munus nobis edentem: authoritatis contemptusque vim in imperio, è veritatis sapientiæque meditullio nobis exponentem. Quæ enim vis alia est, quæ efficit, vt tot mortalium millibus vna anima præsideat, quam imperii authoritas?

Equidem sola illa, omniaq; videmus hac quasi mente quadam regi atque administrari: Vt animæ, pedes, manus, oculi, negocium gerunt: & illius iussu iacemus aut inquieti discurrimus? sic hæc immensa multitudo, Autoritatis quasi spiritu regitur. Quis vero aliter regat? Vires imperii in consensu obedientium sunt: Consensus ille ab æstimatione: per quam, vnum, tam magna iuuentus, priuatum factura timet, Hanc tolle, tollis Regnum, omnisque hic imperii contextus in multas partes dissiliet:

——————*subuersa iacebit*
Pristina maiestas soliorum & sceptra superba.

Vt dicit Lucretius: pro lubitu quisque viuet: quod libet non quod licet quisq; faciet, Omnibus erit pro ratione voluntas. Ergo demis imperantis autoritatem, demis maiestatem, imperium soluis, peccatis licentiam, turbis fenestram aperis, regnum ciuitatemque euertis. Eam vero nulla re citius quam contemtu tolli, contrariorum

disci-

disciplina docet: vbi enim semel animis hominum excessit magistratuum reuerentia authoritatem contemptu sepeliri, & tum turbari miserique res omnes necesse est. Vnde etiam multa in iure ciuili constituta sunt, ne magistratus imperium illudatur. Veluti si quis iussus est ab eo, qui iurisdictionem habet restituere, quod factum
est, † etsi iure factum sit, tamen restituere cogitur; quia scilicet præ- 36
stat, factum iure opus restitui, quam magistratus imperium contemtum videri, *l. Prætor ait. §. ait. Prætor. ff. de oper. nou. nunc.* Anton. Gouaen. *ad l. 4. num. 7. & 8 ff. de iurisdictione om. iud. &c.*

Contemptus † igitur magistratus & imperij, mors regni est atq; 37
ciuitatis. Quamobrem pauperes ab imperij maiestate ab honoribus reip. & magistratuum dignitatibus omnino sunt remouendi: & nō immerito Aristoteles, *2. pol. 7.* hoc nomine Lacedæmoniorum rempub. reprehendit, quod ad Ephororum magistratum, qui apud illos maximarum rerum potestatem habebat, etiam pauperes admittebant: & e contra Carthaginensium laudat remp. quod illi solummodo locupletiores in magistratus eligebant. Rectissime itaque Ouidius:

Curia pauperibus clausa est, dat census honores: 38
Inde grauis iudex: inde seuerus eques.

Postremo tanto tutius diuites quam pauperes imperijs ac muneribus publicis præficiuntur, quanto maiores in ea facultates possident, & magis propter eas rempub. amant, saluamq; & incolumem diu stare exoptant.

Cum enim ipsorum diuitiæ maxima sint portio ciuitatis, etiam in ea tutanda maximam diligentiam præstabunt: vtpote qua, metuendum illis est, inclinante & ruitura, sua quoque ne diripiantur bona, suæq; ab alienis possessiones occupentur.

Quam rationem ex nostris præcipue notat. Matth. de Afflict. *in c. 1. post prin. ver. & quæ sit ratio, de prohi. feud. alien. per Frid. in vsibus feud.* & animaduertit Salustius quando de inopi plebe in Catilinaria sic scribit: Semper in ciuitate, quib. pro maiori parte opes nullæ sunt, bonis inuident, malos expetunt, vetera odere, noua exoptant, odio suarum rerum omnia mutare student. Turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno: qua ratione etiam Arist. *2. Polit. 8*, eandem rebus nouis ac seditionib. studiosissimam arguit.

Quanquam ergo pauperes diuitibus genere & virtute æquales sint; tamen diuites in muneribus & honoribus semper esse præferendos denuo concludo.

Quid autem si etiam virtute, nedum diuitijs impares sint, & pauper quidem præstantior, diues autem deterior: an etiam virtuti tum diuitiæ præpollere debent?

Minime gentium: sed virtute præstantes soli semper ac simpliciter sunt potiores habendi: authoritate Aristotelis, *5. pollit.* 1. quod etiam lege naturæ iustum esse sępius prodidit, *1. Polit. 2. & pol. 9.* cum quo acquiesco.

CAPVT XL.

Contra quam supra in acie contraria capit. vltimo deductum est, diuitias & amplas illustrium & nobilium familiarum possessiones magis Reipub. prodesse, quam nocere: imo hanc q. viribus suis stabilire & confirmare deducitur.

SVMMARIA.

1 *Pauperes in rebus nouis moliendis, timidiores, diuites, audaciores, num. 3.*

2 *Subditorum metus, tyrannis est pro asylo.*

4 *Nullos minus in repub. metuendos, quam qui de victu solum cogitarent, Galba dixit, Sueton.*

5 *Inopia subditos facilius coerceri & tutius sub imperio retineri Machiauellus & Comminaeus putant: quia inopes in quaerendo victu occupati, ad ciendas seditiones copiam non habeant.*

6 *Doctrina Machiauelli.*

7 *Machiauelli ingenium acre, subtile, igneum, sed sape a regia illa virtutis & honoris via deflexit. Lips.*

8 *Machiauellus monstrum hominum, nunc in tartaro cum sua pseudopolitia sepultus. Cas.*

9 *Machiauellus receptam in repub. religionem siue falsa sit, siue vera fouendam esse statuit.*

10 Ini-

10 *Iniquissimam pacem bello prefert Cicero. At Machiauellus alere Principi factiones vt tutius viuat, suadet.*

11 *Aristoteles, nullos in repub. diuitias exoptat: Machiauellus ciues esse continendos in paupertate docet.*

12 *Comparatur hoc Machiauelli dogma cum consilio quod Guimandus Egidio dedit, & exitiosum illius exemplo demonstratur.*

13 *Vtilior est principi prouincia frugifera quam sterilis, Cont. Machiauellum.*

14 *Ad tuendas respub. diuitiis & affluentia rerum nihil est aptius & magis necessarium.*

15 *Obiectio eiusq; solutio, n. 177.*

16 *Caligula sexagosies septies millies mille aureos & quingenta millia vertente anno absumpsit.*

18 *Vt in omnibus rebus, ita etiam in facultatibus modus est optimus.*

19 *Ne Principi quidem expedire videtur thesaurum colligere, & fere malis potius quam bonis causam & materiam prebere exemplis Caligulæ, Caroli Regis Galliæ, Crœsi, Persei probatur.*

20 *Principes thesauros suos in illustrium & nobilium familiarum predijs collocare expedit.*

21 *Apud Venetos capitale est: de publico ærario instituendo mentionem facere.*

AT vero longe forte melius est (vt supra in acie muliebri, cap. vltimo ostensum est) pauperes esse post principem magistratus nec admodum diuites, & tutius subditos egenos, quam prædiuites atque potentes. Quamuis enim & pauperum ingenia incommodis suis non careant, quia scilicet metuendæ sunt ab illis in repub. factiones: maiora tamen forte sunt, quæ a ab amplis auctis possessionibus proficiscuntur: adeo quidem, vt causa prima & motio euertendis regnis a rebuspub plerunque a pauperum multitudine, sed extrema vt efficax maxime, a paucorum præpotentia veniat.

Nam illi rerum † inopes plerunq; sunt in nouationibus suis tardiones timidiores & inaudaces: vnde hos maxime metus retinet, quem Tyranni habent pro asylo: & excutit, nec † longæ quietis est capax potentia, contendit semper altius fortunæ alis, efficitq; vt non velit solum diues, sed & audeat atq; tentet. 1 2

Hinc Galba (vt Suet. *in Vitellius cap. 7. & in Othone ca. 5. refert*) cum illi 3

illi relatum esset. Vitellium † res nouas moliri, dixit, nullos minus metuendos sibi videri, quam qui de vectu solum cogitarent.

4 Itaque Vitellium gulæ & ventri solum in summa rei familiaris egestate deditum, nulli quicquam in se metuendum relinquere. Et †
5 hinc Machiauello & Cõminæo placuit, semper aliqua inopia & necessitate subditos esse coercendos, ne nimium opibus elati, vel se-
6 ipsos vel alias corrumpant, ac difficilius pareant. Vrbes † in solo sterili & inferaci positæ (inquit Machiauellus, *1. com. 12.*) fere concordes & tranquillæ sunt: propterea quod incolæ cultura agrorum & labore occupati, facultatum atque otij ad seditiones ciendas copiam non habent. Vrbes contra fertili in terra & vbere circum agro sitæ, maxime in res nouas & rebelliones pronæ sunt. Dissensiones enim discordiæque hominum, non nisi fere ex nimijs opibus, rerumque abundantia oriuntur, neque populus diuitijs affluens regi se patitur. Itaque Romani Colonias suas paupertate in fide continebant, & paucos agros incolis assignabant, ne rebellare possent.

Imo in ipsa vrbe perdiu paupertati honos fuit: neque ea obstabat, quo minus & virtute ciues pollerent, & summis Reipub. muneribus adhiberentur: Cuiusmodi fuere Q. Cincinnatus. M. Regulus. Paulus Æmilius, qui cum pauperrimi essent, res tamen maximas gesserunt.

Experientia quidem & ipsa perpetua docuit docetque suauiores ex paupertate, quam ex opulentia fructus percipi; & populum diuitijs atque otio luxuriantem ad res nouandas & exuendam fidem fere procliuiorem esse. Et alio loco (*lib. 3. disputat. c. 26.*) dicit Machiauellus, ad publicam libertatem in Repub. conseruandam, plurimum interesse, ne ciues admodum opibus augeantur. Atq; id vtrum aliquo statuto Romæ cautum fuerit, aut quodnam illud esset, ignorare me fateor, inquit: præsertim cum leges agragrias toties oppugnatas esse nouerimus.

Sed hoc tamen constat, circa annum quadringentesimum a condita vrbe, plurimos Romanorum ciuium pauperes fuisse. Nec verisimile est, aliam huius causam quam quod illa nemini obstaret, ad honores & magistratus quoslibet adeundos. Virtutis ratio habebatur solum eaq; expetebatur in deligendis magistratibus & muneribus distribuendis, quacunq; tandem seu domo seu casa habitaret, &c.

His

His quidem satis plausibiliter in sinu gaudet Machiauellus, vt erat sane † illi ingenium acre, subtile, igneum, & qui, vtinam, Principem 7
suum recta duxisset ad templum illud Virtutis & Honoris: sed nimis sæpe deflexit, & dum Commodi illas semitas intente sequitur, aberrauit à regia via: qualem hunc virum, atque igeniosum quidem, sed interdum haud rectum, sibi, mihi ingeniosissimus & perpetuo recti effert politicus auctor. Peius de eodem ciuilis noster Sphæricus ita exclamat: O monstrum hominum Machiauelle, qui ex ouis à Nerone, Caligula, Commodo & Seuero partis tot sis enixus Scorpiones, 8
tot Basiliscos, qui ita mordent, ita pungunt, ita inficiunt, vulnerantq; animos multorum hodie; vt ab omni vnitate, ordine, pace, religione distracti, sine fide, sine Christo, sine Deo viuant: vides in tartaro sepultus, vides nunc miser, quæ euenta execranda tua pseudopolitia habeat, quas tragœdias moueat, quos luctus vbique fecerit. Vtinam sane aut natus non fuisses, aut ista tua politica in multarum ciuitatum ruinam edita nunquam fuissent.

Execratio hæc forte inexperti aurium primitijs durior, at vbi ad ingenium penetrarit, quo Machiauelli ingenium impietatis penetrauit, non ea durior, quin potius leuior adhuc merito videbitur. Cũ in omnibus, tum maxime in Religionis fide & de Deo confessione, veritatem non tam impius fuit vnquam, qui non sectãdam esse scripserit: † Machiauellus autem, quæcunque in Republica eo saltem 9
spectent, vt ad fidem fundamentis eius Religionis conciliandam facere videantur, ea omnia sapientes Reipublic. gubernatores fouere debere, etsi non vsque adeo certa veraque forte fuerint, scribere nõ dubitauit, *1. dispu. 12.* Iniquissimam pacem bello esse anteferendum Ciceroni *7. ad Attic. ep. 14.* placuit: † Machiauello, alendam esse fa- 10
factionem, vt cautius ab hoste viuas, placet, *ca 20. de princip.* Multos esse in Repub. diuites, qui regant & tributum pendant, vtile Aristoteles, *3. Pol. 8.* docuit: at quid Machiauellus? nimirum, in paupertate ciues † omnes esse continendos, vt regi facilius possint, ille docet. 11
Sed est hoc præceptum (vt eleganter aduersus ipsum alius bonus auctor scripsit) eius consilij quod Guimandus Egidio dedit. (qui Rom. Imperatoris legatus Suessionum vrbi & finibus cum imperio præerat) simillimum. Childerico IV. Francogalliæ Regi, hic Guimandus, 12
nobilis eques Gallus, prudentia insignis, & manu strenuus, intimus amicitiæ & consiliorum erat. Rex aliquando luxui ac voluptatibus

 deditus,

deditus, & libidines expleret, ingentia & iniqua tributa populo indicere coactus est. Id grauiter tulere Franco Galli, qui tum aspero & duro ingenio erant, (vt inquit historiæ scriptor) itaque Regem capere, & in custodiam tradere, iuuenes vero & prauos consiliarios, quos secum habebat, ab ipsius latere & consuetudine arcere statuũt. Id vbi Childericus comperit, sciscitatur ex Gaimãdo, quid facto op⁹ putaret. Ille suadet, vt fuga sibi consulat, & iræ Francorum & tẽpori cedat: se interea dum ipse abesset, placaturum animos & curaturum, vt ab exilio reuocetur. Tum annulo in duas partes fracto, alteram partem Regi tradens, Rex Childerice, inquit, quum alteram huius annuli partem, quam mihi ipse asseruo, ad te mittam, eo tu indicio cognosce tuum tibi reditum in regnum patêre.

Childericus igitur ad Thuringiæ Regem profugit. Eo absente Franco Galli Egidium maioris Galliæ partis Præsidem (quam etiam tum Romani tenebant) Regem sibi præficiunt. Is Guimandum, cuius ea tempestate prudentia inclyta & celebris erat, accersitum ad se inter amicos accipit & in consilium adhibet. Guimandus verum animum dissimulando, apud Romanum Præsidem nouem annorum spacio ita dextre se gessit, vt fidei tamen beneuolentiæque in Childericum nunquam oblitus sit.

Nam inter cætera quæ huic nouo Regi persuasit, admonuit, Gallorum ingenia non nisi sæuo & duro imperio subigi. Proinde videret, ne ditescerẽt: illos inopiam moderatius, quam abundantiam laturos: quippe Gallos bonis intemperanter abuti & lasciuire otio, vbi effuse affluant opes, & rebellionem moliri consuesse. Tam callido consilio commento (cuius exitum talem expectabat, qualis accidit) Romanum Præsidem facile adduxit, vt ingentibus tributis & oneribus nouis Gallos grauaret, & potentiam in superbiam ac sæuitiam verteret. Itaque Francogalli (consilio & occulta factione ipsius Guimandi) Childericum Regem suum communi consensu reuocarunt, cui alteram partem annuli, quam sibi asseruarat, Guimandus remisit.

Regi redeunti Nobiles Galli Francique cum obuiam gratulatum Barium vsque processissent, eum honorificentissime exceperunt.

Ipse vero, sublatis tributis ac vectigalibus nouis, ex eo sapienter ac moderate se gessit: ac ex Sardanapalo & delicijs effœminato Rege, e-

ge egregius ac strenuus Princeps factus, è Romanorum seruitute Galliam (cuius illi maiorem partem occuparant) vindicauit in libertatem & Regni Francogallici fines longe lateque propagauit. Quare vel ex hac vna historia satis liquet, siue Machiauelli præceptum, siue ei compar consilium Guimandi, sicut Egidio exitiosum fuit, ita semper fœdum inceptu, fœdum exitu, fore.

Iam vero nemo † mihi negauerit, vtilius esse Principi vel Regi, vt diuitis & opulentæ alicuius prouinciæ, quam sterilis & inopis principatum obtineat. Cum enim Principis magnitudo & potentia populi multitudine nitatur, arida & inops regio, neque magnum populum capere, neque alere potest: ea fundendo quæ ad victum cultumque pertinent, fruges, vina, herbas, pecunias cæteraque ad vitam tuendam necessaria. 13

Denique † ad Regni opes tuendas, atque amplificandas, diuitijs atque omnium rerum copia nihil est amplius, & magis necessarium. Hic si quis mihi obiecerit, plurimos & Principes & priuatos homines sumptuosos diuitijs per turpitudinem & flagitium abuti, (vt Caligulam qui sexagesies septies millies mille aureos, & quingenta prætereà millia, non vertente anno absumpsit: vt Iulium Cæsarem, qui ingentes thesauros, quos ex Galliæ manubijs congesserat, largitionibus immensis effudit: multosque alios) huic ego bifariam responderim. Primum † enim, quis inde colligat, pecunias idcirco malas esse quia ijs nonnulli abutantur? Nam neque si quibus diuitię ludibrio fuisse videntur, nulli contra sunt, qui ijsdem honeste vtantur. 14 15

Præterea incongrue hic à specie ad genus infertur. Nam vtilius quidem fore Reipubl. haud negem, si in ea plures domus extiterint mediocribus copijs instructæ, quam si paucæ fuerint diuitijs multis affluentes, vt paulo ante etiam attigimus.

Immodica enim sæpe abundantia opum possessorem temperantiæ fines transilire subigit & in exilium trahit. Sed vt demus nimiam exuberantiam opum singulis esse noxiam, vniuersæ tamen prouinciæ & Ciuitati obesse eam non sequitur: imo quo ditior fuerit, eo validiorem fore, si modo ita opibus in commune valeat, at singuli proprijs ac priuatis pecunijs non abutantur.

Quod quidem periculum facile vitabitur, si non tantum illi bonis

bonis legibus & magistratibus regentur, sed etiam si singuli non priuatim vltra modum exundanses, sed mediocres, & vt cuiusque sors & dignitas feret, fortunas & copias habebunt. Nam sicuti omnium
18 rerum, ita † facultatum modus est optimus, quãdo etiam earum adminiculo ad virtutem assequendam & exercendam vtimur: nimiæ sæpius præcipites & perniciosæ sunt: vt Cæsaris ætate multis Romæ contigit.

Cum enim illos diuitiæ superarent, infirmos & impares eorum animos à virtute & bonis artibus ad luxum & rerum nouarum studium inflexerunt.

19 Cæterarum † cum quidam immodicas opes sæpe singulis perniciosas esse dicunt, ne ipsius quidem Principis personam excipiunt. Neque forte aut honestum aut vtile videtur, Principem ipsum accumulare opes immensas & ingentes Gazas extruere: quæ vel hostilis auaritiæ irritamenta & illecebræ, vel post illius mortem litium & dissidiorum semina futura sunt. Fere enim Thesauri Principum malis potius, quam bonis causam & materiam præbent. Illud vicies ac septies millies I I S. congestum à Tiberio & relictum, quid profuit? quid, nisi vt Caligula per omne dedecoris genus immanes pecunia-
24 rum effusiones faceret? quas facturus non videbatur, nisi paratas opes reperisset. Et quas reliquit Carolus, cognomento sapiens, Rex Galliæ, cui vsui fuerunt? Vt inter fratres odia & simultates fererent. Nam cum eum thesaurum Ludouicus Dux Andium inuasisset, ducum Biturigum & Burgundiæ animos offendit & à se alienauit, qui & ipsi vt auaritiam explerent, per omnia vectigalium & rapinarum genera in populi fortunas sæuierunt. Sed ipse Andicus illis opibus quo vsus est? Vt se & illas in regnis Siculo & Neapolitano subijciendis perderet.

Nimiæ diuitiæ Cræsum Regem Lydorum ad bellum Cyro inferendum impulerunt, vt suas ipse opes euerteret, sicuti fecit. Immensa vis auri & argenti Perseo Macedoniȩ Regi, fiducia Verium, ad suscipiendum aduersus Romanos bellum animum fecit, eumque ac regnum eius in vltimum discrimen adduxit. Quare neque bonum, neque vtile Principi est, vt thesauris cumulandis & recondendis studeat.

Quorsum igitur hæc? Principem ne ergo nuda egestate conspicuum esse oportebit, minime, sed opulentum & diuitem: neque n.

aliter

aliter dignitatem suam tueri, minus hostium vim propulsare posset.
Sed ipsius thesauros, in Illustrium ac nobilium familiarum domibus
ac prædijs, in subditorum pecunijs † atque loculis sitos & recondi- 20
tos esse præstat, quam in Principis fisco vel Camera. Itaque Principi
danda est opera, vt vbique familiæ bene & vtiliter regantur, conser-
uentur; subditi pace tuta & tranquillo otio fruëtes ditescere possint:
vrbibus sua libertas, sua iura & commoda seruentur: libera vbiq; sint
commercia: Agricolæ cæteriq; extraordinarijs & immodicis tribu-
tis ne grauentur: ne magistratus, tanquam hirundines, populi san-
guinem exsugant: neue vlli alij per causam decimarum, vectigalium
vel tributorum exigendorum, vel quibuscunq; alijs honestis nomi-
nibus, miseræ plebis fortunas impune agant ferantque. Hoc igitur si
in animum inducat Princeps, efficiatq; vt omnes ipsius ditionis par-
tes diuitijs abundent, sintque quamplurimæ domus locupletes & o-
pulentæ: nullos certiores habebit quæstores ærarios quam in Impe-
rio Nobilitatem subditumque sibi populum.

Nobilitas egregie equis armisq; instructa, suo etiam sumptu, si res
ita feret, vltro ad bellum ibit. Mercatores & ignobiles pecuniam &
milites conferent. Omnes pro suis quisque facultatibus summum
adiuuabunt magistratum suum atque Principem, eosque habebit is
certissimos & locupletissimos, quos ita in loculis subditorum recō-
diderit, thesauros. Itaque veræ ac certæ Principis opes, etiam prope
extra omnem iacturę & periculi aleam positæ, in subditorum & ma-
xime patriciarum gentium diuitijs collocatæ sunt. Nam quæ ex pu-
blicis vectigalibus & tributis quæruntur pecuniæ, possunt vel quæ-
storum negligentia dilabi, vel eorũm fuga aut perfidia auerti, vel
bello aut naufragio, aut alio quocunque casu perire: thesaurus vero
quos Nobilitas atque populus penes se habent, his tot casibus mini-
me sunt obnoxij. Quamobrem nulla ratione opes suas augere Prin-
ceps melius potest, quam si in flore Nobiles atque Illustres familias
conseruet. Nobilitatem & populum clementer habeat ac leuamen-
tis onerum ditescere faciat.

Ad hunc modum Veneti, rei Politicæ peritissimi, Rempublicam
suam administrant: † quippe apud eos capitale est de publico æra- 21
rio seu thesauro instituendo verba facere: Cæterum ciues copijs
familiaribus adeo amplis sunt, vt Respublica inopia laborare ne-
queat.

Atq; ex his satis iam opinor refelli possunt quæ supra in acie muliebri, *c. vlt.* de magnarum diuitiarum incommodis in Repub. allata sunt.

CAPVT XXXXI.

Denuo viros ad magistratus idoneos, vt plurimum in illustribus & honestioribus familijs ali & educari repetitur: ac proinde bonis per fœminarum exclusionem à successionibus, apud masculos & agnatos retentis, eas conseruari & propagari tam interesse, quã bonos habere magistratus interest, concluditur. Ergo omnis Generosa Nobilitas omni cum sexu virili, antiquas has differentias sexus in vsum reuocet, reuocatas vrgeat: nõ Iustiniano, non multis hominibus Iustinianeis & vxorijs à Theodora seductis, nullisque fœminis in causa æquissima (quæ hoc illis tractatu quasi precone denunciatur) cedat, admonetur: atq; tum huic certamini literario masculofœmineo finis imponitur.

SVMMARIA.

1 *Consilium Areopagiticum totius Graciæ celeberrimum, quale fuerit, describitur.*

2 *Areopagitico simile & tam perfectum & absolutum consilium ex illustribus & nobilibus viris præcipue & optime posse colligi arguitur, & n. 4. & 5. Hinc familias suas vt conseruent, admonentur n. 7. & qua ratione, n. 8. & n. 14.*

3. So-

3 *Socrates suis auditoribus plus vtilitatis exemplo, morum, quam praeceptis profuit.*

6 *Germanis, ne Dij quidem similes, dixit Cesar.*

9 *Commendatur antiquitatis prudentia in constituendis sexus differentiis in successionibus, quam si Imp. Iustin. animaduertisset, non eas maximo vitio & cum accusatione naturæ inductas exclamasset, nu. 10.*

10 *Excusatur Iustinianus à Theodora coniuge, adeoque muliere, vt aliis multis Principibus contigit seductus: sed & non continuendis rationibus, ad abolendas dictas differentias inductus, n. 11.*

12 *Mulieres plerunque omnia simulant scire. Plaut.*

13 *Iustiniani Theodora, prudens fœmina.*

15 *Comparantur huius certaminis pugnantia argumenta.*

16 *Cum hoste fatuo ac pertinace, clementer & prudenter agendum, Liu.*

17 *Votum Auctoris, pro differentiarum sexus in successionibus conseruatione, Nobilitatis flore, salutis & tranquillitatis publicæ confirmatione.*

HActenus (vt tandem vnde digressi sumus, redeamus) vltimo loco virtute præstantes solum, hoc est, nobiles & vere quidem nobiles: medio, virtute simulatque diuitijs præpollentes: primo autem atque summo gradu, tribus his iunctis genere sc. virtute & diuitijs potissimos, quos supra diximus nobilissimos, in electione magistratuum, in honorum distributione esse collocandos multis & rationibus satis firmis (vt opinor) ostendimus.

Ex hoc itaque nobilium & illustrium virorum genere: qui videlicet in primis præclaræ virtutis nomine celebres: tum, si possint haberi, etiam diuitijs ijsque mediocribus & antiquis maxime aucti: denique & natalibus bonis & honestis oriundi sint, optimos Principes & magistratus, iudices & Senatores, omnesque principaliores siue curiales siue aulicos officiales deligimus: imo etiam si Areopagitico totius Græciæ longe præstantissimo simile consilium legendum esset, ex hoc virorum genere id colligi posse non dubitarem.

Quemadmodum † enim in Areopagitarum numerum cooptari solis illis sperare licuit, qui claris natalibus orti, virtutis ac mo-

destiæ documenta permulta vitæ suæ honestate dedissent: quiq; prius Thesmotetarum magistratu innocentissime functi essent, ad quē illi tantum adsumebantur, qui de omni vita acta causam dixissent, & de moribus actionibusque suis in disquisitionem vocati, indiciorum aleam subijssent, neque vllam dedecoris labem perpetua innocentia sic contraxisse viderentur : adeo vt antiqui, cum Areopagitam dicerent, omnibus numeris grauitatis & seueritatis perfectum iudicem significarent. In prouerbio etiam apud Græcos fuerit : Areopagita subticentior de homine dictum, qui arcana optime continere, & linguæ suæ imperitare nouerit: A quo sanctissimo consilio memorabile institutum illud prodijt: vt quid quisque Atheniēsium ageret, aut quo nam quæstu sustentaretur, diligentissime Areopagus inquireret, vt homines honestatem, vitæ rationem esse reddendam memores, sequerentur. Quorum insuper inter alia, memorabile illud memoria proditū est Areopagitarum iudicium, quo puerum Coturnicum oculos eruentem damnauerunt: nihil aliud iudicantes, quam id signum esse perniciosissimę mentis multisque malo futuræ, si adoleuisset.

2 Ita † etiam hi nostri, & sanguinis claritate, & virtutis specimine & modestiæ experimento, & honestatis vitæ exemplo, multis prius alijs egregie rebus & sanctissime magistratibus, & officijs, in clarissima omnium luce versati, veram & absolutam viri ad Reipublicæ gubernacula vel iustitiæ tribunal sedentis, alioue præclaro munere fungentis, grauitatem, prudentiam & iustitiam referre ac repræsentare, arcana optime continere & linguæ imperitare : irreprehensibilis vitæ exemplo ad ipsius vitæ honestatem alios accendere & compellere possent : Non secus etiam atque Socrates suis
3 auditoribus, ita hi suis subditis, plus † vtilitatis moribus quam præceptis afferrent. Prudentissimis sanctissimisque horum iussis, consilijs, iudicijs omnium oculos & animos in se conuerterent.

Ita quidem, vt non solum Areopagitis iure comparandi, sed etiam ex vniuerso ipsorum Areopagitarum consilio veluti perfectiores selecti viderentur.

4 Tales autem, & † maxime qui tantæ virtutis alijs præfulgeant splendore : Non inter vulgares atque plebeios homines

mines reperieris: non in villis & agris, non in pauperculorũ casulis, non in mercenariorum officinis, pistrinis, balneis, & quæstuosorũ hominũ ergasterijs: non sub obscuris virtutis gloria tectis: sed in illustrib. ac vere nobilibus, familijs, hoc est in domibus & generis & virtutis & potentiæ antiquitate gloriosis: in aulis scilicet & atrijs Regum, Principum, & Magnatum, fumosis maiorum imaginibus claris, frequentes hos inueneris.

An non igitur plurimum Reipublicæ interest, illustres ac nobiles principum ac magnatum familias protegi, defendi, conseruari? si non interest, nec vtique bonos magistratus habere interest. At interest hoc maxime.

Quamobrem hic veros omnes Germanos Nobiles obtestor, vt attente considerent, quam non sibi solum atque omnibus atque singulis familijs, sed etiam reip. toti, imo toti imperio Romano, sit fructuosa, salutaris, proficua, assidua fœminarũ in hęreditatibus & feudis exclusio. Volumus † Principes, magistratus, iudices, senatores 5
aut cuiuscunque dignioris necessarij muneris cum in ciuili tum militari disciplina præfectos idoneos, viros, scilicet indigenas, nobiles, potentes, iustos, integros, fortes, graues, bonos & æquos; hos potissimum illustres, generosas & honestiores suppeditant nobis familiæ. Volumus autem in illustribus ac nobilibus familijs auita & gentilitia prædiaque bonaquu, & cum his & per hæc etiam pristinam & antiquam familiarum amplitudinem, magnificentiam, nobilitatem, dignitatem & authoritatem, adeoq; ipsas familias; ad hanc Imperij vtilitatem, conseruari & stabiliri: etiam hoc caueamus necesse est, ne multis in fœminas & masculos bonorum diuisionibus, ea destrahantur, imminuantur, vel etiam in alienas forteque etiam ignobiles domos per fœminas succedentes transferantur.

Fœminas ergo, o vetustissima, fortissima ac vere nobilissima, iam priscis illis temporibus, ab omnium Romanorum Cæsarum longe
fortissimo & Augustissimo Heroe IVLIO, supra Deos gloriata, Ge- 6
nerosa Germana Roman a Nobilitas, a successionibus, quam longe potes, arce, remoue, exclude, atque iterum longissime exclude, inquam, fœminas.

Non in hoc Itala, Gallica, Francica, Britannica, Sicula, Hispana, &
Anglica, aut cuiuscunq, nationis alia Nobilitate, omnibus rerum 7
præclare gestarum fama te longe inferioribus, memoria posteriori-

 bus

bus, te figniorem præſta: non maiorum in te virtutem ſeneſcere ſine: non de temet, adeoque vniuerſa præſentis ſtatus Imperij ſalute peius, præcipuo mulierum amore, exemplo Imperatoris Iuſtiniani, effœminate couſule: non in iniuria tua, qua iam multæ, proh dolor, præclariſſimæ gentes periere, molliorem leuioremq; exhibe: imo vt te modo acriorem omnes Romani ac externi ſentiant, enitere.

8 In † feudis laudabiles & regulares antiquæ Nobilitatis vſus & conſuetudines in fœminis excludendis ſtrenue vrge: irregulares conuentiones, quibus etiam fœminæ quandoque ad feudorum ſucceſſiones admittuntur, nullas tibi perſuadere ſine. In hæreditatibus autem & allodijs, pacta illa & ſtatuta gentilitia confraternitates & familiarum vniones, itemq; fœminarum renunciationes, omnibus ad familiarum illuſtrium ac nobilium in imperio conſeruationem frequenti vſu inductis, & confirmatis, ignauia tua iterum denuoq; antiquari, & abire in deſuetudinem minime patere.

Sic demum priſca Germanorũ & Romanorũ, qui terrore nominis ſui mundum impleuerunt, ad vires virtus redierit: radices priſtina GermanoRomani ſanguinis gloria iterum egerit atq; florebit: domi deniq; Principes ac Præſides boni, iuſti foris Imperatores ac milites ſtrenui graues, fortes nunquam defecerint.

9 O † magnam & venerandam vetuſtatis prudentiam, quæ tantam harum differentiam iuris in ſucceſſionibus, quibus ad maſculos cõmodius transferri hæreditates exiſtimauit, æquitatem, vtilitatem & neceſſitatem primo ſenſit. Huius vnius inſignis & abditæ prudentiæ documento, religio ſit omnibus legumlatoribus poſteris, ab ijs legibus & inſtitutis, quæ ab antiqua Romanorum prudentia ſacrata diuque æqua, iuſta, vtilia viſa ſunt, ſine euidenti, non dico, vtilitate, ſed neceſſitate ad noua tranſilire.

O vtinam hanc quoq; Iuſtinianus Imperator animaduertiſſet & obſeruaſſet; vtinam non nimijs in vxorem affectibus obcæcatis ſuæ mentis oculis, antiquitatis in ſanciendis his differentijs magnam †
10 ſapientiam videre potuiſſet: minime accuſatores naturæ earum inuentores accuſaſſet, nunquam eas diminuiſſet, ſenſimque omnes abrogaſſet. Quot proh dolor, abhinc vna fœmina, præclara Romani generis nomina deleuit? quot Generoſæ Nobilitatis & equeſtris ordinis capita ſepeliuit? quot illuſtrium virorum ſtirpes eradicauit? quæ hodie maximo cum Imperij incremento vigerent, viuerent & florent; ſi non vna Theodora pernicioſiſſimum conſilium

huius ferendæ legis, vt scilicet æqua vtriusque sexus iu bonis defunctorum successio esset, Imperatori Iustiniano non dedisset.

Miranda † sane res est, tam imbecillem naturam, aliquod in potiorem & potentiorẽ imperiũ esse consecutam, hancq; in suam libidinem traxisse: dum Augustũ & laudatissimũ Principem atq; Imp. alias custodẽ iuris & æquitatis perquam strenuum, a religiosa constantia sua bonarum legum tuendarũ, vna muliercula auellere & abstrahere potuit Sed nimirum idem huic, quod & alijs ante ipsum longe præstantiorib. euenit, vt eueniret, non fuit impossibile. Ita n. Adamo licet inter viros in cunctis gsatiarũ naturæ dotib. sublimior nullus, licet fortior Samsone, Loth uullus castior, religiosior nullus Dauide nullus deniq; Salomone sapientior extiterit: tamen mulier humiliauit Adamum, Samsonis fortitudinẽ superauit mulier, ad incestum Loth prouocauit mulier: religionem & sanctimoniam Dauidis turbauit mulier: mulier deniq; Salomonem decepit. Inde versus: 11

Prima virum primum mulier deiecit ad imum:
Adam Samsonem, Regem David & Salomonem,
Fœmina decepit, quis modo tutus erit.
Pulchrius ille:
Exugit peras, exugit Lesbia corda
Fatuus, heu triplici mercatur sanguine amorem.

Quanquam autẽ Imp. Iust. vt alias sæpe, etiam hic participẽ consilij sumpserit eam, quam a Deo habebat reuerendiss. coniugem, vt ipse testatur, in Nouel. vt iudices sine quoquo suffragio fiant, *8.c.1.in pr.* non tñ leuiter & sine plausibilib. rationib. huius innouationis & vtriusq; sexus in successionib. exæquationis magnã æquitatẽ persuadentib. ab Augusta propositis, eam tunc ipsũ suscepisse credendum est. Præterquam enim ꝙ alias mulieres multũ scientię sibi persuadere solent, ac vt inquit Plaut. Omnia simulant scire nec quicquã sciũt. 12
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit sciunt, quod Iuno fabulata sit cum Ioue, quę neq; futura neq; facta sunt tamen illæ sciũt falso, &c.
Hæc etiam propter insignẽ prudentiã suã multũ cõmendatur, vti eã 13
valde ingeniosam arguunt subtiles rationes, ab ipsa vt volunt dictatę *in d.l.max.vit.C.de lib.prater in d.l.lege 12.tab.pen.C.de legit.har.& in d.l.assiduis, 12.C.*qui potior in pign. propositæ: iuxta quas forte etiã alias pro temporis illius ratione non contemnendas adduxit, quib. nec omnino inutilem harum differentiarum abrogationẽ persuasit. Siue igitur hac sua abrogatione consuluit publicæ saluti Iustinianus,

vt in omnibus alijs veterum emendationibus; ita etiam in hac, imo omnis omnino iuris Romani compilatione & compositione, de toto imperio quam optime meritum Principem laudamus atque celebramus, eique gratias immortales agimus. Siue minus ea publico bono consuluit hoc ei ignoscamus: & ea quæ vtiliter ab ipso emendata, inuenta, constituta, & ad hæc vsque secula æqua visa sunt; etiam deinceps tueamur: quæ vero falso æquitatis vel vtilitatis prætextu, immutata, obliterata atque vsu amissa sunt, ea in vsum reuocemus, atque pristino suo vigori & obseruantiæ restituamus: proinde & si hæ differentiæ sexus in successionibus, maiori cum iniquitate, quam æquitate, damno quam bono ab eo sublatæ sunt, vt sunt; eas quoque repetamus, custodiamus, vrgeamus, omnes a successionibus siue feudorum, siue allodialium bonorum fœminas excludere studeamus.

14 Id ergo † vt iunctis viribus facilius obtineamus, prodeant nunc vna cum Generosa Nobilitate, etiam omnes quicunque virilis sexus sunt, satis vndiquaque instructi: optimo iure debitas sibi in successionibus prærogatiuas, magna cũ iniuria & pernicie publica a Theodora, fœminarum quandoque in Imperio non virorum Augusta, ereptas, repetant, atque etiam inuitis mulieribus eripiant. Hostem habent quicunque sub Nobilitatis signis peltati velitant, aduersari-
15 um sibi, † licet multitudine copiarum longe superiorem viribus, imbecillem tamen, consilio vacantem, fragilem atque omnino timidum, & vt paucis dicam, muliebrem. Bono insuper Imperatore destitutum, & a ducibus suis primoribus iam desertum: denique ea, quibus instructus inclususq; est armis atq; munimentis, omnia talia sunt, vt impetum saltem mediocrem minime sustinere, ijsque se defendere possit.

At est contra exercitus Nobilitatis atque virilis, licet non æque hominibus copiosus, & multis numero millibus impar: viribus tamen longe potentior, & robore validior; solida virtute, prudentia, optimisque consilijs instructus: magnanimus: firmus, & fortis: pius, probus, non rapax, non luxuriosus, candidus ac vere Germanus: arcanorum in consilijs, castris & vbique continens: laboribus & periculis ferendis adsuetus ac proprie natus, in quibus omnibus mulieres longe se inferiores & viri sciunt, atque coram vident.

Præterea armaturam & apparatum virilem & muliebrem cum per-

Censeo, proh Deum immortalem, quam stultam mulierum audaciam & insaniam mentis admiror? eas tam inermes cum hoste & animis atque armis paratissimo instructissimoque congredi & confligere: vel saltem intra muros, extra oppugnaturum expectantes non timere. sed quid otiosis hic ego verbis moror: vobis expedit, O generosi nobiles, omnesque magnanimi viri, re prius, an verbis cum hoste contemptibili & abiecto depugnare; num manu prius, an minis victoriam experiri; & sexus & sanguinis vestri dignitati magis conueniat? Forte tentare expedit vtrumque, sed hoc prius, vt illud fortè necesse non sit. Præclarum † sanè cosilium, cum hoste fatuo ac 16
pertinace, prudenter & clementer agere. Eat igitur hic noster prologus, denunciet omnibus tam viris quam fœminis, nobis aduersantibus, causæ, quam petimus, æquitatem, diuino & humano iuri æquabilem, vetustatis Romanæ suffragiis communitam, vicinorum regnorum exemplis similibus corroboratam, naturali sexus dignitate & integritate suffultam, ac in summa omni æquitate, vtilitate & necessitate æquissimam.

Faxit Deus † Opt. Max. à quo solo omnium illustrium ac nobili- 17
um familiarum, totius Generosæ Nobilitatis, omnium regnorum ac imperiorum, vniuersi generis humani, & cunctarum rerum incrementum & decrementum, vt deponant, has quicunque differentias impugnant, deponant arma, æquitati cedant: vexilla Martis fœminæ, natura viris solummodo data; triumphum mentis, viris à Minerua concessum, relinquant: sentientes semetipsas carne molles, toto corpore graciles & in firmas, animo instabiles, cautas minus, pugna feroces & temerarias, ingenio pauidas, consilio ancipites, ciuilium & militarium rerum imperitas & in expertas, adeoque nulla re quas mars truculentus in tragœdiis suis peragendis postulat, satis vel arte vel natura validas, saluti suæ melius consulant, lubentes ius suum Nobilitati omnique virili sexui in successionibus præcipuum, tanquam digniori restituant: atque suis quoque cum reuerentia, dilectione & submissione maritis pareant. sic & nobiles vbiq; nobiliores, nobilesq; plures fient, adeoq; cum imperium Germano Romanum; tum omnia alia regna rerumpub. gubernacula, multis illustribus ac nobilibus erectis atque fundatis familiis, firmissima eademque florentissima vsque ad extrema & nouissima huius mundi secula erunt atque manebant.

I N D E X.

CERTAMINIS MASCVLOFOEMINEI RERVM PRÆcipue memorabilium.

Prior numerus columnam: alter locum à margine denotat.

A.

Aris-

G

H

Histo-

Inimi-

Mar-

Ostra-

Q.

R.

Sui

